
7
9 LM
37

Coll. Rom. Soc. Iesu Cat. inscrip. ex bibliot. Mureti

RERVM

Memorabilium, iam inde ab anno Domini M. D. ad annum ferè LX. in Rep. Christiana gestarum,

LIBRI QVINQVE:

EX PLERISQVE NOSTRORVM temporum historiographis, praecipue autem D. Fontano Theologo Parisiensi, & Ioanne Sleidano collecti:

CVM DILIGENTI ANNOTATIONE EORVM, quae Sleidanus ex affectu potius, quam ueritatis studio conscripsisse deprehenditur.

INTERPRETE F. ROVERO PONTANO, Carmelita, Sacrae Theologiae Baccalaureo.

OBSEQVIVM AMICOS, VERITAS ODIVM PARIT.

COLONIAE

Apud Iasparem Gennepaeum, Cum Gratia & Priuilegio Caes. Maie.

M. D. LIX.



CLARISSIMO Prudentissimoque Viro ac Domino, Viglio Zuichemo, arcani Regiique Consilii Præsidi integerrimo, F. Rouærus Pontanus, S. D. P.



Peræpretium facturus uideor (æquissime Cu-
riæ Præses) si cum primis enitar causam nostri
propositi, & suscepti laboris exponere ne quid
in cassum aut temere, a me confectum intelligas.
Nam insani cerebri est frustra niti, nulla sibi
ratione aut deniq; certo fini præfixo, quũ sit pru-
dentis nihil sine causa tentare, nihil absq; cõsilio
gerere, nihil auspicari uel admittere quod non sit utile, & honestati
maxime coniunctum. Igitur quum animaduerterem eos de republica
bene fuisse meritos, qui res gestas candide uerissimeq; descripserunt,
tamq; prodijsse nonnullos, qui simile quiddam forsitan spectasse uiden-
tur, at parum probe, non indignum fore existimabam, si horas, quibus
a lectionibus feriarer, hystoricæ ueritati applicarem, quod illorũ scri-
pta, plus in calliditatem & maledicentiam quandam obstinatam, Le-
ctorem incitent, quam simplicitatem ac pietatem, quæ sane uirtutes
duæ, ut maxime Religioni Christianæ prosunt, ita uicissim oppositæ
illæ, obsunt maxime. Non quod eorum gloriæ & meritis quicquã de-
traham hæc dico, quin potius uerum hystoriographum, parum syncero
præfero, qualis esse potest, qui priuatis indulget affectibus, qui amaro
quodam zelo laborat, qui dentata in eos utitur charta, qui alioqui opti-
me de Republica Christiana promeriti uidetur, qui deniq; a ueritate,
non modo non ignorans deflectit, imo uero conspectam dissimulat, ir-
radiantem obnubilat, oblatæ parcit, quum tamen ipsius usus sit longe
dignissimus, abusus turpissimus. Parum itaq; syncerum hystoriogra-
phum dico, ut ineptum aliquem & imperitum artificem dicere uulgus
cum schola cõsueuit. Sed quum is demum imperitus sit artifex, qui fi-
ne neglecto propter quem omnia facere (quæ suæ sunt artis) deberet,

alio deuergit, uel ad sinistram, profecto uix æquus erit historiographus, qui non solum ueritatem inuolucris quibusdam adumbrat, quod poetarum esse solet, uerumetiam studiose celat & præterit. Nam hoc discriminis esse inter Poesim & Historiam manifestū est, quod Poesis ipsa pictis sua licentia uerbis, quasi coloribus, animum hominis demulceat, cæterum Historia, quo purior & illustrior est, eo breuitate dulcius nihil habet, nihil ueritate charius, nihil fraude & garrulitate mordacitateq; indignius. Quæ etiam legibus suis certissimis constat, extra quas diuagari non uult, sed in ijs arctissime religiosissimeq; uersari, consistereq;, quarum prima dictante Cicerone 2. de Oratore huiusmodi est: Ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid ueri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit, in scribendo, ne qua simultatis. Sane qui hanc legem, utpote primā potissimamq; prætergreditur, quo iure quoue merito historiographus censebitur? Verum ut ingenue fatear, hodie quorundam uanum prorsus & parum exactum iudicium, imo & corruptum facit, ut cum uera pro falsis, falsaq; pro ueris libenter in animum suum admittant, hoc modo inquam gratia magis, priuatisq; afflati fauoribus, plus aliquid ijs tribuant concedantq; quam par sit. Nimirum annis superioribus cuiusdam de statu religionis & Reipublicæ Carolo quinto Cæsare commentaria in lucem edita sunt, quæ sane promiscue quiq; tam auide tamq; religiose colunt, & obseruant, non aliter quā paradoxa, non secus suspiciunt atq; oracula cælitus probata, deniq; non minus exosculantur, quam si uerissima sint omnia illa tanquam Sibillarum folia. Atqui uero hos errare constat ex eo, quod author Ioannes Sleidanus, ueritati parcens, plerumq; falso narrat quædam, aut dicta, aut scripta, aut procusa, aut deniq; gesta fuisse, quæ minime tamen sint, & nonnunquam, expatians, Satyricas potius & Græcas historias imitari uideatur, quibus non integram per omnia singulaue, fidem habendam esse ueteres latini existimarunt. Quemadmodum apud Iuuenalem Satyra 10. occurrit: Et quicquid Græcia mendax studet in Hystoria. Nam eos tanta in dictandis hystorijs, fingendi licentia abusos fuisse creditur, ut uere dixerit Quintilianus, Græcis hystoricis plerunq; Poeticæ similem esse licentiam. Porro quæ dico fatentur omnes docti pariter & pij, testatur uicissim multorū etiam sectariorum conscientia latens, & suorum, Sleidani uidelicet commentariorum lectione deprauata, & ab ea ipsa religione (quam per Apostolorū manus traditā nostri maiores uiri religiosissimi acceperunt) proh dolor auersa & abalienata mens. Omittā hic dicere quæ latius in nostr-

Lex & uirtus hystoriæ potissima. Cicero 2. de Oratore.

in nostra hac historia explicantur & probantur, quantum scilicet au thor ille Luthero heresiarcha nostri seculi primo tribuat, quantū propugnatoribus Apostolicæ seu Christianæ religionis deroget, quantū nomen ac titulum Protestantium exornet atq; extollat, quo tamen nullus fere est inter Christianos iniquior & arrogantior, quantū deniq; negocium Ordinesq; Catholicorum & Ecclesiasticorum obscuret derideatq;, Protestantium autem illustret ac prædicet, quāq; acerbe traducat probos quosq; & taxet. Tacebo quid genere ingenioq; clari nobilesq; uiri tum in Gallijs tum in nostra Germania de Sleidano illo sentiant, quiq; lepido scommate iactant, Sleidanum uere, sed Poetice, hoc est mendose ac uane scripsisse. Verum esto, historiographus habeatur, modo tamen nec legatur nec credatur a simplicioribus & nondum sanius edoctis adolescentibus, quos facillime infici contingit, & hallucinari, quorum palato plus sapit eloquentia, quam ueritas, quibus magis cordi est callida uafricies, quam simplex candidaq; uirtutis & religionis auitæ reuerentia. Nam ut uerum fatear & expertus dicam: Reperiuntur non nulli non modo adolescentes, imo uero, uiri ciues, qui opinionem suam (quam ex illis hausere commentarijs) defendere dictis Sleidani conantur. Hinc factum est ut doctissimi probissimiq; uiri religionis pietatisq; Christianæ zelo flagrantes, illius improbitatem pertesi detestarentur, scriptis aut etiam editis libris reprehendere cogitarent. Quorum nonnulli quod animo conceperant, ipsa re præstiterunt. Ex quibus est Theologus quidam Parisinus Fontanus appellatus, qui Historiam Catholicam nostri temporis Gallico sermone conscriptā prælo commisit, ediditq;, regio donatam priuilegio. Quæ cum plerisq; in locis mendacia Sleidani detegeret, oblata mihi fuit, ut cum illius idiomatis aliqualem peritiam haberem, quædam latine pro meo modulo redderem. Dabat enim operam Honestus & Christianæ pietatis obseruantissimus, Iaspar Gennepæus, Ciuis & Typographus Coloniensis, ædendæ historiæ, in qua ipsissimam ueritatem rerum gestarum ordine repetere decreuerat, confutatis Sleidani erroribus, cupiens hoc modo Reipublicæ Christianæ prodesse & gratificari. In huius itaq; uiri gratiam (licet alioqui quotidianis lectionibus & priuatis studijs uehementer occupatus) paginas aliquot latinitati donaui, nihil adhuc de æditione suspicatus. Visum tādem fuit Typographo ea quæ magna celeritate raptim & ex tempore transtuleram prælo committere. Quod equidem Deo, & eodem ipso librario teste ægerrime ad

 misi,

misi, indignum ratus si mea hac rapsodia stilo & oratione humiliora typis euulgentur, ac proponantur, potissimum in hac tam celebri academia: Deinde etiam hoc tempore quo aureum plane est seculū, si splendorem ac puritatem Romani sermonis spectare uelimus, quando nihil gratum esse solet nisi quod Tullianum aut simile dicendi flumen, copiamq; ornatum ac uim contineat. Et quum ob inopiam temporis non possem integrum absolui uolumen, unus tantum Tomus, in nundinis prodijt, tanquam alium ad proximas transmissurus. Interea comperi omnia fere (paucis admodum exceptis) quæ Theologus historia nostræ author denarraret, ex Cochleo de actis Lutheri deprompta esse, demde uero eundem scito uidelicet interceptum non ultra annum Quadragesimum suam texisse historiam. Idcirco ab inceptis mihi desistendum fore putaui. Cæterum quo possem aliunde lectori pio & candido satisfacere, datamq; fidem soluere, historiam authore Gennepæo Germanice editam, uertere coactus fui, cuius etiam hortatu & impulsu, hoc quicquid est laboris humeris meis impositi, suscepi & exhibui. Nam nec indignum nec inutile uidebatur, ut latinitati siue per me siue per alium (quem profecto tum quod laboriosum esset & maximam pareret difficultatem uberem illam idiomatis Germanici facundiam, per omnia latino eloquio explicare, tum quod historiæ dignitas atq; maiestas orationem exigat doctiorem, uenustiorem, clarioremq;, desiderantissime optabam) restitueretur. Nam præterquam quod illa, res memoratu dignissimas ad uiuum exprimat, penicillo ut ita dicam ueritatis tenacissimo, insuper etiam ad Christianæ religionis imitationem, obseruationemq;, imo & dilectionem inflammat, quam non obscure Sleidanus labefactare atq; conuellere uidetur, ut non tam historiam quā communem Dicæologiam siue Apologiam Ecclesiæ Christi & Principum merito dixeris. Quinetiam speculum rerum agendarum, in quo prudens Irenarcha, id est, qui ad tollenda dissidia, & pacandos serenandosq; animos præficitur, contemplari perspicereq; potest, quo consilio atq; progressu id agere debeat. Utpote si de religionis negocio dubitatio inciderit, mox uelut e specula (quod aiunt) deprehendet, quam prudenter & grauiter in eo sit uersandum, quam nō debeat quibusuis, nempe neophytis & prophanis acquiescere, si in Republica seditionem oboriri contingat, non deerunt illic imagines & exempla quæ accuratissime optimaq; fide mihi demonstrata descriptaq; uidere licet, ut ne Archimedes quidem potuisset melius lepidiusq; depingere. Et quod horum omnium est caput, in hac nostra historia tanquam in tabula cernere

nere quisq; potest, quanta prouidentia uniuersum hunc mundum, maxime uero Ecclesiam suam Deus Opt. Max. gubernet, atq; conseruet, quippe qui tales perpetuo protectores Principes, Egumenos & Hyperetbas, hoc est antesignanos & præsides suam donet Ecclesiam, ut etiã quum maxime uideatur succumbere occidereq;, periculis ac armis undiq; circunstantibus & ex aduerso spirantibus, non modo tamẽ non succumbat occidatq;: imo uero quomodo tanquam aurora rutilans consurgat, & eleuetur confusis dissipatisq; malorum nebulis & discriminibus. Nempe post natum Lutherum Ecclesia Christi tantis obscurata monstrorum tenebris, tot obruta & impugnata machinis, uiribusq; fuit, ut proposita saltem eorum periculorum forma, magis admirari quam expendere & scrutari quisq; debeat. Siquidem Ecclesiæ status deformior & languidior, ut apparebat, effectus, a Sanctissimis Pontificibus, Inuictissimis Imperatoribus, Principibus & doctoribus redintegratus & cõstabilitus fuit. Quis enim dum legit nõ miretur Maximiliani Cæsaris grauitatem atq; constantiam qua Luthericam primus temeritatem compescuit, quis non suspiciat Caroli Quinti, nepotis sui religionem? fidem? pietatem? candorem? fortitudinem? patientiam? Quis prudentiam deniq; ac zelum religiosissimum, Ferdinandi Cæsaris fratris sui non admiretur, quibus ille præditus immortalitatem cum Ecclesiæ sponso Christo Iesu iam tutissimam est adeptus, hic uero etiamnũ eadẽ haud dubie dignus & donandus ab eo qui dixit, Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus, & ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum. Nam in his uiris Principibus singularis prouidentia ipsius Dei ad miraculum usq; relucet, quorum conatibus aspirante cœlesti numine Ecclesia Christi gubernatur, moderaturq;. Cæteros ne prolixior sim, præterire cogor Pontifices ac Heroes, qui sua solertia, ac sapientia Ecclesiæ passim ruinam minanti, non modo res seu facultates suas imo corpora uitamq;, summũ nimirum præcium & pignus impenderunt. Verum enimuero ne iustam epistolæ rationem ac regulam non obseruasse uidear, ad tuam Prudentiam conuertor. Igitur quicquid hac in historia præstitum est a me, hoc qualecunq; est tuo nomine diuulgandũ esse existimaui, ꝓpterea ꝙ si more maiorũ libelli nostri aut patronũ adoptãt, aut (ut ait M. Tull.) quasi munusculũ lemdensæ mittuntur, hic neq; patrocinij fidelius q̃ tuũ, neq; uirũ digniorẽ, cui generis huius munuscula adferantur, inuenire posset: Neminẽ ꝙ sciã reperiet, cui magis nota sint atq; ꝑspicua, quæ in utraq; Germania religiõis ergo inter Principes gesta fuere, et q magis a falsis

narratoibus, fidei ac religionis nostræ cõtaminatoribus abhorreat. Si quærit uirum mansuetum, mitem, molestiarum patientem qui nulli noceat, utilitati communi deseruiat, uix dum occurrit quem nomine comitatis, clementiæ, benignitatisq; tibi præferre debeat. Si tractari cupit ab eo cui uis est innata iuris, qui ius & æquitatem, uincula nempe ciuitatis & Reipublicæ, obseruat, nullum cognoui (me dij ament) cui natura sit ad æquum bonumq; propensior, callido uersutoq; iuri magis inimica. Si Mæcenatem desiderat, uix aliquẽ scio, qui maiore studio literatos omnes excipiat, promoueatq;, qui ad beneficentiam liberalitatemq; plus sit propensus, qui deniq; ab amore diuitiarum angustum animum paruumq; occupante, remotior existat. Hoc proinde munusculum si non meo labore ac certe rerum gestarum ueritate commendatum feci, ut in tuo nomine mihi perpetuo obseruando, appareret. Quod autem uel tertiam tuarum Laudum partem leuiter obiterq; attigerim, ne tua frons pudoris ingenui plena, ne summa tua uerecundia moleste ferat. Nullus impedimento esse debet nec potest, quo minus uirtus, honestasque laudetur. Mihi sane non iniuria uitio daretur, si quem tot amplissimi doctissimiq; laude ferunt, ego pene solus ac infimus, tuus inquam alumnus, occasione data silentio prætercam. Sed enim scio & certo scio, non defuturos, qui librum hunc non respondere tuæ Excellentiæ, nec par esse meritis putauerint, quod stilo parum grato & eleganti, imo plerisq; in locis obscuro, inconditoq; inamano conscriptus appareat. Præterea indignum esse ut hic neglecto Sleidano, manibus nostra teratur historia. Equidem fateor, nam dum primum Epistolæ dedicandæ rationem haberem, tuæq; in me munificentiæ memor essem, dubius animi & anxius multum deliberare mecum cœpi, quod non ignorem tuam Excellentiam ab ineunte ætate tam studiose eloquentiam & dicendi lumen excoluisse. Quod præterquam multis id argumentis omnino persuasum habeam, etiam uolumina tuo studio ante multos annos modernis ac posteris candidatis Iuris dedicata, testantur. Insuper hoc ipsum mihi compertum est, ex epistola Heruetti, quæ per Frobenianum typũ in frontispicio tomi primi operũ Ciceronis post indicẽ edita est, in qua præter cætera ad D. Heldũ Cæsareæ Maie. tunc Proconsulẽ tibi familiariter notum uirum sane consultissimũ, sic scribit: Misit autem ad nos ex Patauio Viglius Zuichemus Phrisius, syluam quandã uariæ lectionis, in eas epistolas, ex qua nos non dubitauimus nonnullam quæ nobis [illegible] sunt uisa, ueluti postliminio redeũtia, in textũ recipere.

Verum

Verum ij qui tale quippiam dicturi sunt, cogitent quid laboris habeat uerbatim alicuius opus interpretari. Licet enim margines authorum aliquot nomina contineant, qui Latine scripserunt, non tamen ob inopiam librorum, eorum uerbis uti licuit, sed quemadmodum memoratus typographus in Germanico exemplari bona fide collegerat, ita quoq; prout potui latine reddere studui. Et quod reipsa apud me comperi, facilius quicquam & clarius sermone latino componeremus, quod ex sentẽtia propria profectum, quodue ingenio proprio partum esset, quã certe ad alterius cuiusdam praescriptum Deinde quod ad Sleidanum attinet, amplius forte dicam, & tribuam, quod Cicero in Oratione ꝑ Lucio Flacco Graecis tribuit. Igitur tribuo illi literas, do multarũ artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingenij acumen, dicendi copiam, deniq; si quae alia sibi sumit, non repugno: testimoniorũ religionẽ & fidem haud parum iste coluit. Proinde tuam optime Mecaenas Prudentiam iterum iterumq; per Christum obnixe precatam desidero, ut hanc nostram oppellã boni aequiq; consulere digneris, susq; deq; ferre si alicubi biulca sententia, dictio inuersa, obscura oratio, neglectum aliquod uerbum (ut fieri consueuit in primis aeditionibus) deniq; needum plene recognitum ac indice suo destitutum, tuum longe emunctissimum Iudicium deprachenderit. Hoc enim modo fiet ut me ad studia ulteriora inflammes.

Deus Optimus Max. tuam nobis Excellentiam corpore animoq; incolumen semperq; florentem conseruet. Vale, tuaeq; me fidei & patrocinio commendatum benigne suscipe.

F. Rouerus Pontanus, Carmelitã Bruxellensis, tui nominis obseruantissimus & obsequentissimus. Pridie calendas Septembris ex nostro musaeo Agrippinen.

REVERENDISSIMO in Christo Patri, ac Illustrisimo Principi ET DOMINO, D. IOANNI GEBHARDO, S. COLONIENSIS ECCLESIAE ARchiepiscopo Electo, Principi Electori, necnon Angariæ & Vuestphaliæ Duci, Sacri Romani Imperij, per Italiam Archicancellario, &c. Domino suo Clementissimo.



Uperioribus annis Reuerẽdissime Princeps, Clementissime Domine, uolumen quoddam historicum authore Ioanne Sleidano in lucem prodijt, Latino & uernaculo ideomite conuersum. Quod sane quã plurimos suo specioso titulo sic pellexit, induxit & attraxit, ut ij magno cum desiderio & uoluptate, illud legerent & euoluerent. Erat enim hic titulus: Vera & perfecta narratio omnium rerum sub Carolo V. gestarum &c. Sed cum illud passim a doctis pariter & indoctis tereretur, intellexi tandem a Viris sane non obscuris, nec uulgariter doctis, Sleidanũ in plurimis hallucinari, & a ueritatis scopo (quem per omnia sibi ꝓpositum habuisse debebat, ut saltem uerus haberetur hystoriographus) sæpius deflectere & euagari, nec sophisticæ modo, aut etiam ex priuato & peruersomentis affectu, quinetiam infideliter plane, res ipsas in negocio religionis gestas describere. Nã Reuerẽd. Dominus Eberhardus Billicus, Carmelitarũ Prouincialis, qui & ipsemet Colloquijs pro Religione, & Concilio deniq; Tridentino habitis coram interfuit, fraudis impatiens & ueritatis amans, infidele Sleidani studiũ atq; propositũ suis depingere coloribus cœperat, & ueritatis obiecto clypeo falsitatem scripto taxare. At ubi Deus omnipotens eundem fœlicis memoriæ D. Eberhardum, ex hoc calamitatum & angustiarum pelago ad æternam euocauit fœlicitatẽ, non defuere candidi ac pij uiri, qui Reuerendum doctissimumq; Virum D. Ioannem Gropperum, utriusq; iuris Doctorem ingenuum, deprecarentur, ut Religionem Catholicam defendat, eisq; qui Sleidani commentarios pro rebus uere gestis legerent, ipsissimam ueritatem insinuet; siquidẽ & ipse colloquijs & Tridentino Concilio interfuerat. Hic igitur uotis ipsorum responsurus, nunciabatur Sleidanum obijsse. Quamobrem ab incœpto destitit, asserens

rens, indignũ sibi uideri cũ laruis umbrisq; luctari. Interea uero quum Sleidani prologũ, seu potius Epistolam nuncupatoriã sedulo perlegerem, ad hanc protinus sententiã satis utrinq; comptã, pedem repressi, ubi ait, Historiã nihil magis decet quã ueritas atq; candor. Verũ quũ deinceps ipsius uolumen nõ oscitanter euoluerẽ, & in eũ potissime locũ incidissem, ubi narrat seriem actorũ inter Archiepiscopũ Hermannũ, et Clerũ tam primariũ quã secundariũ, simulac Vniuersitatẽ Colonien. reuera cõperi Sleidanũ longissime a recto ueritatis tramite discedere, et inter scribendũ nõ solũ priuatis affectibus seu etiã simultate quadã laborasse, quin etiã impenere, et calũniari. Nã quæ tunc gesta sint, neutrũ me latent. Et si quando præterire nõ potest, quin aliquid de Carolo Cæsare inuictissimo, uel de Catholica religione bene dicat, hoc ipsum tam obscure facit, ut a paucis intelligi queat. Aut sane si clarius exprimere cogitur, addit, ut fertur. Et licet Confessionẽ Augustanã multis passibus Catholicæ Religioni præferat, nihilo certe minus, facillime ex uerbis suis colligi potest, q religioni parũ aut nullo penitus modo faueat, ex quo Augustanæ Cõfessionis pinde fere ac religionis Catholicæ sectatores seu imitatores magis pie & Christiane de Sacramẽto Altaris diuinissimo quã Sleidanus ipse, sentiãt. Nã quoties illius sacrosancti mysterij, q in altari peragitur mentionẽ facit, id appellat panem azymũ. Ath æc quã infideliter ea quæ ad Catholicorũ partes maxime spectant intricet, et circunagitet, nõ tantũ uiuis adhuc testibus, qui multo aliter rem geri uiderunt, uerumetiã plerisq; scriptoribus cõprobari potest, q uicissim longe secius & quidem fidelius sua referunt quã Sleidanus ille. Fateor equidem uerũ esse cũ lemuribus, aut (ut ita dicam) manibus, omnino uel temere dimicari nõ debere, uerũ quia huiuscemodi laruis ipsum uulgus periculis distenditur, eidẽq; mendacia pro ueris inferuntur & inculcantur, nec indignũ nec iniquũ uidetur, si hac ex parte quisq; se tueatur, q potest, præsertim quũ etiam Sleidanũ minime pudeat, nedũ mortuos, uerũ etiã diuos, qui ita cũ Christo pfruuntur æterna, p uiribus calũniari, & summũ Dei sacerdotem, diuino iã licet iudicio subiectũ, tã ignominiose ad cõmunem rudẽq; populũ deferre & traducere nõ ueretur. Eo nimirũ in loco ubi Pauli 3. describit obitũ, Iesu Siraci doctrinã turpiter prætergreditur. Vt aũt istiusmodi piaculũ atq; flagitiũ palliaret, ait, Italũ quendã Bernardinũ Ochinũ, authorẽ et testẽ huius rei existere. Licet q forte quidã Italus uindicãdi libidine stimulatus, inauditũ illud crimen & scelus excogitarit, Sleidanus, tamẽ si qd pectoris & euãgelici salis habuisset, utique nõ debuisset ut quondã maleferiatus et execratus ille Cham, patris pudorẽ toti reuelasse mũdo, maxime uero quũ credibile nõ sit mortaliũ

aliquem

áliquem tam impium uiuere, qui tale flagitium (quale nobis refert Slei
danus) patrarit, & non sit a Deo subito correptus & sideratus sit &
interfectus. His & alijs crassissimis & perniciosissimis sane errori-
bus, in quibus Sleidanus ipse nimium suis affectibus indulget, commo-
tus & coactus sum, paucis ea quæ manifeste uerissimeq; gesta sunt,
quæ ipse partim apud fide dignissimos legi historiographos, & meis
oculis uidi, auribusq; hausi, partim etiam quæ ex bonorum amicorum
communicatis scriptis assequi potui, hac Epitome nostra (in qua qui-
dem obiter res gestæ ab anno Domini 1500. ad annum usq; 59. narran-
tur) describere, ac typo euulgare: si forte (quod futurum spero) qui-
spiam istarum rerum certior ad plenum effectus, hinc excitetur ad tuen
dam ueritatem, & errorum Sleidanum illũ conuincere studeat. Quan
quam uero quorundam hauddubie indignationem & maleuolentiam, mi
hi sim hoc meo studio atq; labore conciliaturus, tamen hic me solatur
commune prouerbium, quo uulgo dicitur, Licet ueritas odio sit, tamẽ
ad extremum ipsa perpetuo uincit. Adhæc etiam quantũ attinet ad
meam præsentem operã, non mediocriter me in medio quasi constitutũ
illorũ liuore recreat propria consciẽtia, quæ testatur, quod nihil aliud
intendam, quam pro meo modulo Dei gloriam promouere, & Catho-
licæ Religionis utilitatem & conseruationẽ asserere. Quum proinde
Reuerendiss. Princeps Elector, Gratiosissime Domine, Tuæ Cle-
mentiæ indubie gratum futurum sit, quicquid ad assertionem Catholi
cæ religionis aliquo modo facit, a quocunq; id etiã sit profectũ, deinde
quũ in tua Diœcesi (quã T. C. Deus omnipotẽs administrandã mode
randãq; tradidit) plurimi q; etiã metuendũ est, Sleidani scriptis, cõtra
uerã, Catholicã, Christianã, authenticã et, antiquitus cũ maxima lau
de traditã receptãq;, aliquo offendiculo impugnari & ad sinistrã quan
dã suspicionẽ rapi & præcipitari possint, hoc in uolumine satis clare
efficaciterq; demonstraui, Sleidani scriptũ, non esse Euangelium, uel
tanq̃ Euãgelio credendũ, maxime cũ in rebus adeo manifestis (ut etiã in
margine nostri uoluminis annotatũ est) q̃ uel inter Cæsares & Reges
& cõmunes pariter Imperij ordines clanculũ & secreto gestæ sunt, hal-
lucinetur & oberret. Hoc igitur studiũ & qualencũq; laborẽ, deniq;
quicq̃d inde boni potest oriri, T. C. (quã Deus suæ Ecclesiæ in psspe
ro statu conseruet) humillime dedicatũ iri nuncupatumq; desidero, ob-
nixius orans atq; obtestans T. C. quatenus animi mei sententiã ac uo-
tum, nec non & laborẽ, pro ingenita benignitate, gratiose suscipias.
Datum ex nostra typographia, die 9. Martij, Anno 1559.

Tuæ Clementiæ obsequentissimus Iaspar
Gennepæus, Ciuis Coloniensis.

RERVM MEMORABILIVM QVAE AB ANNO DOMINI M.D. AD ANNVM VSQVE LIX. IN REPVBLICA CHRISTIANA

gestæ sunt: ex Commentarijs Iohannis Naucleri, Pauli Iouij, Nicolai Basely, Iohannis Carionis, Doctoris Fontani, Conradi Lycosthenis, Sebastiani Franckij, Actis Lutheri, & Iohannis Sleydani, &c. uera & succincta narratio: Cum diligenti annotatione eorum, quæ Sleydanus ex affectu potius quam ueritatis studio perperam & falso conscripsit.

Liber Primus.



NNO a Natiuitate Christi Iesu sesquimillesimo, uicesimo & quinto die Mensis Februarij, qui dies tunc erat anni inter calaris, Carolus V. orbis Christiani moderator potentissimus, Gandaui, quod est totius Flandriæ metropolis augustissima, natus est, patre Philippo Maximiliani Augusti filio serenissimo. Nauclerus. Imperator Carolus V. nascitur.

Hoc eodem anno cum Rex Lusitaniæ classes aliquot ad lustrandas nouas insulas meridiē uersus emisisset, repertæ sunt a suis Insulæ ualde peregrinæ antea plurimis incognitæ, ubi degebant homines feri & soliuagi, uiri atq; mulieres prodigiosæ magnitudinis, animoque truces, & in tantum ad resistendum nocendumque faciles. Quoties enim classiarij ipsi expatiari uellent ut insularum naturam hominumque ibidem statū & sortem cognoscerent, ex insidijs uidisses insulanos illos immaniter prorumentes, quos nisi tempestiue machinis bellicis a se profligassent ex improuiso iacturam atq; periculum sustinuissent. Nauclerus. Munsterus.

Hæc autem insulensis prouincia Regio Gigantum est appellata, a proceritate inhabitantium. Cumque pernauigassent regionem hanc, in aliam deriuati sunt, unionum fertilissimam, ut etiam pro speculis & ornamentis aut deniq; suppellectili communi & mercimonijs alijs lapillos reciperent prætiosissimos. Conchas quoque margaritis plusquam centum & triginta undiq; stipatas inibi inuenerunt. Terra Gigantum.

DIE uero decimo Maij, anni sequentis inclytus idem ille Rex 1501.

A Emmanuel

Emmanuel trieres tres cum amplissimo commeatu diuersoque apparatu bellico instructas ad plagam meridionalem sub æquinoctium transmisit. Qui cum aliquādiu nauigassent, in insulam quandam deuenerunt, quæ homines feris immaniores habebat.

Pyras hi incendebant, fumos in terra excitabant, Hispanos nimirum & Lusitanos ad se pellicere cupientes, utinam frustra. Siquidem cum duo nauim egressi barbaræ & inhospitalis illius gentis & insulæ naturam indagare, uellentque nunciare, ultra non comparuere. Dubitantibus autem ijs qui in naui manserant quidnā duobus illis accidisset, alios adhuc exire permiserunt, quatenus uel ab istis certiores fierent tam de situ & cultu insulæ, quam de mora & remansione eorum qui nuper exierant & necdum redierant. His itaque egressis contigit ut hi ipsi in multitudinem fœminarum barbararum inciderent, quæ mox terga uerterunt absterriti illorum conspectu. Quarum fugam ægre ferentes, eo quod desiderarent gestus & mores earundem contemplari ac discere, unum constituerunt ex ipsis, qui solus illas adiret, tutius & commodius quod fore sperabant, una cum ipsis animi sui sententiam communicaturus & interpretaturus quantum posset cæterorum nomine & suo.

Qui inter conferendum circumuentus fuste percutitur, & in terram prostratus uinctis pedibus ad montem deportatur, moxque uiri agmine facto ad naues accurrunt, iacula immaniter uibrantes in Hispanorum classes, qui uicissim ut facile poterant, sclopetarum uiolento fragore irruentem crudeliter turbam exterruere, ut fugā prepostcram maturarent ad montem in quo carnificinam ipsorū uxores inhumaniter exercebant. Nam in frusta cadauer Hispani illius nuperrime abrepti membratim concidentes, & confixa uerubus ad terrendum & suffumigandum, deuorandumque postea, ijs qui in nauibus erant ostentabant. Ex quo quidem horrendo nimis spectaculo animaduerterunt duos priores quos antea dimiserant exploratores, atrocitate non dissimili trucidatos esse. Profecto fratrum haud inultum suorum cladem infandam finissent, nisi maius dispendium & commune periculum metuissent. Idcirco perturbati & cōterriti istinc discesserunt. Nihilominus institutam nauigationem quantumlibet longinquam & periculosam diligenter & indefesse exercuerunt, & frequentarunt, Hispani uidelicet cū Lusitanis, potissimū circa Meridiem & Occidentem, ut tandem assecuti sint iter apertū, seu aditum, quo pergitur in Orientē, imo & Indiam. Sicq; uel hinc quidē Catholici Reges Hispaniæ talē in natio-

nibus quondam deſertis & inuijs iuriſdictionem & potentiam
nacti ſunt & in his obtinent, ut oppidis arcibusque erectis decora-
rint, eaſdemq; munierint & fide & muris. In una ſiquidem inſula Hiſ-
paniola nominata, uiginti octo torcularia poſita ſunt, quibus zac- Naucleru*s*.
carum quo & affluit eadem illa inſula exprimitur, & colliqueſcit. Cario.
Hæc demum inſula profert nobis lignum Guaicum, quo utimur ad
ſuccurrendum infirmis.

Præterea eodem hoc anno in ueſtibus hominum ac mulierũ
præſertim, ſanguinolentæ cruces ex aere delapſæ apparuerunt, ſic & Munſterus.
in uirorum quoq; camiſijs deprehenſæ ſunt.

Hoc inſup tempore Iohãnes quidam ab Eltz dictus, equitum
peditumq; contraxit exercitum, quo fretus ille Boppardiam Ciui-
tatem regalem Diocœſi Treuireñ. oppignoratam, interdiu nemine
reluctante inuaſit, expulſisq; Treuireñ. turres, murosq; cum ſuis
munimentis, telonium deniq; & quicquid inibi repperit, in pote-
ſtatem ſuam accepit.

Sub id quoq; tempus Philippus Archidux Auſtriæ fœdere cum
Gallo inito una cũ ſua Coniuge Ioanna Caſtiliæ regina, per Fran-
ciam in Hiſpaniã profectus eſt, q paſſim honorifice & glorioſe ex-
ceptus eſt, atq; deductus a Satrapis Franciæ, ſed nuſq̃ glorioſius &
ſplẽdidius cohoneſtatus atq; ſuſceptus eſt, quã Lutetiæ Pariſiorũ.

Adhæc eodem hoc anno magna fames in Sueuia deſeuijt præ
nimia caritate annonæ, quam Argentineñ. frumento quod diligen-
tius aſſeruarant & recondiderant, abundantes, leuarunt, mediocri
præcio contenti.

Durante hoc temporis curriculo Baſilæa ab Imperio Romano, Baſilæa Hel-
cui tamẽ immediate ſubiecta, deſciſsens, Heluetijs adiecta fuit, ſan uetijs ſe fœde-
cito inter ſe fœdere. Qua de re literæ Lucernæ cõſignatæ ſunt, nono re iungit.
die Iunij. Ad quã etiã emulationẽ ꝓuocati fuere Schaffhuſenſes, die
decimo Menſis Auguſti, & ab Imperio Romano ſeſe ſubducentes,
Heluetijs ſe ſubmiſerũt, fœderibus pariter acceptis, addictisq;.

ANno a partu uirgineo M.D.ij. ingẽs clades uniuerſam Germa-
niam ꝑuagauit, ut multa hoĩm milia extincta ſint ſubito. Pro- An. 1502.
uerbiũ erat tũc multisq; quaſi e tripode ꝓfectũ celebre habebatur, Nicolaus Baſelius.
omnes illos nimirũ in quorũ ueſtimentis ante crucis inſignia ut ſan Peſtis graſſatur.
guis uel cruor rubentia reperta fuerant e medio ſublatos iri. Ruſticorũ cõ-

Hoc tempore in Diocœſi Spirenſi, nõ procul a Sueuorũ Bruxel- iuratio.
la, ruſticorũ cõiuratio exorta fuit, in ꝑniciem & rebellionem ꝓpoſi-

torum suorum legitimorũ. Dum aũt duo ex coniuratoribus illis (Deo utiq; sic pronidente) comprehensi in quæstionem darentur & affligarentur, confessi sunt maiorem ciuium partem memorati municipij in ea esse coniuratiõe, & indies plures ad hanc cõfluere. Erant etiã turbarum istarũ antesignani duo, quibus unaquæq; turba auscultabat seu etiam parebat. Leges uero coniuratorũ duæ potissimũ erant. Quarũ ista prior fuit: Quod alienæ potestati subdere se minime uellent, quinpotius eniterentur per se liberi fieri, excusso quocunq; iugo. Posterior, unumquemq; cõspiratorẽ ligabat ad cõmunem quandã præcationẽ pro successu fœliciori initæ conspirationis. In quã nemo alius assumebatur, nisi qui hisce legibus satisfacturum se spondebat cũ iureiurando. Et quo propositũ ipsorũ firmius atq; secretius haberetur, uerborũ quorundã inuolucrum cõfinxerunt, unde se mutuo tutius agnoscere possent. Quod fere tale fuit. Sciscitante ex illis aliquo: Quid est in rebus? Respõdebat alter, siquando cõiurationi succedere uidetetur: Nõ possumus præ multitudine Paparũ consistere. Præterea firmiter apud se statuerant, Ecclesiarũ & cœnobiorũ prouentus cum bonis omnibus diripere, ac postmodũ Marchionẽ Badeñ. & Episcopũ Spirensem profligare & spoliare, ac in uniuersum quotquot ipsorum institutũ improbaturi essent, crudeliter trucidare, direptis ipsorũ possessionibus. Sed quãprimum cõiurationis huius intentio in lucẽ prodita est, socij illius cum antesignanis ultimo sunt affecti supplicio.

Munsterus. Eadẽ hac tempestate Nurenbergeñ. ad paganalia profecti, a Marchione in nemore cum suis delitescente, interfecti sunt ex his plurimi. Nã utrinq; nõ minus quã mille perierunt ibidem.

An. 1503. Nicolaus Basellius. ANno M.D.iij. diuturna hyems multumq; acerba propter intolerabile frigus extitit, quã deinde subsecuta fuit æstas calida ualde & sicca, adeo ut fœnũ prius exarescẽret, quã posset tempestiuã maturitatẽ nãcisci. Parũ auenæ natũ est, & frumẽti magna caristia fuit, porcorumq; infinita prope strages. Interea ex Hispania in Gallofrãciam Archidux Austriæ Philippus abijt, consedit q; Lugduni, ubi concordiã & pacẽ inter Germanos, Hispanos atq; Gallos die 23. Mẽsis Martij cõciliauit, quæ & 4. Aprilis euulgata preconũ uoce fuit.

Die uero 18. mẽsis Augusti anni eiusdem, Alexander Pontifex Maxi. anno pontificatus sui duodecimo, Romæ exanimatus est. In cuius locũ suffectus est Franciscus Cardinalis Seneñ. Pius tertius deinde uocatus, q morte præuẽtus est post dies sedecim. Huic igitur successit Iulianus, & Iulius 2. appellatus est. Hac

Pius tertius, Iulius 2.

Hac deneq; ætate Dux Bauariæ Georgius fato functus est, qui hæredem unicã filiam Elizabet nomine reliqt, iam annis quatuor ante patris obitum Ruperto Palatini filio traditam in coniugem. Hic post mortem soceri sui oppida & loca ipsius sibi uendicabat, ut hæres ex nomine uxoris suæ. Quod indigne ferẽs Dux Albertus, & ad se hæreditatẽ pertinere potius existimans, Rupertũ reũ fecit, quod is Georgij demortui ditionẽ usurpasset pariterq; obtinuisset. Ideoq; ad Maximilianum Romanorũ Regẽ causa delata fuit. Qui uocatis ad se duobus his principibus inter se altercantibus, totis uiribus litem atque discordiam obortam componere studuit. Sed Rupertus Dux, sententiæ ac definitioni Regis Romanorum, nec iustis alioqui medijs noluit, aut non potuit, acquiescere, nonnullis dissuadentibus.

ANno uero partæ salutis M.D.iiij. cum nimirũ Regia Maiestas cõsideraret omnẽ ipsius conatum & benignã solicitudinẽ quã impendisset cõponendi dissidij inter memoratos Duces gratia, alte rum ad huc reluctantẽ, Rupertũ nẽpe, eosq; pariter qui a partibus illius erant, reum læsæ maiestatis declarauit, seu etiã censuris imperialibus in illũ, tanq̃ rebellẽm animaduertit, simulatq; Philippo ad Rhenum Palatino denunciatum est, ne filio suo Ruperto suppetias alicunde ferret. Qua de re Palatinus cõsternatus (quod creditu & persuasu facile est) aĩo ualde pplexo & anxio cœpit esse, cum q̃d affectu paterno filio succurrere desideraret, tum quia interdictum imperiale urgeret. At uicit tandẽ natura mandatũ, & pater filio pro uiribus subuenit. Quocirca Romanorũ Rex omnes proceres regni sui, omnẽ magistratum, omnes denique sibi subiectos ad arma contra rebelles principes prouocauit, ijsque liberum fieri uoluit armatos in aciem aduersus illos prodire, & persequi, publicatis ipsorum bonis. Suscepta igitur hac proscriptione, plurimi satrapæ regni, ferro & igni bellum gesserunt, maxime uero omniũ Hassiæ Lantgrauius utrunque damno affecit, & infinitos ppe pagos Vuormatiam inter & Crucenacum conflagrauit, & ita fatigauit, ut Palatinus coactus sit sese demittere. Quod cum rescisset Cæsarea Maiestas, & nonnulli principes, præcipue autem Marchio Badeñ. intercessissent, & Cæsari pro eo supplices fuissent, misertus tandem, crimen clementissime condonauit, & in gratiam receptus est, sedatoque tumultu & mœrore, quisque ad sua redijt.

An. 1504. Nicolaus Baselius.

Manlerũs Cario.

An. 1505. ANnus aderat M.D.v. quo Cæsar Maxi. in Agrippinen. Colonia bellum quod inter Philippū Palatinum & Ducem Albertum a Monacho composuit, celebratis ibiden comitiis. Quibus gestis die 18. Iulii, Colonia discedens in Gelriam cum Dynastis & nobilibus uiris qui ad comitia uenerāt, nauigauit, Brabātis opitulaturus, qui Arnhemum obsidione cinxerant. Cuius aduentum reformidans Gelriæ Dux, Maiestati Cæsareæ se mox dedidit, Ciuibus aūt soluto iam obsidio nihil prorsus damni illatum est.

Comitia Coloniæ. Nicolaus Baselius. Arnhem obsessa.

Posteaquam autem ex Brabantia in Alimanniam denuo rediret Imperator Maxi. Ciues Colonien. suæ Maiestati ordine decentissimo ornatissimoq; occurrerunt, honore debito eandem prosequentes, ut que aggratulationis specimen amplius exhiberent, lætabundi ciues, mox tota Ciuitas Campanarum Clangore suauissimo perstrepuit.

An. 1506. ANno Christi M.D.vi. Aduersus Vngares rebellātes Cæsar exercitum instruxit. Sed conditiōibus qbusdam, ac Regū quorundam & Principi interueniente patrocinio, subsequuta pax est.

Nicoldus Baselius.

Hoc insuper anno tanta lues in Sueuia & ripa Rheni porcos inuasit, ut pluribus ibidē in locis caro suilla uendi nō posset. Præterea eo seculo Francorū Rex fœdus quod nō ita pridē cum Rege Romanorum pepigerat uiolauit, tametsi ad istius fœderis maiorē sanctionem ineundam, sumpto Euangelii codice, sumpta quoq; sacræ synaxi corā Deo & angelis prius esset protestatus, commodatumq; recepisset a Regia Maiestate Insubriam.

Munsterus.

Item sub id tempus a festo Michaelis ad festiuitatem usq; Dñicæ incarnationis tanti calores, imo etiā æstus (paucis certe diebus exceptis) uiguerunt, ut pruina nulla, nihil grandinis, aut deniq; niuis appareret, at circiter D. Ambrosii feriam, de repēte frigus tam immensum, niuis & grandinis tanta copia, tantæq; procellæ sunt exortæ, ut seges passim (quæ propiciā satis auram nacta excreuerat) uastaretur.

Interea cum Philippus Rex Castellæ, Dux Burgundiæ &c. Imperatoris Maxi. filius una cum sua coniuge in Hispaniam proficisci destinasset, & producta in mari classe, cum principibus & nobilibus dies uiginti prospere nauigasset, nec ita procul a Corsica abesset, ex improuiso tempestas ingruit & cōmotio, adeo uehemens ut naues illæ in magnum discrimē uenerint, & a se inuicem soluerentur: quarum una quidem submersa est, & centum pariter in ea homines. Na

uis autem Regia difficulter admodū uadum aliquod accipere potuit, quod tamen accepit in Anglia. Cum igitur intellexisset Rex se cum suis euasisse, reliquas autem naues adhuc periclitari posse agitarique fluctibus incertis (nimirum non inuento Rege quem inprimis seruare debebant) undique suppetias obuiam illis misit.

Quibus fretæ post diem unum aut duos in portū Anglicum deductæ sunt simul omnes, una tantum excepta. Quicquid damni nauibus ærumnosum salum intulerat, reparatum est, & resarcitum, ac tunc instructis sic satis nauibus, imploratoque Dei in primis auxilio, & S. Iacobi patrocinio inuocato, uela uentis iterum dederunt Hispanias uersus, deueneruntque in ciuitatem Perona uocatam. Vbi relicta classe, pedibus deinceps iter ad Sanctum Iacobū in Galitia confecerunt, inde uero Burgum Castellæ uenerunt.

Hic Philippus Rex posteaq̄ lecto decubuisset diebus uiginti, obijt ibidem in palatio suo morte præmatura, die 17. Septembris, annos natus 28. Cuius intestina Burgi, Cor autem Bruxellæ Brabantiæ, corpus deniq; in Granata conditum est, ut uiuus quondam fieri præceperat.

Demum hoc eodem anno Lubecen. contra Principem Meckelburgensem cum fœderis socijs bellum haud sine iactura gesserunt.

ANno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentisimo septimo, Romanorum Imperator Maximilianus comitia indixit egitq; Constantiæ, in quibus plurima de obluctatione Venetorum tractabantur. Hi nanq; cum audissent Cæsarem Maximilianum in Italiam iter adornasse ut in augararetur Imperio, cum Rege Gallorum pactum inierunt, quo possent commodius atq; ualidius institutam profectionem & inaugurationem impedire. Quod factum indigne ferens Romanorum Rex, proceribus & totius Regni potentia inuocata, Venetos execratus est, unde continua bella prodierunt. An. 1507. Manfterūs Cario.

Sub idem istud tempus, mense Iulio, subito importunissimi uenti perpetuo spiritu exaduerso flantes, robora magna arboresque altissimas radicitus subuerterunt, domibus denique & arcis uastatis.

An. 1508. ANno Domini M.D.viij. humanis excessit Palatinus Philippus Elector &c. Mense Martio, longa & diuersa infirmitate, podagra scilicet & lithiasi seu calculo cõsumptus, anno ætatis suæ Quinquagesimo nono. Corpus ipsius ex Germersheim Heydelbergam translatum est, & in choro collegij Sancti spiritus honorofice & magnifice iuxta sepulchrum coniugis suæ sepultum.

AEstas huius eiusdem anni frigida & humida extitit, adeo ut armenta & pecudes intercutem aquam contraxerint, & perierit earum ingens multitudo.

Hermanus Lantgrauius Hassiæ, Archiepiscopus Coloniensis moritur.

Hoc etiã anno Albertus Bauariæ Dux e uiuis decessit mẽse Aprili, ac honeste Monachi sepultus est, filios post se reliqt tres. Vuilhelmum, Ludouicũ & Ernestũ, filias uero quatuor. Vxor sua uidua Cæsaris Maxi. soror, seculo renunciãs diuitijs pariter & delicijs institutũ D. Augustini ꝓfessa est, in quo sancte pseuerauit. Eodẽ istoc anno diẽ clausit extremũ Archiepiscopus Colonieñ. Hermãnus, Hassiæ Lantgrauius, mense Octobri, expleto Episcopatus anno 28. Cuius corpus Coloniæ in tẽplo cathedrali magnifice traditũ est sepulturæ. In huius locũ substitutus est Canonice Decanus illius tẽpli Philippus ab Oberstein. Postremo hoc anno ad calendas Augusti circa oppidum q̃d Stutgardẽ uocãt, tanta uis pluuiæ cũ subitis & inæqualibus ꝓcellis irruit, ut uererẽtur multi ne ciuitas diluuio mergeret, eo quod mœnia magno impetu particulatim ꝓsternerẽtur. Suffocabãtur homines, bruta quoq; fluctibus opprimebantur. Vites denique ad radices usque denudabantur & absorbebantur.

An. 1509. ANno post Christum natum M.D. ix. mense Martio, subora est Erfordiæ ingens seditio, propter annuas nouationes & exactiones quæ ciuibus imponebantur.

Seditio Erdfordiana. Nicolaus Baselius.

Ciuitas undiq; tumultuabatur, turmatim cõuentũ est, cõcursum est ad basilicã ciuitatis, & a Magistratu certiores fieri uolebant, cur toties nouis deprimerẽtur exactiõibus, & quãtũ ciuitas ære alieno laboraret. Senatus modeste populo respondebat, ipsisq; diẽ addixit quo uellet rationẽ dati & accepti cõmunicare, & exponere. Ad quẽ ciuiũ noĩe deputati, comparuerũt, qui ꝓmissam expensarũ rationẽ exigerẽt, quos unus e Senatu uilipẽdẽs, amplius ipsorũ animos exacerbauit, sic, ut cũ turbis magistratũ opprimere certarẽt, quasi iniuria affectos, quos suo ipsorũ nomine subornauerant. Verũ cum iuramento sese magistratui deuinxissent, quo etiã remorati sunt, paululum mitius egerũt. Nihilominus consulẽ eo coegerũt ut eum q̃ sic missos seu deputatos ipsorũ noĩe abierat, carceribus mãcipandũ traderet,

traderet. Posthæc senatores suis honoribus exemerunt, claues, tabulas accepti & expensi, thesauros & omne æs in suũ ius redigerũt, aliosq; nouos substituerũt & crearunt senatores, q possent ex omnibus rationarijs, seu ut uulgo dicunt registris & rationibus sumptuarijs, totius ciuitatis, statũ illis significare & declarare. His aũt ita constitutis, compertũ est ciuitatẽ debuisse florenorũ sexcenta milia, pro quorũ dissolutiõe seu exoneratione annuis teneretur decisionibus ad triginta milia florenorũ. Sed quum ex aduerso reditus in summas reduxissent, qui quouis anno, municipio cõpetebant, animaduerterũt, quod milibus aliquot reditus q singulis annis ciuitati cessérant, rationẽ expensarũ excederẽt. Hinc multo amplius populus exasperatus cõtra magistratũ nuperrime exauthoratũ, huic manus inferre ac neruis corripere uolebat. Verũ mox ubi rescicẽt id repudiati, domibus ac ciuitate cesserũt, alij hic, alij uero illic. Quidam tamẽ ex his correpti sunt. Ac propterea qdem Erfordiæ decretum est & ratum, ut nimirum deinceps annue nouus creetur Magistratus, qui ab eo dẽ defunctis, rationẽ dati & accepti exigerẽt.

Inter hæc mense Augusto Lantgrauius Vuilhelmus anthrace seu igni sacro, alijsq; curatu difficillimis morbis exhaustus & consumptus, tandem morte uitam commutauit.

Sub id deniq; tempus quarto die decimo Iunij terræ motus ingens Cõstantinopolim cõcussit diebus octodecim, intantũ ut mœnia & uniuersæ domus quæ ad mare sitæ fuerant, magno cum impetu & damno corruerint. Thesauraria quoq; domus Imperatoris Turcarum, turribus quatuor munita ceu propugnaculis, ædificiũ sane quã splendidissimum, ubi asseruabantur Leones, cum alijs emporij huius magnificis ædificijs & munitionibus, concidit.

Accidit etiã hoc terræ motu mare sic intumescere & eleuari, ut se se ultra mœnia Cõstantinopolitanæ ciuitatis fluctus pcellosi ingererẽt. Fertur q̃d hac inundatiõe hoĩm ibidem tredecim milia perierint.

ANNO salutis humanæ *M.D.x.* Augustæ Vindelicorum comitia denuo habita sunt, quibus multi Principes Germaniæ interfuere. Comparuerunt etiam oratores Regis Francorum, Ferdinandi Regis Aragoniæ, & Vladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ. In quibus quidem Comitijs uaria contu- An. 1510. Nicolaus Basellius.

contulerunt inter se Principes, de susscepta a Bohemis contumacia & rebellione. Praeterea definitum est a Regibus & Principibus ibidem, bellum esse gerendū contra Venetos, qui ut tunc primum patuit, iam furciferos aliquot mercede conduxerant, qui intempesta nocte oppida & pagos ignibus concremarēt, quod in quaestione cōfessi sunt, quotquot ex his furciferis iniquo & crudeli stipendio authoratis, comprehendi potuere.

Notatu dignū miraculum.

Interea temporis horrendū plane & impium facinus in Marchionatu Brandeburgeñ. contigit. Nam impius quidā fur die sexto Februarij noctis horā circiter secundā, Paulus nomine, cognomine Form, phanum, cuiusdam pagi Knobloch subingressus, thecā argenteam, sed inauratam, in qua seruabatur sacramentū altaris augustissimū, furtim abstulit, ac interdiu Iudaeum quendā adijt, ut sacram illam thecam apud eundē aere permutare posset. Visa theca respondit Iudaeus raptori, Maluissem id a te recipere q̄d in hac theca exhibitum fuit, si tecū attulisses liberaliter exoluissem. Hoc audiens fur mox protulit emptori Sacramentū, quod celatum gerebat, emit Iudaeus, numeratis nouem solidis, quorū xxxij. ualent floreno Rheneñ. Fur sceleris conscius prae nimijs angustijs nulla certa consistere sede poterat, fugiebat in Vuenden. illinc domū rediēs comprehenditur, torquetur, & impietatem confessus ordine furtū narrat. Iudaeus aūt recepta hostia sacra, eam pugionibus confodere tentabat, sed integra ac solida mansit. Indignans Iudaeus hostiā uiuificam his uerbis incessit: Si Christianorū tu Deus es, in mille diabolorū nomine idipsum manifesta: mox uiua hostia in partes tres diuiditur rubeo sanguine manans. Obstupuit ille & partes sudario illigauit, ac uno mense sibi retinuit. Postmodū uero duobus Iudaeis, perfidiae suae socijs, quorū unus Brandeburgi, alter Stendeleae morabatur, unicuiq; partem misit hostiae miraculosae, tertiam reseruans, quam denuo arrepto mucrone transuerberat, & sanguis effluit. Veritus autem atheus ille, ne factum proderetur, hanc partē sanguinolentam in flumen eijcit. Sed cum neutiquam mergeretur, resumpsit, & in flammas conijcit, eundem nihilominus statum retinuit.

Appropinquante die azymorum, partem illibatam azymo commiscuit, ex eo infermentatum panem sibi conficiens. Vbi furno iam caliginoso imposuisset, illico tetus illuxit, & in

in oculos exilĩt Iudæi. Conterritus ipſe panem hunc azymum, cui nimirum admiſcuerat deiferam illam partem, Iudæo cuidã donauit. Interim Marchione innotuit, quod Euchariſtiam fur ille ante dies aliquot a ſuis ſubditis captus uiro Iudæo diuendidiſſet. Idcirco mãdauit omnes Iudæos inquilinos & tributarios ſuos comprehendi, deſtinatisq; tormentis examinari, & inter alia quæ commiſerant ſcelera, etiam confeſſi ſunt, intra annos aliquot Chriſtianorum infantes ſeptem ſe trucidaſſe, & acubus enecaſſe. Igitur triginta & octo ex his palam die xix. Menſis Iunij, ad tribunal productis, confeſſio ipſorũ prælecta fuit, quæ & mortis reos effecit, moræque condemnati ad cineres uſq; exuſti ſunt. Tres quoq; ex iſtis morti adiudicatis Iudæis baptizari uoluerunt, proximo die baptizati duo tantum, capite truncati ſunt, tertius multis tandem patrocinijs liber euaſit, qui D. Franciſco poſtea nomen dedit. Cæterũ fur ille & alter ipſe Iudas, forcipibus excarnificatus, ad extremũ incendio penitus conſumptus eſt. Deniq; exilio omnes Iudæi a Marchione mulctati ſunt, ſub pœna capitis. Eodẽ anno prope Mediolanum lapides multi magnæ molis ex aere ad terrã deciderũt, quorum unus centumpondium & xx. habebat. Durioribus ſilicibus erant & ſaporis ſulphurei. Conradus Lycoſthenes

ANno Natiuitatis Dñi M.D.xi. Maximilianus Rex Auguſtæ comitia inſtituit. Vbi homo quidam inhumanus & craſſus Cæſareæ Maieſtati exhibitus eſt, inexplebilis uoracitatis, qui crudũ uitulum aut ouem incoctam uno tempore deuorabat, nec exatiari poterat. An. 1511. Nicolaus Baſelius.

Per idem tempus quidam in Senatu Conſtantienſi ab Imperio deſciſcere uolebant, & ſeſe & ciuitatẽ Heluetijs dedicare. Quod ut primum ij compertum habuere qui partes Imperij promouebant, præſertim Piſcatorũ ſocietas, confeſtim Regi Maximiliano Conſilium illorum inſinuarunt. Quo audito Cæſarea Maieſtas ſocijs imperij cum trecentis equitibus in auxilium uenit. Cuius aduentũ reformidantes ſeditioſæ turbæ ciuitatem deſeruere. Sed quoſcunq; iſtius factionis comprahendebant, decollabantur.

Eadem hac tempeſtate Iulius ſecundus Concilium Oecumenicum Romæ celebrandum deſcribi iuſſit, uerum uitæ anticipatus, nihil inde ſingulare ſubſequutum eſt.

Hoc

Conradus Lycosthenes. Hoc deniq; seculo, in ipsa meridie astrorū magna claritas Mediolani obtutibus ciuium ibidē reposita fuit. Et non longe post Franci Ciuitate eiecti sunt.

1512. Nicolaus Basileus. ANno a Christo nato M. D. xij. longa, pluuiosa ac horrida hyems fuit. Vnde passim in Germania morbosa lues, homines diuexauit, multosq; extinxit.

Quo insuper anno Imperator Maximilianus Herpibolim, quod uulgo Vuirtzpurgum nominăt, uenit, die uidelicet xxij. Februarij, ibidemq; Bacchanalia feriatus est. Et inde ad Occidentalia regna secessit, ubi & magnificentia principali & festiue exceptus est, simul atq; tributum annuum accepit, quem etiam liberaliter annumerarunt illic indigenæ. Posthæc undecimo die mensis Aprilis Treuerim appulit, ubi principibus suis diem comitialem præscripsit. Ad quem Heroes Imperij, Duces, Comites & Satrapæ comparuerunt. Præterea Ciuitates (quas ob libertatem & priuilegia imperiales uocant) eo loci suos destinarunt caduceatores. Tumq; Cæsarea Maiestas Altare templi Cathedralis aperiri reuerenter admisit, in quo sacra illa Iesu Christi inconsutilis tunica seruabatur, cum alijs ueneratione dignissimis reliquijs, quæ Treueri cernuntur.

Hoc eodem anno tragœdia inter Senatum & uulgum Spiræ excitabatur, sed quam Maximilianus Cæsar moderari potuit, atq; repressit una cū Dynastis huic loco uicinis. Porro Senatoribus profugis ciuitatem ingredi non permittebatur.

Per idem tempus Gallorum Rex Ducē Gelriæ contra Brabantos excitauit, super hæc cum permultis alijs equidem memorandis fœdus quod inierat cum Cæsarea Maiestate irritum fecit. Eaque de causa eadem Maiestas pactum sanxijt cum Pontifice Maxim. præcepitque omnibus imperij proceribus sub grandi mulcta ne quisquam eorum ad Gallum deficeret, seu etiā ullo modo succurreret. Tunc temporis obedientia nigebit in Imperio. Quod quidem mandatum Cæsaris Emichus Comes a Lyningen p minimo ducens, contractis eductisque clam copijs ex Treueri abijt in Franciam, & interminato sibi Regi se coniunxit. Hoc cum audiuisset Cæsar, contemptorem & blasphemum Maiestatis proscripsit, ac Ludouico ad Rhenū Palatino Electori iussit, ut proscripti Comitis arces, munitiones, pagos, omnemq; bonorum sortem occuparet. Quibus omnibus prompte Palatinus acquiescit. Alij quoq; Principes erant qui reum læsæ maiestatis mulctarunt, redactis

ctis in ipsorum potestatem aliquot propugnaculis, E quibus Dux Vuirtenbergen. unus obtinet hodie Castrum Hartenburgum.

ANno præstitæ salutis M. D. xiij. Vuormaciæ non modica inter Cives & Magistratum est coorta seditio. Sed enim malevolorum quorundam hominum instinctu cives adversum senatores insurrexerant. Senatores ergo exauthorant, & ex semetipsis novus fit magistratus. Debebant autem priores consules aut saltem maior pars Vuormatiam egredi. Cæterũ imperator in Elsatiam Satrapam legat, qui intertractaret, & originem eiuscemodi seditionis indicaret, tum deniq; illius flammas consopiret restaurata cõcordia, incensoribus quoque seditionis sicubi comprehendi possent, secundum pœnas sceleri debitas castigatis. An. 1513. Munsterus.

Inter hæc in Vbiorum Colonia magnus populi tumultus suscitatur, plurima civium turba catervatim coniunctis animis viris busque ad domum Civicã armatą contendebat, cum ingenti strepitu atq; clamoribus. Senatus quos noverat populo fore gratos mittebat ad turbam quæ convenerat, qui oratione sua effecerunt, ut inhonesti nihil patrarent eo die. Cũ vero dies alter illuxisset qui erat 7. Ianuarij, quidam ex senatoribus carceribus mancipantur, & decimo eiusdem mensis unus illorũ publice obtrũcatur. Vndecimo die duo quoq; Consules decollati sunt. Die duodecimo adhuc tres senatorij ordinis capitalem subiere sententiam. Post quorum cædem vulgus conquievit, & in concordiam redijt. Nicolaus Beselius.

Hoc eodẽ seculo die 21. Februarij, Romæ summus Pontifex Iulius secundus, vita defunctus est, exacto iam anno decimo sui Pontificatus, in concilio Lateranen. ab eo designato. Cui post dies sedecim, Ioannes ex Medicis Florentinus successit, ac Leoni decimi nomen accepit. Iulius 2. moritur. Leo X. substituitur.

Sub finem anni istius aura tanto frigore obriguit & inhorruit, ut Rhenus ex adverso civitatis Colonien. solidissima glacie constringeretur, & qui navigabilis tantum fuerat, onustis plaustris sternitur ceu via quædam publica. Dissolvebatur autem glacies ipso die D. Antonij, anno 14.

ANno Domini M. D. xiiij, mẽse Ianuario, die vero nono, abijt e vita hac Anna Regina Franciæ, & pacifica conventio inter An. 1514 Nicolaus Beselius.

Anglos & Francos est inita, nimirum Regis Anglorum soror Maria Ludouico Gallorum Regi iam uiduo, nono die mensis Octobris desponsatur, ac Lutetiam Parisiorũ ingreditur, omnibus fausta acclamantibus & ouantibus Gallis. Ac huic lætitiæ finis in luctum desijt. Nam circiter solennitatem natalis Christi, Rex noua coniuge donatus morbo correptus, primo die mensis Ianuarij, posteaquam regnasset annis decem & septem, hac luce caruit, nullo relicto filio in hæredem. Nouaque coniunx in Angliam unde redierat discessit.

Conradus Lycosthenes. Mense Ianuario eiusdem anni, tres soles apparuerunt Vuittenbergæ, & unicuique gladius inerat cruentus. Similiter circiter istud tempus in Rotuueil uisus est sol horrendo statu præditus, circumadiectis diuersis diuersorum colorum circulis. Die quoque undecimo mensis eiusdem, & decimo septimo mensis Martij, lunæ tres uisæ sunt.

An. 1515. ANno quo Deus homo factus est, M.D.xv. Defuncto Ludouico Rege Gallorum sine hærede regni, Franciscus Valesius tanquam sanguine cõiunctior cæteris, regno inauguratur in oppidulo Beatissimo Dionysio nuncupato.

Præterea hoc eodem anno Archiepiscopus Coloniensis Elector, Philippus ab Oberstein, ad Christum migrauit, in cuius locũ suffectus est Hermannus a Vueda.

Interea temporis ubique locorum tantæ exundationes subortæ sunt, ut non tantum arbores & terræ nascentia, uerumetiam ædificia subuerterentur.

Munsterus. Peridem tempus in Bellitz Heluetiorum montanis, magna inundatio aquarum ante Pentecosten facta est, hoc nempe modo: In ualle situs est pagus nomine Valentz, duobus milib. ab eo loco distans, quem interluit flumen, quod anno Dñi M.D.xiij. circa D. Michaelis festum effluxerat ex monte, qui in alterum coinciderat, cum ibidem montes alij alijs superemineant & excelsiores sint. Pars etiam seu moles illius montis tunc in uallem decidit, unde uicissim fluuius ille intumuit, ac ita auctus est, ut mare crederetur, longitudine duorum milium, & indicibili quadã altitudine. Sic ut incolæ sibi metuerint, & opem ferebant hi socijs siue conterraneis in Vri, Schueitz & Vnderualden, nitebãturq; aquilegiũ illud suis a finibus eliminare, exhaurire, seu potius infodẽdo obruere: uerum frustra.

Qui

Qui imo annis elapsis iam duobus magis magisq; in feriam usque sextam ante Pentecosten anno Dñi M.D.xv. summo diluculo excrescere cœperat, tanta copia, tantaq; ui, ut indigenæ uel accolæ, cogerentur ad montium cacumina confugere. Posteaquã uero longa mora intercessisset, tandem cum ingenti trepidatione in uallem descenderunt. Magno posthæc impetu facto horis quatuor ante meridiem erumpere fluuius hic cœpit, adeo tempestuose, ut rupes immensæ molis secum abriperet, & pagum uastatis terminis quibus internosceretur, ubi is quondam extiterit, cui uicinus quidam locus erat nomine Monasteriolum, uulgariter Cloisterlein appellatus. A quo non procul adeo distabat diuersoriũ quoddam, æthiope nigro insignitum. Hospes hic tantam aquarum inundantiam immi nere sibi cernens, uxorem cum prolibus apprehẽdit ac fugit, sed euadere non potuit, nam & ipse numero tertisdecimus submergitur. Sola nempe ancilla conscenso tecto incolumis permansit. Inuoluebantur homines simul & iumenta & absorbebantur. Insuper cum eo loci aduentasset negotiator quidam Genuensis, decem ligaturarum siue sarcinarum serici & aromatum iacturam perpessus est. Aderant deniq; ciues Bellitzienses piscandi gratia, qui turbulentiorem aquam reddi uidentes, in fugam conuersi sunt. Cunque effugere festinarent altas & grandes arbores ascenderunt, sed nihil profuit ipsis quin pariter cum arboribus præcipites ferrentur. Hic idem fluuius perfregit Letzim Bellitziensem, alluebatq; Luckarim, inde usque in mare magnum defluens, & nusquam non cuncta subuertens atque domoliens.

ANNO incarnati uerbi M.D.xvij. in Italia phalanges numerosæ & armatus in aere configere inter se uisæ sunt. An. 1517

Quo insuper anno Selymas Turcorum Imperator Alcariũ suæ tyrannidi subiugauit. Soldanum quoque Tomumbeium Sarrazenorum Regem potentissimum superauit, superatum mulo insidere fecit, & circunlegato ipsius collo per uniuersam Alcairum uehi iussit. Tandem uero sic ludibrijs affectum in crucem egit.

Per idem tempus Leo Pontifex Romanus ad exædificationem Basilicæ Apostolorum Principi dedicatæ eodẽ splendore ea-

Emmanuel trieres tres cum amplissimo & commeatu diuersoque apparatu bellico instructas ad plagam meridionalem sub æquinoctium transmisit. Qui cum aliquādiu nauigassent, in insulam quādam deuenerunt, quæ homines feris immaniores habebat.

Pyras hi incendebant, fumos in terra excitabant, Hispanos nimirum & Lusitanos ad se pellicere cupientes, utinam frustra. Siquidem cum duo nauim egressi barbaræ & inhospitalis illius gentis & insulæ naturam indagare, uellentque nunciare, ultra non comparuere. Dubitantibus autem ijs qui in naui manserant quidnā duobus illis accidisset, alios adhuc exire permiserunt, quatenus uel ab istis certiores fierent tam de situ & cultu insulæ, quam de mora & remansione eorum qui nuper exierant & necdum redierant. His itaque egressis contigit ut hi ipsi in multitudinem fœminarum barbararum inciderent, quæ mox terga uerterunt absterriti illorum conspectu. Quarum fugam ægre ferentes, eo quod desiderarent gestus & mores earundem contemplari ac discere, unum constituerunt ex ipsis, qui solus illas adiret, tutius & commodius quod fore sperabant, una cum ipsis animi sui sententiam communicaturus & interpretaturus quantum posset cæterorum nomine & suo.

Qui inter conferendum circumuentus fuste percutitur, & in terram prostratus uinctis pedibus ad montem deportatur, moxque uiri agmine facto ad naues accurrunt, iacula immaniter uibrantes in Hispanorum classes, qui uicissim ut facile poterant, sclopetarum uiolento fragore irruentem crudeliter turbam exterruere, ut fugā prepoſteram maturarent ad montem in quo carnificinam ipsorū uxores inhumaniter exercebant. Nam in frusta cadauer Hispani illius nuperrime abrepti membratim concidentes, & confixa ueribus ad terrendum & suffumigandum, deuorandumque postea, ijs qui in nauibus erant ostentabant. Ex quo quidem horrendo nimis spectaculo animaduerterunt duos priores quos antea dimiserant exploratores, atrocitate non dissimili trucidatos esse. Profecto fratrum haud inultum suorum cladem infandam siniissent, nisi maius dispendium & commune periculum metuissent. Idcirco perturbati & cōterriti istinc discesserunt. Nihilominus institutam nauigationem quantumlibet longinquam & periculosam diligenter & indefesse exercuerunt, & frequentarunt, Hispani uidelicet cū Lusitanis, potissimū circa Meridiem & Occidentem, ut tandem assecuti sint iter apertū, seu aditum, quo pergitur in Orientē, imo & Indiam. Sicq; uel hinc quidē Catholici Reges Hispaniæ talē in natio

hi

nibus quondam desertis & inuijs iurisdictionem & potentiam nacti sunt & in his obtinent, ut oppidis arcibusque erectis decorarint, easdemq; munierint & fide & muris. In una siquidem insula Hispaniola nominata, uiginti octo torcularia posita sunt, quibus zaccarum quo & affluit eadem illa insula exprimitur, & colliquescit. Haec demum insula profert nobis lignum Guaicum, quo utimur ad succurrendum infirmis. Naucleru. Cario.

Praeterea eodem hoc anno in uestibus hominum ac mulierũ praesertim, sanguinolentae cruces ex aere delapsae apparuerunt, sic & in uirorum quoq; camisijs deprehensae sunt. Munsterus.

Hoc insup tempore Iohãnes quidam ab Eltz dictus, equitum peditumq; contraxit exercitum, quo fretus ille Boppardiam Ciuitatem regalem Dioecesi Treuireñ. oppignoratam, interdiu nemine reluctante inuasit, expulsisq; Treuireñ. turres, murosq; cum suis munimentis, telonium deniq; & quicquid inibi repperit, in potestatem suam accepit.

Sub id quoq; tempus Philippus Archidux Austriae foedere cum Gallo inito una cũ sua Coniuge Ioanna Castiliae regina, per Franciam in Hispaniã profectus est, q passim honorifice & gloriose exceptus est, atq; deductus a Satrapis Franciae, sed nusq̃ gloriosius & splẽdidius cohonestatus atq; susceptus est, quã Lutetiae Parisiorũ.

Adhaec eodem hoc anno magna fames in Sueuia deseuijt prae nimia caritate annonae, quam Argentineñ. frumento quod diligentius asseruarant & recondiderant, abundantes, leuarunt, mediocri pracio contenti.

Durante hoc temporis curriculo Basilaea ab Imperio Romano, cui tamẽ immediate subiecta, descissens, Heluetijs adiecta fuit, sancito inter se foedere. Qua de re literae Lucernae cõsignatae sunt, nono die Iunij. Ad quã etiã emulationẽ puocati fuere Schaffhusenses, die decimo Mensis Augusti, & ab Imperio Romano sese subducentes, Heluetijs se submiserũt, foederibus pariter acceptis, addictisq;. Basilea Heluetijs se foederi e iungit.

ANno a partu uirgineo M.D.ij. ingẽs clades uniuersam Germaniam puagauit, ut multa hoĩm milia extincta sint subito. Prouerbiũ erat tũc multisq; quasi e tripode pfectũ celebre habebatur, omnes illos nimirũ in quorũ uestimentis ante crucis insignia ut sanguis uel cruor rubentia reperta fuerant e medio sublatos iri. An. 1502. Nicolaus Basellius. Pestis grassatur.

Hoc tempore in Dioecesi Spirensi, nõ procul a Sueuorũ Bruxella, rusticorũ cõiuratio exorta fuit, in pniciem & rebellionem ppositorum Rusticorũ cõiuratio.

torum suorum legitimorũ. Dum aũt duo ex coniuratoribus illis (Deo utiq; sic prouidente) comprehensi in quæstionem darentur & affligerentur, confessi sunt maiorem ciuium partem memorati municipij in ea esse coniuratiõe, & in dies plures ad hanc cõfluere. Erant etiã turbarum istarũ antesignani duo, quibus unaquæq; turba auscultabat seu etiam parebat. Leges uero coniuratorũ duæ potissimũ erant. Quarũ ista prior fuit: Quod alienæ potestati subdere se minime uellent, quinpotius eniterentur per se liberi fieri, excusso quocunq; iugo. Posterior, unumquemq; cõspiratorẽ ligabat ad cõmunem quandã præcationẽ pro successu fœliciori initæ conspirationis. In quã nemo alius assumebatur, nisi qui hisce legibus satisfacturum se spondebat cũ iureiurando. Et quo propositũ ipsorũ firmius atq; secretius haberetur, uerborũ quorundã inuolucrum cõfinxerunt, unde se mutuo tutius agnoscere possent. Quod fere tale fuit. Sciscitante ex illis aliquo: Quid est in rebus? Respõdebat alter, siquando cõiurationi succedere uidetetur: Nõ possumus præ multitudine Paparũ consistere. Præterea firmiter apud se statuerant, Ecclesiarũ & cœnobiorũ prouentus cum bonis omnibus diripere, ac postmodũ Marchionẽ Badeñ. & Episcopũ Spirensem profligare & spoliare, ac in uniuersum quotquot ipsorum institutũ improbaturi essent, crudeliter trucidare, direptis ipsorũ possessionibus. Sed quãprimum cõiurationis huius intentio in lucẽ prodita est, socij illius

Munsterus. cum antesignanis ultimo sunt affecti supplicio.

Eadẽ hac tempestate Nurenbergeñ. ad paganalia pfecti, a Marchione in nemore cum suis delitescente, interfecti sunt ex his plurimi. Nã utrinq; nõ minus quã mille perierunt ibidem.

An. 1503. Nicolaus Basselius. ANno M.D.iij. diuturna hyems multumq; acerba ꝓpter intolerabile frigus extitit, quã deinde subsecuta fuit æstas calida ualde & sicca, adeo ut fœnũ prius exaresceret, quã posset tempestiuã maturitatẽ nãcisci. Parũ auenæ natũ est, & frumẽti magna caristia fuit, porcorumq; infinita ꝓpe strages. Interea ex Hispania in Gallofrãciam Archidux Austriæ Philippus abijt, conseditq; Lugduni, ubi concordiã & pacẽ inter Germanos, Hispanos atq; Gallos die 23. Mẽsis Martij cõciliauit, quæ & 4. Aprilis euulgata pconũ uoce fuit.

Die uero 18. mensis Augusti anni eiusdem, Alexander Pontifex Maxi. anno pontificatus sui duodecimo, Romæ exanimatus

Pius tertius, Julius 2. est. In cuius locũ suffectus est Franciscus Cardinalis Seneñ. Pius tertius deinde uocatus, q morte præuẽtus est post dies sedecim. Huic igitur successit Iulianus, & Iulius 2. appellatus est. Hac

Hac deneq; ætate Dux Bauariæ Georgius fato functus est,qui hæredem unicã filiam Elizabet nomine reliqt,iam annis quatuor ante patris obitum Ruperto Palatini filio traditam in coniugem. Hic post mortem soceri sui oppida& loca ipsius sibi uendicabat,ut hæres ex nomine uxoris suæ. Quod indigne ferẽs Dux Albertus, & ad se hæreditatẽ pertinere potius existimans,Rupertũ reũ fecit. quod is Georgij demortui ditionẽ usurpasset pariterq; obtinuisset. Ideoq; ad Maximilianum Romanoꝝ Regẽ causa delata fuit.Qui uocatis ad se duobus his principibus inter se altercantibus,totis uiribus litem atque discordiam obortam componere studuit, Sed Rupertus Dux,sententiæ ac definitioni Regis Romanorum,nec iustis alioqui medijs noluit,aut non potuit, acquiescere,nonnullis dissuadentibus.

ANno uero partæ salutis M.D.iiij.cum nimiꝝ Regia Maiestas cõsideraret omnẽ ipsius conatum &benignã solicitudinẽ quã impendisset cõponendi dissidij inter memoratos Duces gratia,alterum ad huc reluctantẽ, Rupertũ nẽpe,eosq; pariter qui a partibus illius erant,reum læsæ maiestatis declarauit,seu etiã censuris imperialibus in illũ,tanq̃ rebellem animaduertit, simulatq; Philippo ad Rhenum Palatino denunciatum est, ne filio suo Ruperto suppetias alicunde ferret.Qua de re Palatinus cõsternatus(quod credi tu& persuasu facile est)aĩo ualde pplexo&anxio cœpit esse,cum q̃d affectu paterno filio succurrere desideraret, tum quia interdictum imperiale urgeret. At uicit tandẽ natura mandatũ,& pater filio pro uiribus subuenit. Quocirca Romanoꝝ Rex omnes proceres regni sui,omnẽ magistratum, omnes denique sibi subiectos ad arma contra rebelles principes prouocauit, ijsque liberum fieri uoluit armatos in aciem aduersus illos prodire, & persequi, publicatis ipsorum bonis. Suscepta igitur hac proscriptione, plurimi satrapæ regni, ferro &igni bellum gesserunt, maxime uero omniũ Hassiæ Lantgrauius utrunque damno affecit,& infinitos ꝑpe pagos Vuormatiam inter & Crucenacum conflagrauit, & ita fatigauit, ut Palatinus coactus sit sese demittere. Quod cum rescisset Cæsarea Maiestas, & nonnulli principes, præcipue autem Marchio Badeñ.intercessissent, & Cæsari pro eo supplices fuissent, misertus tandem, crimen clementissime condonauit, & in gratiam receptus est,sedatoque tumultu &mœrore, quisque ad sua redijt.

An.1504. Nicolaus Baselius. Monsterus Cario.

An. 1505. ANnus aderat M.D.v. quo Cæsar Maxi. in Agrippineñ. Colonia bellum quod inter Philippũ Palatinum & Ducem Albertum a Monacho composuit, celebratis ibiden comitijs. Quibus gestis die 18. Iulij, Colonia discedens in Gelriam cum Dynastis & nobilibus uiris qui ad comitia uenerãt, nauigauit, Brabãtis opitulaturus, qui Arnhemum obsidione cinxerant. Cuius aduentum reformidans Gelriæ Dux, Maiestati Cæsareæ se mox dedidit, Ciuibus aũt soluto iam obsidio nihil prorsus damni illatum est.

Comitia Colon. Nicolaus Baselius. Arnhem obsessa.

Posteaquam autem ex Brabantia in Alimanniam denuo rediret Imperator Maxi. Ciues Colonieñ. suæ Maiestati ordine decentissimo ornatissimoq; occurrerunt, honore debito eandem prosequentes, ut que aggratulationis specimen amplius exhiberent, lætabundi ciues, mox tota Ciuitas Campanarum Clangore suauissimo perstrepuit.

An 1506. ANno Christi M.D.vi. Aduersus Vngares rebellãtes Cæsar exercitum instruxit. Sed conditiõibus qbusdam, ac Regũ quorundam & Principi interueniente patrocinio, subsequuta pax est.

Nicolaus Baselius.

Hoc insuper anno tanta lues in Sueuia & ripa Rheni porcos inuasit, ut pluribus ibidẽ in locis caro suilla uendi nõ posset. Præterea eo seculo Francorũ Rex fœdus quod nõ ita pridẽ cum Rege Romanorum pepigerat uiolauit, tametsi ad istius fœderis maiorẽ sanctionem ineundam, sumpto Euangelij codice, sumpta quoq; sacræ synaxi corã Deo & angelis prius esset protestatus, commodatumq; recepisset a Regia Maiestate Insubriam.

Munsterus.

Item sub id tempus a festo Michaelis ad festiuitatem usq; Dñicæ incarnationis tanti calores, imo etiã æstus (paucis certe diebus exceptis) uiguerunt, ut pruina nulla, nihil grandinis, aut deniq; niuis appareret, at circiter D. Ambrosij feriam, derepẽte frigus tam immensum, niuis & grandinis tanta copia, tantæq; procellæ sunt exortæ, ut seges passim (quæ propiciã satis auram nacta excreuerat) uastaretur.

Interea cum Philippus Rex Castellæ, Dux Burgundiæ &c. Imperatoris Maxi. filius una cum sua coniuge in Hispaniam proficisci destinasset, & producta in mari classe, cum principibus & nobilibus dies uiginti prospere nauigasset, nec ita procul a Corsica abesset, ex improuiso tempestas ingruit & cõmotio, adeo uehemens ut naues illæ in magnum discrimẽ uenerint, & a se inuicem soluerentur: quarum una quidem submersa est, & centum pariter in ea homines. Na

uis

uis autem Regia difficulter admodū uadum aliquod accipere potuit,quod tamen accepit in Anglia. Cum igitur intellexisset Rex se cum suis euasisse, reliquas autem naues adhuc periclitari posse agitarique fluctibus incertis (nimirum non inuento Rege quem inprimis seruare debebant)undique suppetias obuiam illis misit.

Quibus fretæ post diem unum aut duos in portū Anglicum deductæ sunt simul omnes,una tantum excepta.Quicquid damni nauibus ærumnosum salum intulerat,reparatum est,& resarcitum,ac tunc instructis sic satis nauibus, imploratoque Dei in primis auxilio,& S.Iacobi patrocinio inuocato, uela uentis iterum dederunt Hispanias uersus, deueneruntque in ciuitatem Perona uocatam. Vbi relicta classe,pedibus deinceps iter ad Sanctum Iacobū in Galitia confecerunt,inde uero Burgum Castellæ uenerunt.

Hic Philippus Rex posteaq̄ lecto decubuisset diebus uiginti, obijt ibidem in palatio suo morte præmatura, die 17. Septembris, annos natus 28. Cuius intestina Burgi, Cor autem Bruxellæ Brabantiæ,corpus deniq; in Granata conditum est,ut uiuus quondam fieri præceperat.

Demum hoc eodem anno Lubecen. contra Principem Mecelburgensem cum fœderis socijs bellum haud sine iactura gesserunt.

ANno Incarnationis Dominicæ Milesimo quingentisimo septimo, Romanorum Imperator Maximilianus comitia indixit egitq; Constantiæ,in quibus plurima de obluctatione Venetorum tractabantur. Hi nanq; cum audissent Cæsarem Maximilianum in Italiam iter adornasse ut in augararetur Imperio,cum Rege Gallorum pactum inierunt,quo possent commodius atq; ualidius institutam profectionem & inaugurationem impedire.Quod factum indigne ferens Romanorum Rex,proceribus & totius Regni potentia inuocata, Venetos execratus est,unde continua bella prodierunt. An. 1507. Manfleriūs Cario.

Sub idem istud tempus, mense Iulio, subito importunissimi uenti perpetuo spiritu exaduerso flantes, robora magna arboresque altissimas radicitus subuerterunt, domibus denique & arcis uastatis.

traderet. Posthæc senatores suis honoribus exemerunt, claues, tabulas accepti & expensi, thesauros & omne æs in suū ius redigerūt, aliosq; nouos substituerūt & crearunt senatores, q possent ex omnibus rationariis, seu ut uulgo dicunt registris & rationibus sumptuariis, totius ciuitatis, statū illis significare & declarare. His aūt ita constitutis, compertū est ciuitatē debuisse florenorū sexcenta milia, pro quorū dissolutiōe seu exoneratione annuis teneretur decisionibus ad triginta milia florenorū. Sed quum ex aduerso reditus in summas reduxissent, qui quouis anno, municipio cōpetebant, animaduerterūt, quod milibus aliquot reditus q singulis annis ciuitati cesserant, rationē expensarū excederēt. Hinc multo amplius populus exasperatus cōtra magistratū nuperrime exauthoratū, huic manus inferre ac neruis corripere uolebat. Verū mox ubi rescisceēt id repudiati, domibus ac ciuitate cesserūt, alii hic, alii uero illic. Quidam tamē ex his correpti sunt. Ac propterea qdem Erfordiæ decretum est & ratum, ut nimirum deinceps annue nouus creetur Magistratus, qui ab eo dē defunctis, rationē dati & accepti exigerēt.

Inter hæc mense Augusto Lantgrauius Vuilhelmus anthrace seu igni sacro, aliisq; curatu difficillimis morbis exhaustus & consumptus, tandem morte uitam commutauit.

Sub id deniq; tempus quarto die decimo Iunii terræ motus ingens Cōstantinopolim cōcussit diebus octodecim, intantū ut mœnia & uniuersæ domus quæ ad mare sitæ fuerant, magno cum impetu & damno corruerint. Thesauraria quoq; domus Imperatoris Turcarum, turribus quatuor munita ceu propugnaculis, ædificiū sane quā splendidissimum, ubi asseruabantur Leones, cum aliis emporii huius magnificis ædificiis & munitionibus, concidit.

Accidit etiā hoc terræ motu mare sic intumescere & eleuari, ut se se ultra mœnia Cōstantinopolitanæ ciuitatis fluctus, pcellosi ingererēt. Fertur q̄d hac inundatiōe hoīm ibidem tredecim milia perierint.

ANNO salutis humanæ *M.D.x.* Augustæ Vindelicorum comitia denuo habita sunt, quibus multi Principes Germaniæ interfuere. Comparuerunt etiam oratores Regis Francorum, Ferdinandi Regis Aragoniæ, & Vladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ. In quibus quidem Comitiis uaria contu- An. 1510. Nicolaus Baselius.

contulerunt inter se Principes, de suscepta a Bohemis contumacia & rebellione. Praeterea definitum est a Regibus & Principibus ibidem, bellum esse gerendũ contra Venetos, qui ut tunc primum patuit, iam furciferos aliquot mercede conduxerant, qui intempesta nocte oppida & pagos ignibus concremarẽt, quod in quęstione cõfessi sunt, quotquot ex his furciferis iniquo & crudeli stipendio authoratis, comprehendi potuere.

Interea temporis horrendũ plane & impium facinus in Marchionatu Brandeburgẽ. contigit. Nam impius quidã fur die sexto Februarij noctis horã circiter secundã, Paulus nomine, cognomine Form, phanum, cuiusdam pagi Knobloch subingressus, thecã argenteam, sed inauratam, in qua seruabatur sacramentũ altaris augustissimũ, furtim abstulit, ac interdiu Iudaeum quendã adijt, ut sacram illam thecam apud eundẽ aere permutare posset. Visa theca respondit Iudaeus raptori, Maluissem id a te recipere q̃d in hac theca exhibitum fuit, si tecũ attulisses liberaliter exoluissem. Hoc audiens fur mox protulit emptori Sacramentũ, quod celatum gerebat, emit Iudaeus, numeratis nouem solidis, quorũ xxxij. ualent floreno Rhenẽ. Fur sceleris conscius prae nimijs angustijs nulla certa consistere sede poterat, fugiebat in Vuenden. illinc domũ rediẽs comprehenditur, torquetur, & impietatem confessus ordine furtũ narrat. Iudaeus aũt recepta hostia sacra, eam pugionibus confodere tentabat, sed integra ac solida mansit. Indignans Iudaeus hostiã uiuificam his uerbis incessit: Si Christianorũ tu Deus es, in mille diabolorũ nomine idipsum manifesta: mox uiua hostia in partes tres diuiditur rubeo sanguine manans. Obstupuit ille & partes sudario illigauit, ac uno mense sibi retinuit. Postmodũ uero duobus Iudaeis, perfidiae suae socijs, quorũ unus Brandeburgi, alter Stendeleae morabatur, unicuiq; partem misit hostiae miraculosae, tertiam reseruans, quam denuo arrepto mucrone transuerberat, & sanguis effluit. Veritus autem atheus ille, ne factum proderetur, hanc partẽ sanguinolentam in flumen eijcit. Sed cum neutiquam mergeretur, resumpsit, & in flammas conijcit, eundem nihilominus statum retinuit.

Notatu dignũ miraculum.

Appropinquante die azymorum, partem illibatam azymo commiscuit, ex eo infermentatum panem sibi conficiens. Vbi furno iam caliginoso imposuisset, illico tectus illuxit, &

in oculos exiliũt Iudæi. Conterritus ipse panem hunc azymum, cui nimirum admiscuerat deiferam illam partem, Iudæo cuidã donauit. Interim Marchione innotuit, quod Eucharistiam fur ille ante dies aliquot a suis subditis captus uiro Iudæo diuendidisset. Idcirco mãdauit omnes Iudæos inquilinos & tributarios suos comprehendi, destinatisq; tormentis examinari, & inter alia quæ commiserant scelera, etiam confessi sunt, intra annos aliquot Christianorum infantes septem se trucidasse, & acubus enecasse. Igitur triginta & octo ex his palam die xix. Mensis Iunij, ad tribunal productis, confessio ipsorũ prælecta fuit, quæ & mortis reos effecit, moreque condemnati ad cineres usq; exusti sunt. Tres quoq; ex istis morti adiudicatis Iudæis baptizari uoluerunt, proximo die baptizati duo tantum, capite truncati sunt, tertius multis tandem patrocinijs liber euasit, qui D. Francisco postea nomen dedit. Cæterũ fur ille & alter ipse Iudas, forcipibus excarnificatus, ad extremũ incendio penitus consumptus est. Deniq; exilio omnes Iudæi a Marchione mulctati sunt, sub pœna capitis. Eodẽ anno prope Mediolanum lapides multi magnæ molis ex aere ad terrã deciderũt, quorum unus centumpondium & xx. habebat. Durioribus silicibus erant & saporis sulphurei. Conradus Lycosthenes

ANno Natiuitatis Dñi M.D.xi. Maximilianus Rex Augustæ comitia instituit. Vbi homo quidam inhumanus & crassus Cæsareæ Maiestati exhibitus est, inexplebilis uoracitatis, qui crudũ uitulum aut ouem incoctam uno tempore deuorabat, nec exatiari poterat. An. 1511. Nicolaus Baselius.

Per idem tempus quidam in Senatu Constantiensi ab Imperio desciscere uolebant, & sese & ciuitatẽ Heluetijs dedicare. Quod ut primum ij compertum habuere qui partes Imperij promouebant, præsertim Piscatorũ societas, confestim Regi Maximiliano Consilium illorum insinuarunt. Quo audito Cæsarea Maiestas socijs imperij cum trecentis equitibus in auxilium uenit. Cuius aduentũ reformidantes seditiosæ turbæ ciuitatem deseruere: Sed quoscunq; istius factionis comprehendebant, decollabantur.

Eadem hac tempestate Iulius secundus Concilium Oecumenicum Romæ celebrandum describi iussit, uerum uita anticipatus, nihil inde singulare subsequutum est.

Hoc

Hoc deniq; seculo, in ipsa meridie astrorũ magna claritas Mediolani obtutibus ciuium ibidẽ reposita fuit. Et non longe post Franci Ciuitate eiecti sunt.

Conradus Lycosthenes.

1512. Nicolaus Basselius.

ANno a Christo nato M. D. xij. longa, pluuiosa ac horrida hyems fuit. Vnde passim in Germania morbosa lues, homines diuexauit, multosq; extinxit.

Quo insuper anno Imperator Maximilianus Herpibolim, quod uulgo Vuirtzpurgum nominãt, uenit, die uidelicet xxij. Februarij, ibidemq; Bacchanalia feriatus est. Et inde ad Occidentalia regna secessit, ubi & magnificentia principali & festiue exceptus est, simulatq; tributum annuum accepit, quem etiam liberaliter annumerarunt illic indigenæ. Posthæc undecimo die mensis Aprilis Treuerim appulit, ubi principibus suis diem comitialem præscripsit. Ad quem Heroes Imperij, Duces, Comites & Satrapæ comparuerunt. Præterea Ciuitates (quas ob libertatem & priuilegia imperiales uocant) eo loci suos destinarunt caduceatores. Tumq; Cæsarea Maiestas Altare templi Cathedralis aperiri reuerenter admisit, in quo sacra illa Iesu Christi inconsutilis tunica seruabatur, cum alijs ueneratione dignissimis reliquijs, quæ Treueri cernuntur.

Hoc eodem anno tragœdia inter Senatum & uulgum Spiræ excitabatur, sed quam Maximilianus Cæsar moderari potuit, atq; repressit una cũ Dynastis huic loco uicinis. Porro Senatoribus profugis ciuitatem ingredi non permittebatur.

Per idem tempus Gallorum Rex Ducẽ Gelriæ contra Brabantos excitauit, super hæc cum permultis alijs equidem memorandis fœdus quod inierat cum Cæsarea Maiestate irritum fecit. Eaque de causa eadem Maiestas pactum sanxĩt cum Pontifice Maxim. præcepitque omnibus imperij proceribus sub grandi mulcta ne quisquam eorum ad Gallum deficeret, seu etiã ullo modo succurreret. Quod quidem mandatum Cæsaris Emichus Comes a Lyningen pminimo ducens, contractis eductisque clam copijs ex Treueri abijt in Franciam, & interminato sibi Regi se coniunxit. Hoc cum audiuisset Cæsar, contemptorem & blasphemum Maiestatis proscripsit, ac Ludouico ad Rhenũ Palatino Electori iussit, ut proscripti Comitis arces, munitiones, pagos, omnemq; bonorum sortem occuparet. Quibus omnibus prompte Palatinus acquiescit. Alij quoq; Principes erant qui reum læsæ maiestatis mulctarunt, redactis

Tunc temporis obedientia eigebit in Imperio.

ctis in ipsorum potestatem aliquot propugnaculis, E quibus Dux Vuirtenbergeñ. unus obtinet hodie Castrum Hartenburgum.

ANno præstitæ salutis M. D. xiij. Vuormaciæ non modica inter Ciues & Magistratum est coorta seditio. Sed enim maleuolorum quorundam hominum instinctu ciues aduersum senatores insurrexerant. Senatores ergo exauthorant, & ex se metipsis nouus fit magistratus. Debebant autem priores consules aut saltem maior pars Vuormatiam egredi. Cæterũ imperator in Elsatiam Satrapam legat, qui intertractaret, & originem eiuscemodi seditionis indicaret, tum deniq; illius flammas consopiret restaurata cõcordia, incensoribus quoque seditionis sicubi comprehendi possent, secundum pœnas sceleri debitas castigatis. An. 1513. Munsterus.

Inter hæc in Vbiorum Colonia magnus populi tumultus suscitatur, plurima ciuium turba cateruatim coniunctis animis uiribusque ad domum Ciuicã armata contendebat, cum ingenti strepitu atq; clamoribus. Senatus quos nouerat populo fore gratos mittebat ad turbam quæ conuenerat, qui oratione sua effecerunt, ut inhonesti nihil patrarent eo die. Cũ uero dies alter illuxisset qui erat 7. Ianuarij, quidam ex senatoribus carceribus mancipantur, & de cimo eiusdem mensis unus illorũ publice obtrũcatur. Vndecimo die duo quoq; Consules decollati sunt. Die duodecimo adhuc tres senatorij ordinis capitalem subiere sententiam. Post quorum cædem uulgus conquieuit, & in concordiam redijt. Nicolaus Beselius.

Hoc eodẽ seculo die 21. Februarij, Romæ summus Pontifex Iulius secundus, uita defunctus est, exacto iam anno decimo sui Pontificatus, in concilio Lateraneñ. ab eo designato. Cui post dies sedecim, Ioannes ex Medicis Florentinus successit, ac Leoni decimi nomen accepit. Iulius moritur. Leo X. subsistuitur.

Sub finem anni istius aura tanto frigore obriguit & inhorruit, ut Rhenus ex aduerso ciuitatis Colonieñ. solidissima glacie constringeretur, & qui nauigabilis tantum fuerat, onustis plaustris sternitur ceu uia quædam publica. Dissoluebatur autem glacies ipso die D. Antonij, anno 14.

ANno Domini M. D. xiiij, mẽse Ianuario, die uero nono, abijt e uita hac Anna Regina Franciæ, & pacifica conuentio inter An. 1514 Nicolaus Beselius.

 Anglos

Anglos & Francos est inita, nimirum Regis Anglorum soror Maria Ludouico Gallorum Regi iam uiduo, nono die mensis Octobris deponsatur, ac Lutetiam Parisiorū ingreditur, omnibus fausta acclamantibus & ouantibus Gallis. Ac huic lætitiæ finis in luctum desijt. Nam circiter solennitatem natalis Christi, Rex noua coniuge donatus morbo correptus, primo die mensis Ianuarij, posteaquam regnasset annis decem & septem, hac luce caruit, nullo relicto filio in hæredem. Nouaque coniunx in Angliam unde redierat discessit.

Conradus Lycosthenes. Mense Ianuario eiusdem anni, tres soles apparuerunt Vuittenbergæ, & unicuique gladius inerat cruentus. Similiter circiter istud tempus in Rotoueil uisus est sol horrendo statu præditus, circumadiectis diuersis diuersorum colorum circulis. Die quoque undecimo mensis eiusdem, & decimo septimo mensis Martij, lunæ tres uisæ sunt.

An. 1515. ANno quo Deus homo factus est, M.D.xv. Defuncto Ludouico Rege Gallorum sine hærede regni, Franciscus Valesius tanquam sanguine cōiunctior cæteris, regno inauguratur in oppidulo Beatissimo Dionysio nuncupato.

Præterea hoc eodem anno Archiepiscopus Coloniensis Elector, Philippus ab Oberstein, ad Christum migrauit, in cuius locū suffectus est Hermannus a Vueda.

Interea temporis ubique locorum tantæ exundationes subortæ sunt, ut non tantum arbores & terræ nascentia, uerumetiam ædificia subuerterentur.

Munsterus. Peridem tempus in Bellitz Heluetiorum montanis, magna inundatio aquarum ante Pentecosten facta est, hoc nempe modo: In ualle situs est pagus nomine Valentz, duobus milib. ab eo loco distans, quem interluit flumen, quod anno Dñi M.D.xiij. circa D. Michaelis festum effluxerat ex monte, qui in alterum coinciderat, cum ibidem montes alij alijs superemineant & excelsiores sint. Pars etiam seu moles illius montis tunc in uallem decidit, unde uicissim fluuius ille intumuit, ac ita auctus est, ut mare crederetur, longitudine duorum milium, & indicibili quadā altitudine. Sic ut incolæ sibi metuerint, & opem ferebant hi socijs siue conterraneis in Vri, Schueitz & Vnderualden, nitebāturq; aquilegiū illud suis a finibus eliminare, exhaurire, seu potius infodēdo obruere; uerum frustra.

Qui imo annis elapsis iam duobus magis magisq; in feriam usque sextam ante Pentecosten anno Dñi M.D.xv. summo diluculo excrescere cœperat, tanta copia, tantaq; ui, ut indigenæ uel accolæ, cogerentur ad montium cacumina confugere. Posteaquã uero longa mora intercessisset, tandem cum ingenti trepidatione in uallem descenderunt. Magno posthæc impetu facto horis quatuor ante meridiem erumpere fluuius hic cœpit, adeo tempestuose, ut rupes immensæ molis secum abriperet, & pagum uastatis terminis quibus internosceretur, ubi is quondam extiterit, cui uiciuus quidam locus erat nomine Monasteriolum, uulgariter Cloisterlein appellatus. A quo non procul adeo distabat diuersoriũ quoddam, æthiope nigro insignitum. Hospes hic tantam aquarum inundantiam immminere sibi cernens, uxorem cum prolibus apprehẽdit ac fugit, sed euadere non potuit, nam & ipse numero tertisdecimus submergitur. Sola nempe ancilla conscenso tecto incolumis permansit. Inuoluebantur homines simul & iumenta & absorbebantur. Insuper cum eo loci aduentasset negotiator quidam Genuensis, decem ligaturarum siue sarcinarum serici & aromatum iacturam perpessus est. Aderant demq; ciues Bellitzienses piscandi gratia, qui turbulentiorem aquam reddi uidentes, in fugam conuersi sunt. Cunque effugere festinarent altas & grandes arbores ascenderunt, sed nihil profuit ipsis quin pariter cum arboribus præcipites ferrentur. Hic idem fluuius perfregit Letzim Bellitizienzem, alluebatq; Luckarim, inde usque in mare magnum defluens, & nusquam non cuncta subuertens atque domoliens.

ANNO incarnati uerbi M.D.xvij. in Italia phalanges numerosæ & armatus in aere confligere inter se uisæ sunt. An. 1517

Quo insuper anno Selymas Turcorum Imperator Alcariũ suæ tyrannidi subiugauit. Soldanum quoque Tomumbeium Sarrazenorum Regem potentissimum superauit, superatum mulo insidere fecit, & circunlegato ipsius collo per uniuersam Alcairum uehi iussit. Tandem uero sic ludibrijs affectum in crucem egit.

Peridem tempus Leo Pontifex Romanus ad exædificationem Basilicæ Apostolorum Principi dedicatæ eodẽ splendore ea-

demq; magnificentia qua Iulius secundus Prædecessor fabricare seu uerius adornare & expolire ceperat, consummandam: indulgentias siue relaxationes pœnarum quæ peccata manent impartire uoluit ecclesijs, omnesq; fideles adhortari, quatenus eleemosynas hoc modo in eum ac similem usum & ægestatem Ecclesiarum subleuandam elargiri & impendere non grauentur: cui negocio promouendo & exequēdo Albertū Archiepiscopū Moguntineñ. pfecit, qui uicissim Cōmissarium delegit uirum sane doctum Prædicatorū ordinis, Iohannem uidelicet Tetzell. Quod plurimum equidem offendit Augustinianos quos heremitas uocamus, præsertim autem Iohānem Staupitium ipsorum Generalem per Germaniam Vicarium, genere clarum atq; disertum, ob idq; Frederico Saxoniæ Duci & Electori charum. Hic igitur Staupitius & Martinus Luderus, qui & ipse Augustinianus erat, Reuerēdissimo Moguntino non parum indignabantur, quod Iohannem hunc Dominicanum ipsis potiorem iudicasset atq; fecisset, eo quod sese non inferiores illo existimarent. Itaq; Staupitius cum magnæ dignitatis & autoritatis apud Fridericum Ducem esset, suorumq; confratrum contemptum grauiter ferret, abusum eorum qui prædicabant populo commendabantq; indulgentias, insinuauit Principi Electori, cum uituperio earundem: quod ipsum etiam Electori sic persuasit, ut penitus animus Ducis, ab his abalienaretur, & abhorreret. Quod cum animaduerteret Martinus Ludderus, ut ferocis, & arrogantis ingenij semper extiterat, literas ad Albertum Archiepiscopū Moguntinensem destinat. In quibus scribit nōdecere uidelicet clementiam seu maiestatem Electore dignam, ut ipsius nomine tales indulgentiæ promulgarentur, eo quod Christi Euangelio repugnarent, quod docet uiam quæ nimirum ducit ad uitam, arctam esse, portam quoq; ualde angustam.

Sleydanus narrat hæc infideliter.

Exemplū Lutheri.

Adhæc hortatur nos Apostolus operari salutem nostram una cum timore & tremore. Quinetiam D. Petrus, Iustus inquit uix saluabitur. Huiuscemodi & alia pleraq; documēta diuina, ad Reuerendissimum Martinus ille scribebat. His addebat indulgentiarum assertores repugnantia docere: nimirū homines indulgentijs peccatorum remissionē consequi, fieriq; saluos, unde: uulgus ut inquit sensim deterior redditur, excluso Dei timore. Scribit deniq; quod eiusmodi illi tanquam Archiepiscopo indicare uoluerit.

Sleidanus.

Fides Lutheri quando adhuc in castris ecclesiæ militabat.

Hæ

Hæ autem literæ a Luddero missæ sunt e Vuittenberga in pro festo omniũ Sanctorum, anno M.D.xvij. Sed haud ita pridem in opusculo suo de Captiuitate Babylonica scribit in hæc fere uerba: Omnis ille Christianus qui baptizatus est, damnare se nequit, nisi per incredulitatis peccatũ. Et rursus, Nullum ait peccatum tam est graue quo possit quis damnari, modo credat. Verum propter hæc tam perplexa, absurda & seditiosa dogmata, pleriq; doctiores Lutherum suspectum habebant, & in eum scriptis inuehere stricto calamo cæperunt. Inter quos memoratus Iohannes Tetzelius, hæreticæ tunc prauitatis inquisitor, obseruationes seu articulos centum & sex aduersus Lutheri antididagmata fere primus in lucem edidit. Cæterum ut Martini Ludderi genealogiam cognoscamus, uisum est patriam, nomen & parentes, studiaq; obiter ac uere memorare. Lutherus igitur Islebij anno 1488. natus est, sub dominio Comitum a Mansfeld. Patrem habuit Iohannem nomine, Matrem Margaretam. Qui cum Islebij annis aliquot rei literariæ operam dedisset, Madeburgum studij nimirum causa abijt. Inde profectus Isenacum, annos quatuor hic sese exercuit. Dehinc Erfordiam ceu asylum quoddam suorum studiorum conmigrauit, ubi magisterij Lauream anno ætatis suæ uicesimo adeptus est. Cæpitq; extunc Iurisprudentiæ uacare: & cum una dierum expatiari uellet, adeoque uires ingenij reficere, subito terrore correptus, uitæ pristinæ deserit institutum, nomenque dat ibidem diuo Augustino, cum admiratione multorum, & post uotum seu fidem professionis, in eodem hæremitario perseuerauit. Posthæc autem Vuittenbergam uenit, interpretaturus ibidem suis collegis Aristotelicam philosophiam, quod hic nuper instaurata esset Academia, & authorata. Expleto triennio a Senioribus ordinis sui Romam mittitur, controuersiæ illic eorum ipsorum nomine transigendæ, componendæque gratia, qui Roma reuertitur confecto negocio, ac in noua uniuersitate Vuittenbergensi, Theologiæ professor declaratur.

Fides Lutheri postquã apostatauit.

Lutherus excesserat annũ uicesimum antequã Monachus factus est.

Ad hunc igitur honoris gradum euectus ipse Ludderus, cognominis sui rationem satis uilem expendens, ac tandem uilitatem illius pertæsus, deinceps se non Ludderum

cognominari uoluit, sed Lutherum, mutato dd. gemino, in th. Et cum Doctoris titulo gauderet, Ioanni Tezelio fidei indagatori, nihil prorsus concedere uoluit, quinpotius fauore cōfisus Principis Saxoniæ, audacior & insolentior effectus est, & quo diutius eo magis scripta sua (quæ sane haud parum sibi constant, sed enim inter se ex diametro pugnant) prodidit, unde ubiuis locorum in Germania dissidia atq; tumultus exorti sunt.

Ludderus mutat nomen, & scribit se Lutherum.

Eodem hoc anno Schuediam Steno uir nobilis & strennuus tanquam Prorex gubernabat, & Archiepiscopus Vpsaliensis Gonnanus, uir iuuenis & multum animosus moliebatur Regnum Daciæ Christierno huiusce nominis ibidem secundo eripere, & adijcere illud imperio Stenonis. Sed ubi molitionibus suis promouere & exequi nihil posset, exercitum copiosissimum aduersus illum educens Rex Christiernus, metropolim Stockholm circuncingit spacio bimestri. Quam cum inuadere non posset, & exercitus inedia magna laboraret, inducias bello dari postulat, quod ipsum ciuibus non displicuit. Cupiebat præterea Rex Christiernus, ut Steno Schuediæ Vicerex, ex oppido ad se ueniret, conferendi de singulis causa inter se. Rennuūt ciues illius oppidi, quod fraudem huic petitioni subesse uiderent. Tunc Rex ut illi ciuitatem ingredi liceret, obtestatur, obsidibus prius emissis pro se, ad maiorem certioremq; securitatē. Prorex annuit pro obsidie Gostanum Erichi filiū postea Regem Schuediæ, dedit, aliosq; cum eodem nobiles. Quos cum in nauim recepisset Rex, uinctos perduxit in Daciam, & quatuor annis quieuit. Quibus transactis denuo copias instruit, regnūque Schuediæ subiugare suo dominio tentat. Stenonem cum exercitu occurrentem & præliantem sternit. Hinc accessum Rex liberū nactus est ad Schuedos, iterumq; Stockholm ciuitatem metropolitanam uallat. Ciues uero pacem cum Rege ineuntes, portas illi aperiunt, nihil penitus aduersi pertimescentes. Ingressus autem ciuitatem arcem occupat, & pro magnificentia regali splēdidum instruit conuiuiū. Ad quod nobilissimos regni & ciuitatis illius inuitat, quos omnes post triduanam conuiuationē carceribus mancipari iussit, misitq; in urbem multitudinē armatā, uinctos arripuit, & ante domū Senatoriam publice morte mulctat, primū Episcopos,

Mansferus.

deinde

deinde Barones, q̃d illi restitissent, tertio omnẽ magistratũ trucidat. Post hæc cives qui latebãt, inquirit, reptos necat. Deniq; in Vulgum sevit, quod ad spectaculum cõvenerat, ut quis suscitatus esset tumultus cognosceret. Die integro carnificina hominũ exercebatur ibidem. Adhæc domus invadebant, & quiduis pro libitu diripiebãt. Cunq; sic satis insanijsset Rex, homicidarum multitudine civitatem munivit, & profectus in Daniã redijt spolijs sive manubijs dives. Posteaquam vero Princeps Gostavus in captivitate tyrannidem & calamitosam servitutem patriæ suæ intellexisset, secũ animo pertractare cœpit, quo pacto effugere valeret. Iam concedebatur illi venationibus oblectari cum satellitibus ad custodiam eidem deputatis. Hac igitur libertate fretus & opportunitatem fugiendi nactus, relictis a tergo custodib. evasit ad rusticos. Assumpto quoq; habitu rustico, cuidam mercatori se associavit, apud quẽ bubulcum egit, Lubecam ad forum boarium cũ alijs perrexit. Vbi cum paulisper delituisset, in Schuediã traiecit, populiq; sui præsidio fultus, regno ibidem inauguratur, cum omni iure, quod etiam in Stockholm illi competit. Qui & obtinuit magnam vim militum ex Darlenkarlen fortissimi roboris, qui accolunt montes, quibus Schuedia a Nortuegia discernitur. Horum igitur multitudine ac viribus preditus, Stockholm (ubi ne civium quidem unus morabatur, sed extera Danorum gente solũ sustentata) accedit, quã usque eo obsidione fatigavit, & dimicationibus irruptionibusq; oppugnavit, donec recuperaret. Qua tandem recuperata gaudio & pace regio perfruita est, in qua navigare postea tutum liberrimumque fuit institoribus & mercatoribus.

ANno a Nativitate Christi M.D.xviij. ipso die Parasceues paschæ, numerus ingens stipendiariorũ ad oppidum Venclo cæsus est, qui ex Frisia eo se receperant, & usque tũc oblituerant, sic ut vicini principes non animadverterẽt. Mox vero ut insidiæ ipsorum clandestinæ principibus illis innotuit, educto expeditoq; exercitu equestri, eos tantis angustijs circundederunt, ut promittere cogerentur separationem, arma deponere, & domum unumquemque per se inermem recedere. Quo quidem definito, plurimi se exarmarunt, reliqui vero sclopetorum suorum pulchritudinem & concinnitatem admirantes, exarmari non permiserunt. An. 1518 Nicolaus bas selius.

Quod

Quod cernens classicus buccina signum dedit. Aduolantes tunc equites promptissimi sclopetarios illos adoriuntur, adortos trucidabant. Atque hoc modo ex improuiso magna & cruenta clades accidit.

Pestis Coloniæ grassatur

Interea temporis magna populi ruina, Coloniæ uidelicet grassabatur multis diebus, adeo ut plurima hominum milia extinguerentur, tribunalia clauderentur, gymnasia deniq; occluderētur. Die uero Gereonis proximo augustissimum altaris Sacramentum cū reliquijs Martyrū & Patronorum (quorum illic in pace corpora quiescunt & uenerantur) circumlatum est solenniter & religiose, & confestim pernicies illa sæuire aut ultra infestare desijt.

Hoc etiam seculo, Carolus Hispaniarum Rex manum robustam contra Barbaros instruxit, quos prelio uicit, & quadraginta milia ex his peremit. Ciuitatem quoq; opulētissimam ipsis uiademit, ademptam subiecit suæ ditioni, ablatis inde spolijs preciosissimis, ex quibus signa duo militaria exquisitissima Cæsari Maximiliano auo suo misit.

Eadem hac tempestate Maximilianus Imperator comitia celebrabat Augustæ. Quibus etiam diebus labentibus literas supplices ad Leonem Pontificem maximum scripsit Martinus Lutherus, q inter cætera hoc sensu uerborum utitur.

Ex actis Lutheri.

Beatissime Pater, offero me tuæ sanctitati, pedibus tuis aduolutor, omnia inquam offero quæ habeo. Da uiuere, interfice, uoca, reuoca, excipe, abijce, sicut uisum fuerit. Vocem tuam libenter auscultabo, tanquam Christi uocem, qui & residet & loquitur in te. Si mortem commerui, hanc subire non recuso. Inter hæc queritur quod malitiosi quidam ipsum grauiter traduxissent apud sanctitatem suam, sed immerito, nisi quod propter abusum eorum qui indulgentiarum uirtutem declamabāt coactus sit themata nonnulla proferre in mediū, disputandi solum gratia, quæ luculentius illustrare & explicare se uelle aiebat, rogans ne delatoribus & obtrectatoribus suis credat. Omnem suam doctrinam & sententiam Pontificis arbitrio subijciebat, erga quem etiam & Romanam Ecclesiam adeo cādide affectum esse se protestabatur, ut temere nihil attentare unquam proponeret, quod alterutrius cōsilio uel arbitrio repugnare uideretur, quia potestatem utriusq; tam insignem fatebatur, ut in terris nulla sit quæ huic queat adæquari, dempto Christo. Pollicebatur insuper populum in suis cōcionibus se adhortaturum,


D. Fontanus. Hæc transilit Sleydanus. & nimis affectuose scribit.

rurum, romanam ut Ecclesiam omni honore prosequatur, neue exemplo suo offendatur, quia quorundam abusionib. compulsus fuit, quod iustam atque condignam reuerentiam illi non exhibuerit. Deinceps autem statuisse se aiebat, omnem suam scientiam, studium, mentemque submittere decreto summi Pontificis & proborum omnium, nec solum Biblicis scriptis, sed cōcilijs, omnibusque Decretis, & Canonibus Sanctorum Patrū stare & obseruare uelle. Hæc Lutherus ad summum Pontificem,

Cæterum in alijs suis placitis quæ antea typo mandari iusserat, asserit, ueram Antichristi sedem erectam esse Romæ. Nihil fide dignum aut opus esse, quod non apertis & expressis scripturis in sacris biblijs continetur. Aliaque his similia non pauca pronunciat, quæ Catholicæ & Christianæ doctrinæ a tempore Apostolorū usque tunc assertæ & predicatæ, ex diametro aduersantur. Idcirco sapienter edocti uiri, Lutheri perniciosa pugnantiaque dogmata, rationibus longe uerissimis pariterque diuinis confutabāt, adeoq; nouæ & inauditæ doctrinæ sese gnauiter seu etiam grauiter opponebant. Inter quos primas facile tenet Doctor Ioannes Eccius, trium linguarum Hebraicæ, Græcæ atq; Latinæ peritissimus. Alter erat Syluester Prioras Dominicanus. Quibus contumeliose Lutherus respondit, eosque irridens, doctrinam ipsorum, hominum pscripta uocabat, & tales esse qui solius Thomæ Aquinatis sententiam proferrent. Ait Syluestri dicta Cacodæmonis esse commenta, ex quo Luthero promptam & serenam submittendi sese Pontificis Romani iudicio uoluntatem ominaretur.

Lutherus scribit aliter Pontifici, aliter Germanus.

Quamobrem etiam Syluestrum criminabatur blasphemum & assentatorem, & indies seuiebat ferociente stilo, intantum ut plures e numero Catholicorum errorem ipsius atro (quod dici solet) carbone notarent. Hæc uelitatio inter Lutherum & orthodoxos sensim excrescebat & augebatur, intātum ut etiam rumor illius ad Cæsaream Maiestatem peruenirer. Quo permotus Cæsar, ad Pontificem Max. protinus scribit, quod nimirum relatu a fide dignis acceperit, Lutherum illum de multis disputare & concionari, quorū maxima pars hæresim saperet. Quapropter Pontificem hortatur, quatenus authoritate qua pollebat maxima, omnem hanc concertationem prohiberet. Quod si faceret, operam se daturum uicissim spondebat, ut interdicti ipsius uigor per uniuersum imperium obseruetur, roburque suum obtineat.



C Citatur

An.1505. ANnus aderat M.D.v. quo Cæsar Maxi. in Agrippineñ. Colonia bellum quod inter Philippũ Palatinum & Ducem Albertum a Monacho composuit, celebratis ibiden comitijs. Quibus gestis die 18. Iulij, Colonia discedens in Gelriam cum Dynastis & nobilibus uiris qui ad comitia ueneãt, nauigauit, Brabãtis opitulaturus, qui Arnhemum obsidione cinxerant. Cuius aduentum reformidans Gelriæ Dux, Maiestati Cæsareæ se mox dedidit, Ciuibus aũt soluto iam obsidio nihil prorsus damni illatum est.

Comitia Colonæ. Nicolaus Baselius. Arnhem obsessa.

Posteaquam autem ex Brabantia in Alimanniam denuo rediret Imperator Maxi. Ciues Colonieñ. suæ Maiestati ordine decentissimo ornatissimoq; occurrerunt, honore debito eandem prosequentes, ut que aggratulationis specimen amplius exhiberent, læ tabundi ciues, mox tota Ciuitas Campanarum Clangore suauissimo perstrepuit.

An.1506. ANno Christi M.D.vi. Aduersus Vngares rebellãtes Cæsar exercitum instruxit. Sed conditiõibus qbusdam, ac Regũ quorundam & Principi interueniente patrocinio, subsequuta pax est.

Nicolaus Baselius.

Hoc insuper anno tanta lues in Sueuia & ripa Rheni porcos inuasit, ut pluribus ibidẽ in locis caro suilla uendi nõ posset. Præterea eo seculo Francorũ Rex fœdus quod nõ ita pridẽ cum Rege Romanorum pepigerat uiolauit, tametsi ad istius fœderis maiorẽ sanctionem ineundam, sumpto Euangelij codice, sumpta quoq; sacræ synaxi corã Deo & angelis prius esset protestatus, commodatumq; recepisset a Regia Maiestate Insubriam.

Munsterus.

Item sub id tempus a festo Michaelis ad festiuitatem usq; Dñicæ incarnationis tanti calores, imo etiã æstus (paucis certe diebus exceptis) uiguerunt, ut pruina nulla, nihil grandinis, aut deniq; niuis appareret, at circiter D. Ambrosij feriam, de repẽte frigus tam immensum, niuis & grandinis tanta copia, tantæq; procellæ sunt exortæ, ut seges passim (quæ propiciã satis auram nacta excreuerat) uastaretur.

Interea cum Philippus Rex Castellæ, Dux Burgundiæ &c. Imperatoris Maxi. filius una cum sua coniuge in Hispaniam proficisci destinasset, & producta in mari classe, cum principibus & nobilibus dies uiginti prospere nauigasset, nec ita procul a Corsica abesset, ex improuiso tempestas ingruit & cõmotio, adeo uehemens ut naues illæ in magnum discrimẽ uenerint, & a se inuicem soluerentur: quarum una quidem submersa est, & centum pariter in ea homines. Na

uis

uis autem Regia difficulter admodū uadum aliquod accipere potuit, quod tamen accepit in Anglia. Cum igitur intellexisset Rex se cum suis euasisse, reliquas autem naues adhuc periclitari posse agitarique fluctibus incertis (nimirum non inuento Rege quem inprimis seruare debebant) undique suppetias obuiam illis misit.

Quibus fretæ post diem unum aut duos in portū Anglicum deductæ sunt simul omnes, una tantum excepta. Quicquid damni nauibus ærumnosum salum intulerat, reparatum est, & resarcitum, ac tunc instructis sic satis nauibus, imploratoque Dei in primis auxilio, & S. Iacobi patrocinio inuocato, uela uentis iterum dederunt Hispanias uersus, deueneruntque in ciuitatem Perona uocatam. Vbi relicta classe, pedibus deinceps iter ad Sanctum Iacobū in Galitia confecerunt, inde uero Burgum Castellæ uenerunt.

Hic Philippus Rex posteaq̄ lecto decubuisset diebus uiginti, obijt ibidem in palatio suo morte præmatura, die 17. Septembris, annos natus 28. Cuius intestina Burgi, Cor autem Bruxellæ Brabantiæ, corpus deniq; in Granata conditum est, ut uiuus quondam fieri præceperat.

Demum hoc eodem anno Lubeceñ. contra Principem Mecelburgensem cum fœderis socijs bellum haud sine iactura gesserunt.

ANno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentisimo septimo, Romanorum Imperator Maximilianus comitia indixit egitq; Constantiæ, in quibus plurima de obluctatione Venetorum tractabantur. Hi nanq; cum audissent Cæsarem Maximilianum in Italiam iter adornasse ut in augararetur Imperio, cum Rege Gallorum pactum inierunt, quo possent commodius atq; ualidius institutam profectionem & inaugurationem impedire. Quod factum indigne ferens Romanorum Rex, proceribus & totius Regni potentia inuocata, Venetos execratus est, unde continua bella prodierunt. An. 1507. Munsterus. Cario.

Sub idem istud tempus, mense Iulio, subito importunissimi uenti perpetuo spiritu exaduerso flantes, robora magna arboresque altissimas radicitus subuerterunt, domibus denique & arcis uastatis.

traderet. Posthæc senatores suis honoribus exemerunt, claues, tabulas accepti & expensi, thesauros & omne æs in suũ ius redigerũt, aliosq; nouos substituerũt & crearunt senatores, q possent ex omnibus rationarijs, seu ut uulgo dicunt registris & rationibus sumptuarijs, totius ciuitatis, statũ illis significare & declarare. His aũt ita constitutis, compertũ est ciuitatẽ debuisse florenorũ sexcenta milia, pro quorũ dissolutiõe seu exoneratione annuis teneretur decisionibus ad triginta milia florenorũ. Sed quum ex aduerso reditus in summas reduxissent, qui quouis anno, municipio cõpetebant, animaduerterũt, quod milibus aliquot reditus q singulis annis ciuitati cesserant, rationẽ expensarũ excederẽt. Hinc multo amplius populus exasperatus cõtra magistratũ nuperrime exauthoratũ, huic manus inferre ac neruis corripere uolebat. Verũ mox ubi rescisc ẽt id repudiati, domibus ac ciuitate cesserũt, alij hic, alij uero illic. Quidam tamẽ ex his correpti sunt. Ac propterea qdem Erfordiæ decretum est & ratum, ut nimirum deinceps annue nouus creetur Magistratus, qui ab eo dẽ defunctis, rationẽ dati & accepti exigerẽt.

Inter hæc mense Augusto Lantgrauius Vuilhelmus anthrace seu igni sacro, alijsq; curatu difficillimis morbis exhaustus & consumptus, tandem morte uitam commutauit.

Sub id deniq; tempus quarto die decimo Iunij terræ motus ingens Cõstantinopolim cõcussit diebus octodecim, intantũ ut mœnia & uniuersæ domus quæ ad mare sitæ fuerant, magno cum impetu & damno corruerint. Thesauraria quoq; domus Imperatoris Turcarum, turribus quatuor munita ceu propugnaculis, ædificiũ sane quã splendidissimum, ubi asseruabantur Leones, cum alijs emporij huius magnificis ædificijs & munitionibus, concidit.

Accidit etiã hoc terræ motu mare sic intumescere & eleuari, ut se se ultra mœnia Cõstantinopolitanæ ciuitatis fluctus pcellosi ingererẽt. Fertur q̃d hac inundatiõe hoĩm ibidem tredecim milia perierint.

ANNO salutis humanæ *M. D.* x. Augustæ Vindelicorum comitia denuo habita sunt, quibus multi Principes Germaniæ interfuere. Comparuerunt etiam oratores Regis Francorum, Ferdinandi Regis Aragoniæ, & Vladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ. In quibus quidem Comitijs uaria contu- An. 1510. Nicolaus Baselius.

contulerunt inter se Principes, de suscepta a Bohemis contumacia & rebellione. Praeterea definitum est a Regibus & Principibus ibidem, bellum esse gerendũ contra Venetos, qui ut tunc primum patuit, iam furciferos aliquot mercede conduxerant, qui intempesta nocte oppida & pagos ignibus concremarẽt, quod in questione cõfessi sunt, quotquot ex his furciferis iniquo & crudeli stipendio authoratis, comprehendi potuere.

Notatu dignũ miraculum.

Interea temporis horrendũ plane & impium facinus in Marchionatu Brandeburgeñ. contigit. Nam impius quidã fur die sexto Februarij noctis horã circiter secundã, Paulus nomine, cognomine Form, phanum, cuiusdam pagi Knobloch subingressus, thecã argenteam, sed inauratam, in qua seruabatur sacramentũ altaris augustissimũ, furtim abstulit, ac interdiu Iudaeum quendã adijt, ut sacram illam thecam apud eundẽ aere permutare posset. Visa theca respondit Iudaeus raptori, Maluissem id a te recipere q̃d in hac theca exhibitum fuit, si tecũ attulisses liberaliter exoluissem. Hoc audiens fur mox protulit emptori Sacramentũ, quod celatum gerebat, emit Iudaeus, numeratis nouem solidis, quorũ xxxij. ualent floreno Rheneñ. Fur sceleris conscius prae nimijs angustijs nulla certa consistere sede poterat, fugiebat in Vuenden. illinc domũ rediẽs comprehenditur, torquetur, & impietatem confessus ordine furtũ narrat. Iudaeus aũt recepta hostia sacra, eam pugionibus confodere tentabat, sed integra ac solida mansit. Indignans Iudaeus hostiã uiuificam his uerbis incessit: Si Christianorũ tu Deus es, in mille diabolorũ nomine idipsum manifesta: mox uiua hostia in partes tres diuiditur rubeo sanguine manans. Obstupuit ille & partes sudario illigauit, ac uno mense sibi retinuit. Postmodũ uero duobus Iudaeis, perfidiae suae socijs, quorũ unus Brandeburgi, alter Stendeleae morabatur, unicuiq; partem misit hostiae miraculosae, tertiam reseruans, quam denuo arrepto mucrone transuerberat, & sanguis effluit. Veritus autem atheus ille, ne factum proderetur, hanc partẽ sanguinolentam in flumen eijcit. Sed cum neutiquam mergeretur, resumpsit, & in flammas conijcit, eundem nihilominus statum retinuit.

Appropinquante die azymorum, partem illibatam azymo commiscuit, ex eo infermentatum panem sibi conficiens. Vbi furno iam caliginoso imposuisset, illico tectus illuxit, & in

in oculos exiliit Iudæi. Conterritus ipse panem hunc azymum, cui nimirum admiscuerat deiferam illam partem, Iudæo cuidã donauit. Interim Marchione innotuit, quod Eucharistiam fur ille ante dies aliquot a suis subditis captus uiro Iudæo diuendidisset. Idcirco mãdauit omnes Iudæos inquilinos & tributarios suos comprehendi, destinatisq; tormentis examinari, & inter alia quæ commiserant scelera, etiam confessi sunt, intra annos aliquot Christianorum infantes septem se trucidasse, & acubus enecasse. Igitur triginta & octo ex his palam die xix. Mensis Iunij, ad tribunal productis, confessio ipsorũ prælecta fuit, quæ & mortis reos effecit, mortique condemnati ad cineres usq; exusti sunt. Tres quoq; ex istis morti adiudicatis Iudæis baptizari uoluerunt, proximo die baptizati duo tantum, capite truncati sunt, tertius multis tandem patrocinijs liber euasit, qui D. Francisco postea nomen dedit. Cæterũ fur ille & alter ipse Iudas, forcipibus excarnificatus, ad extremũ incendio penitus consumptus est. Deniq; exilio omnes Iudæi a Marchione mulctati sunt, sub pœna capitis. Eodẽ anno prope Mediolanum lapides multi magnæ molis ex aere ad terrã deciderũt, quorum unus centumpondium & xx. habebat. Durioribus silicibus erant & saporis sulphurei. Cohradus Lycosthenes

ANno Natiuitatis Dñi M.D.xi. Maximilianus Rex Augustæ comitia instituit. Vbi homo quidam inhumanus & crassus Cæsareæ Maiestati exhibitus est, inexplebilis uoracitatis, qui crudũ uitulum aut ouem incoctam uno tempore deuorabat, nec exatiari poterat. An. 1511. Nicolaus Baselius.

Per idem tempus quidam in Senatu Constantiensi ab Imperio desciscere uolebant, & sese & ciuitatẽ Heluetijs dedicare. Quod ut primum ij compertum habuere qui partes Imperij promouebant, præsertim Piscatorũ societas, confestim Regi Maximiliano Consilium illorum insinuarunt. Quo audito Cæsarea Maiestas socijs imperij cum trecentis equitibus in subsidium uenit. Cuius aduentũ reformidantes seditiosæ turbæ ciuitatem deseruere. Sed quoscunq; istius factionis comprahendebant, decollabantũr.

Eadem hac tempestate Iulius secundus Concilium Oecumenicum Romæ celebrandum describi iussit, uerum uita anticipatus, nihil inde singulare subsequutum est.

Hoc

Conradus Lycosthenes. Hoc deniq; seculo, in ipsa meridie astrorũ magna claritas Mediolani obtutibus ciuium ibidẽ reposita fuit. Et non longe post Franci Ciuitate eiecti sunt.

1512. Nicolaus Basellius. ANno a Christo nato M. D. xij. longa, pluuiosa ac horrida hyems fuit. Vnde passim in Germania morbosa lues, homines diuexauit, multosq; extinxit.

Quo insuper anno Imperator Maximilianus Herpibolim, quod uulgo Vuirtzpurgum nominãt, uenit, die uidelicet xxij. Februarij, ibidemq; Bacchanalia feriatus est. Et inde ad Occidentalia regna secessit, ubi & magnificentia principali & festiue exceptus est, simul atq; tributum annuum accepit, quem etiam liberaliter annumerarunt illic indigenæ. Posthæc undecimo die mensis Aprilis Treuerim appulit, ubi principibus suis diem comitialem præscripsit. Ad quem Heroes Imperij, Duces, Comites & Satrapæ comparuerunt. Præterea Ciuitates (quas ob libertatem & priuilegia imperiales uocant) eo loci suos destinarunt caduceatores. Tumq; Cæsarea Maiestas Altare templi Cathedralis aperiri reuerenter admisit, in quo sacra illa Iesu Christi inconsutilis tunica seruabatur, cum alijs uenetatione dignissimis reliquijs, quæ Treueri cernuntur.

Hoc eodem anno tragœdia inter Senatum & uulgum Spiræ excitabatur, sed quam Maximilianus Cæsar moderari potuit, atq; repressit una cũ Dynastis huic loco uicinis. Porro Senatoribus profugis ciuitatem ingredi non permittebatur.

Per idem tempus Gallorum Rex Ducẽ Gelriæ contra Brabantos excitauit, super hæc cum permultis alijs equidem memorandis fœdus quod inierat cum Cæsarea Maiestate irritum fecit. Eaque de causa eadem Maiestas pactum sanxijt cum Pontifice Maxim. præcepitque omnibus imperij proceribus sub grandi mulcta ne quisquam eorum ad Gallum deficeret, seu etiã ullo modo succurreret. Tunc temporis obedientia uigebit in Imperio. Quod quidem mandatum Cæsaris Emichus Comes a Lyningen ꝑ minimo ducens, contractis eductisque clam copijs ex Treueri abijt in Franciam, & interminato sibi Regi se coniunxit. Hoc cum audiuisset Cæsar, contemptorem & blasphemum Maiestatis proscripsit, ac Ludouico ad Rhenũ Palatino Electori iussit, ut proscripti Comitis arces, munitiones, pagos, omnemq; bonorum sortem occuparet. Quibus omnibus prompte Palatinus acquiescit. Alij quoq; Principes erant qui reum læsæ maiestatis mulctarunt, redactis

ctis in ipsorum potestatem aliquot propugnaculis, E quibus Dux Vuirtenbergen. unus obtinet hodie Castrum Hartenburgum.

ANno præstitæ salutis M. D. xiij. Vuormaciæ non modica inter Ciues & Magistratum est coorta seditio. Sed enim malevolorum quorundam hominum instinctu ciues aduersum senatores insurrexerant. Senatores ergo exauthorant, & ex semetipsis nouus fit magistratus. Debebant autem priores consules aut saltem maior pars Vuormatiam egredi. Cæterū imperator in Elsatiam Satrapam legat, qui intertractaret, & originem eiuscemodi seditionis indicaret, tum deniq; illius flammas consopiret restaurata cōcordia, incensoribus quoque seditionis sicubi comprehendi possent, secundum pœnas sceleri debitas castigatis. An. 1513. Munsterus.

Inter hæc in Vbiorum Colonia magnus populi tumultus suscitatur, plurima ciuium turba cateruatim coniunctis animis uiribusque ad domum Ciuicā armata contendebat, cum ingenti strepitu atq; clamoribus. Senatus quos nouerat populo fore gratos mittebat ad turbam quæ conuenerat, qui oratione sua effecerunt, ut inhonesti nihil patrarent eo die. Cū uero dies alter illuxisset qui erat 7. Ianuarij, quidam ex senatoribus carceribus mancipantur, & de cimo eiusdem mensis unus illorū publice obtrūcatur. Vndecimo die duo quoq; Consules decollati sunt. Die duodecimo adhuc tres senatorij ordinis capitalem subiere sententiam. Post quorum cædem uulgus conquieuit, & in concordiam redijt. Nicolaus Beselius.

Hoc eodē seculo die 21. Februarij, Romæ summus Pontifex Iulius secundus, uita defunctus est, exacto iam anno decimo sui Pontificatus, in concilio Lateranen. ab eo designato. Cui post dies sedecim, Ioannes ex Medicis Florentinus successit, ac Leoni decimi nomen accepit. Iulius moritur. Leo X. subsistituitur.

Sub finem anni istius aura tanto frigore obriguit & inhorruit, ut Rhenus ex aduerso ciuitatis Colonien. solidissima glacie constringeretur, & qui nauigabilis tantum fuerat, onustis plaustris sternitur ceu uia quædam publica. Dissoluebatur autem glacies ipso die D. Antonij, anno 14.

ANno Domini M.D.xiiij. mēse Ianuario, die uero nono, abijt e uita hac Anna Regina Franciæ, & pacifica conuentio inter Anglos An. 1514 Nicolaus Beselius.

Qui imo annis elapsis iam duobus magis magisq; in feriam usque sextam ante Pentecosten anno Dñi M.D.xv. summo diluculo excrescere cœperat, tanta copia, tantaq; ui, ut indigenæ uel accolæ, cogerentur ad montium cacumina confugere. Postea quã uero longa mora intercessisset, tandem cum ingenti trepidatione in uallem descenderunt. Magno posthæc impetu facto horis quatuor ante meridiem erumpere fluuius hic cœpit, adeo tempestuose, ut rupes immensæ molis secum abriperet, & pagum uastatis terminis quibus internosceretur, ubi is quondam extiterit, cui uiciuus quidam locus erat nomine Monasteriolum, uulgariter Cloisterlein appellatus. A quo non procul adeo distabat diuersoriũ quoddam, æthiope nigro insignitum. Hospes hic tantam aquarum inundantiam immi nere sibi cernens, uxorem cum prolibus apprehẽdit ac fugit, sed euadere non potuit, nam & ipse numero tertisdecimus submergitur. Sola nempe ancilla conscenso tecto incolumis permansit. Inuoluebantur homines simul & iumenta & absorbebantur. Insuper cum eo loci aduentasset negotiator quidam Genuensis, decem ligaturarum siue sarcinarum serici & aromatum iacturam perpessus est. Aderant demq; ciues Bellitzienses piscandi gratia, qui turbulentiorem aquam reddi uidentes, in fugam conuersi sunt. Cunque effugere festinarent altas & grandes arbores ascenderunt, sed nihil profuit ipsis quin pariter cum arboribus præcipites ferrentur. Hic idem fluuius perfregit Letzim Bellitiziensem, alluebatq; Luckarim, inde usque in mare magnum defluens, & nusquam non cuncta subuertens atque domoliens.

ANNO incarnati uerbi M.D.xvij. in Italia phalanges numerosæ & armatus in aere confligere inter se uisæ sunt. An. 1517

Quo insuper anno Selymas Turcorum Imperator Alcariũ suæ tyrannidi subiugauit. Soldanum quoque Tomumbeium Sarrazenorum Regem potentissimum superauit, superatum mulo insidere fecit, & circunlegato ipsius collo per uniuersam Alcairum uehi iussit. Tandem uero sic ludibrijs affectum in crucem egit.

Per idem tempus Leo Pontifex Romanus ad exædificationem Basilicæ Apostolorum Principi dedicatæ eodẽ splendore ea

demq; magnificentia qua Iulius secundus Prædecessor fabricare seu uerius adornare & expolire ceperat, consummandam: indulgentias siue relaxationes pœnarum quæ peccata manent impartire uoluit ecclesiis, omnesq; fideles adhortari, quatenus eleemosynas hoc modo in eum ac similem usum & ægestatem Ecclesiarum subleuandam elargiri & impendere non grauentur: cui negocio promouendo & exequēdo Albertū Archiepiscopū Moguntineñ. pfecit, qui uicissim Cōmissarium delegit uirum sane doctum Prædicatorū ordinis, Iohannem uidelicet Tetzell. Quod plurimum equidem offendit Augustinianos quos heremitas uocamus, præsertim autem Iohānem Staupitium ipsorum Generalem per Germaniam Vicarium, genere clarum atq; disertum, ob idq; Frederico Saxoniæ Duci & Electori charum. Hic igitur Staupitius & Martinus Ludderus, qui & ipse Augustinianus erat, Reuerēdissimo Moguntino non parum indignabantur, quod Iohannem hunc Dominicanum ipsis potiorem iudicasset atq; fecisset, eo quod sese non inferiores illo existimarent. Itaq; Staupitius cum magnæ dignitatis & autoritatis apud Fridericum Ducem esset, suorumq; confratrum contemptum grauiter ferret, abusum eorum qui prædicabant populo commendabantq; indulgentias, insinuauit Principi Electori, cum uituperio earundem: quod ipsum etiam Electori sic persuasit, ut penitus animus Ducis, ab his abalienaretur, & abhorreret. Quod cum animaduerteret Martinus Ludderus, ut ferocis, & arrogantis ingenij semper extiterat, literas ad Albertum Archiepiscopū Moguntinensem destinat. In quibus scribit nō decere uidelicet clementiam seu maiestatem Electore dignam, ut ipsius nomine tales indulgentiæ promulgarentur, eo quod Christi Euangelio repugnarent, quod docet uiam quæ nimirum ducit ad uitam, arctam esse, portam quoq; ualde angustam.

Sleydanus narrat hæc infideliter.

Exactis Lutheri.

Adhæc hortatur nos Apostolus operari salutem nostram una cum timore & tremore. Quin etiam D. Petrus, Iustus inquit uix saluabitur. Huiuscemodi & alia pleraq; documēta diuina, ad Reuerendissimum Martinus ille scribebat. His addebat indulgentiarum assertores repugnantia docere: nimirū homines indulgentijs peccatorum remissionē consequi, fieriq; saluos, unde: uulgus ut inquit sensim deterior redditur, excluso Dei timore. Scribit deniq; quod eiusmodi illi tanquam Archiepiscopo indicare uoluerit.

Sleidanus.

Fides Lutheri quando adhuc in castris ecclesiæ militabat.

Hæ

Hæ autem literæ a Luddero missæ sunt e Vuittenberga in pro festo omniũ Sanctorum, anno M.D.xvij. Sed haud ita pridem in opusculo suo de Captiuitate Babylonica scribit in hæc fere uerba: Omnis ille Christianus qui baptizatus est, damnare se nequit, nisi per incredulitatis peccatũ. Et rursus, Nullum ait peccatum tam est graue quo posset quis damnari, modo credat. Verum propter hæc tam perplexa, absurda & seditiosa dogmata, pleriq; doctiores Lutherum suspectum habebant, & in eum scriptis inuehere stricto calamo cæperunt. Inter quos memoratus Iohannes Tetzelius, hæreticæ tunc prauitatis inquisitor, obseruationes seu articulos centum & sex aduersus Lutheri antididagmata fere primus in lucem edidit. Cæterum ut Martini Ludderi genealogiam cognoscamus, uisum est patriam, nomen & parentes, studiaq; obiter ac uere memorare. Lutherus igitur Islebij anno 1488. natus est, sub dominio Comitum a Mansfeld. Patrem habuit Iohannem nomine, Matrem Margaretam. Qui cum Islebij annis aliquot rei literariæ operam dedisset, Madeburgum studij nimirum causa abijt. Inde profectus Isenacum, annos quatuor hic sese exercuit. Dehinc Erfordiam ceu asylum quoddam suorum studiorum conmigrauit, ubi magisterij Lauream anno ætatis suæ uicesimo adeptus est. Cæpitq; extunc Iurisprudentiæ uacare: & cum una dierum expatiari uellet, adeoque uires ingenij reficere, subito terrore correptus, uitæ pristine deserit institutum, nomenque dat ibidem diuo Augustino, cum admiratione multorum, & post uotum seu fidem professionis, in eodem hæremitario perseuerauit. Posthæc autem Vuittenbergam uenit, interpretaturus ibidem suis collegis Aristotelicam philosophiam, quod hic nuper instaurata esset Academia, & authorata. Expleto triennio a Senioribus ordinis sui Romam mittitur, controuersiæ illic eorum ipsorum nomine transigendæ, componendæque gratia, qui Roma reuertitur confecto negocio, ac in noua uniuersitate Vuittenbergensi, Theologiæ professor declaratur.

Fides Lutheri postquã apostatauit.

Lutherũs excesserat annũ uicesimum antequã Monachus factus est.

Ad hunc igitur honoris gradum euectus ipse Ludderus, cognominis sui rationem satis uilem expendens, ac tandem uilitatem illius pertæsus, deinceps se non Ludderum

cognominari uoluit, sed Lutherum, mutato dd. gemino, in th. Et cum Doctoris titulo gauderet, Ioanni Tezelio fidei indagatori, nihil prorsus concedere uoluit, quinpotius fauore cõfisus Principis Saxoniæ, audacior & insolentior effectus est, & quo diutius eo magis scripta sua (quæ sane haud parum sibi constant, sed enim inter se ex diametro pugnant) prodidit, unde ubiuis locorum in Germania dissidia atq; tumultus exorti sunt.

Ludderus mutat nomen, & scribit seLutherum.

Munsterus.

Eodem hoc anno Schuediam Steno uir nobilis & strennuus tanquam Prorex gubernabat, & Archiepiscopus Vpsaliensis Gonsanus, uir iouenis & multum animosus moliebatur Regnum Daciæ Christierno huiusce nominis ibidem secundo eripere, & adijcere illud imperio Stenonis. Sed ubi molitionibus suis promouere & exequi nihil posset, excercitum copiosissimum aduersus illum educens Rex Christiernus, metropolim Stockholm circuncingit spacio bimestri. Quam cum inuadere non posset, & exercitus inedia magna laboraret, inducias bello dari postulat, quod ipsum ciuibus non displicuit. Cupiebat præterea Rex Christiernus, ut Steno Schuediæ Vicerex, ex oppido ad se ueniret, conferendi de singulis causa inter se. Rennuũt ciues illius oppidi, quod fraudem huic petitioni subesse uiderent. Tunc Rex ut illi ciuitatem ingredi liceret, obtestatur, obsidibus prius emissis pro se, ad maiorem certiorem q; securitatẽ. Prorex annuit pro obsidie Gostanum Erichi filiũ postea Regem Schuediæ, dedit, aliosq; cum eodem nobiles. Quos cum in nauim recepisset Rex, uinctos perduxit in Daciam, & quatuor annis quieuit. Quibus transactis denuo copias instruit, regnũque Schuediæ subiugare suo dominio tentat. Stenonem cum exercitu occurrentem & præliantem sternit. Hinc accessum Rex liberũ nactus est ad Schuedos, iterumq; Stockholm ciuitatem metropolitanam uallat. Ciues uero pacem cum Rege ineuntes, portas illi aperiunt, nihil penitus aduersi pertimescentes. Ingressus autem ciuitatem arcem occupat, & pro magnificentia regali splẽdidum instruit conuiuiũ. Ad quod nobilissimos regni & ciuitatis illius inuitat, quos omnes post triduanam conuiuationẽ carceribus mancipari iussit, misitq; in urbem multitudinẽ armatã, uinctos arripuit, & ante domũ Senatoriam publice morte mulctat, primũ Episcopos, deinde

deinde Barones, q̃d illi restitissent, tertio omnẽ magistratũ trucidat. Posthæc ciues qui latebãt, inquirit, reptos necat. Deniq; in Vulgum seuit, quod ad spectaculum cõuenerat, ut quis suscitatus esset tumultus cognosceret. Die integro carnificina hominũ exercebatur ibidem. Adhæc domus inuadebant, & quiduis pro libitu diripiebãt. Cunq; sic satis insanĳsset Rex, homicidarum multitudine ciuitatem muniuit, & profectus in Daniã redĳt spolĳs siue manubĳs diues. Posteaquam uero Princeps Gostauus in captiuitate tyrannidem & calamitosam seruitutem patriæ suæ intellexisset, secũ animo pertractare cœpit, quo pacto effugere ualeret. Iam concedebatur illi uenationibus oblectari cum satellitibus ad custodiam eidem deputatis. Hac igitur libertate fretus & opportunitatem fugiendi nactus, relictis a tergo custodib. euasit ad rusticos. Assumpto quoq; habitu rusticano, cuidam mercatori se associauit, apud quẽ bubulcum egit, Lubecam ad forum boarium cũ alĳs perrexit. Vbi cum paulisper delituisset, in Schuediã traiecit, populiq; sui præsidio fulrus, regno ibidem inauguratur, cum omni iure, quod etiam in Stockholm illi competit. Qui & obtinuit magnam uim militum ex Darlenkarlen fortissimi roboris, qui accolunt montes, quibus Schuedia a Nortuegia discernitur. Horum igitur multitudine ac uiribus preditus, Stockholm (ubi ne ciuium quidem unus morabatur, sed extera Danorum gente solũ sustentata) accedit, quã usque eo obsidione fatigauit, & dimicationibus irruptionibusq; oppugnauit, donec recuperaret. Qua tandem recuperata gaudio & pace regio perfruita est, in qua nauigare postea tutum liberrimumque fuit institoribus & mercatoribus.

ANno a Natiuitate Christi M.D.xvĳ. ipso die Parasceues paschæ, numerus ingens stipendiariorũ ad oppidum Venclo cæsus est, qui ex Frisia eo se receperant, & usque tũc oblituerant, sic ut uicini principes non animaduerterẽt. Mox uero ut insidiæ ipsorum clandestinæ principibus illis innotuit, educto expeditoq; exercitu equestri, eos tantis angustĳs circundederunt, ut promittere cogerentur separationem, arma deponere, & domum unumquemque per se inermem recedere. Quo quidem definito, plurimi se exarmarunt, reliqui uero sclopetorum suorum pulchritudinem & concinnitatem admirantes, exarmari non permiserunt. An. 1518 *Nicolaus basselius.*

Quod

Quod cernens classicus buccina signum dedit. Aduolantes tunc equites promptissimi sclopetarios illos adoriuntur, adortos trucidabant. Atque hoc modo ex improuiso magna & cruenta clades accidit.

Pestis Coloniæ grassatur

Interea temporis magna populi ruina, Coloniæ uidelicet grassabatur multis diebus, adeo ut plurima hominum milia extinguerentur, tribunalia clauderentur, gymnasia deniq; occluderẽtur. Die uero Gereonis proximo augustissimum altaris Sacramentum cũ reliquijs Martyrũ & Patronorum (quorum illic in pace corpora quiescunt & uenerantur) circumlatum est solenniter & religiose, & confestim pernicies illa sæuire aut ultra infestare desijt.

Hoc etiam seculo, Carolus Hispaniarum Rex manum robustam contra Barbaros instruxit, quos prelio uicit, & quadraginta milia ex his peremit. Ciuitatem quoq; opulẽtissimam ipsis uia demit, ademptam subiecit suæ ditioni, ablatis inde spolijs preciosissimis, ex quibus signa duo militaria exquisitissima Cæsari Maximiliano auo suo misit.

Eadem hac tempestate Maximilianus Imperator comitia celebrabat Augustæ. Quibus etiam diebus labentibus literas supplices ad Leonem Pontificem maximum scripsit Martinus Lutherus, q inter cætera hoc sensu uerborum utitur.

Ex actis Lutheri.

Beatissime Pater, offero me tuæ sanctitati, pedibus tuis aduolutor, omnia inquam offero quæ habeo. Da uiuere, interfice, uoca, reuoca, excipe, abijce, sicut ursum fuerit. Vocem tuam libenter auscultabo, tanquam Christi uocem, qui & residet & loquitur in te. Si mortem commerui, hanc subire non recuso. Inter hæc queritur quod malitiosi quidam ipsum grauiter traduxissent apud sanctitatem suam, sed immerito, nisi quod propter abusum eorum qui indulgentiarum uirtutem declamabãt coactus sit themata nonnulla proferre in mediũ, disputandi solum gratia, quæ luculentius illustrare & explicare se uelle aiebat, rogans ne delatoribus & obtrectatoribus suis credat. Omnem suam doctrinam & sententiam Pontificis arbitrio subijciebat, erga quem etiam & Romanam Ecclesiam adeo cãdide affectum esse se protestabatur, ut temere nihil attentare unquam proponeret, quod alterutrius cõsilio uel arbitrio repugnare uideretur, quia potestatem utriusq; tam insignem fatebatur, ut in terris nulla sit quæ huic queat adæquari, dempto Christo. Pollicebatur insuper populum in suis cõcionibus se adhortaturum,


D. Fontatus. Hæc transilit Sleydanus. & nimis affectuose scribit.

turum, romanam ut Ecclesiam omni honore prosequatur, neue exemplo suo offendatur, quia quorundam abusionib. compulsus fuit, quod iustam atque condignam reuerentiam illi non exhiberit. Deinceps autem statuisse se aiebat, omnem suam scientiam, studium, mentemque submittere decreto summi Pontificis & proborum omnium, nec solum Biblicis scriptis, sed cōciliis, omnibusque Decretis, & Canonibus Sanctorum Patrū stare & obseruare uelle. Hæc Lutherus ad summum Pontificem,

Cæterum in aliis suis placitis quæ antea typo mandari iusserat, asserit, ueram Antichristi sedem erectam esse Romæ. Nihil fide dignum aut opus esse, quod non apertis & expressis scripturis in sacris bibliis continetur. Aliaque his similia non pauca pronunciat, quæ Catholicæ & Christianæ doctrinæ a tempore Apostolorū usque tunc assertæ & predicatæ, ex diametro aduersantur. Idcirco sapienter edocti uiri, Lutheri perniciosa pugnantiaque dogmata, rationibus longe uerissimis pariterque diuinis confutabāt, adeoq; nouæ & inauditæ doctrinæ sese gnauiter seu etiam grauiter opponebant. Inter quos primas facile tenet Doctor Ioannes Eccius, trium linguarum Hebraicæ, Græcæ atq; Latinæ peritissimus. Alter erat Syluester Prioras Dominicanus. Quibus contumeliose Lutherus respondit, eosque irridens, doctrinam ipsorum, hominum pscripta uocabat, & tales esse qui solius Thomæ Aquinatis sententiam proferrent. Ait Syluestri dicta Cacodæmonis esse commenta, ex quo Luthero promptam & serenam submittendi sese Pontificis Romani iudicio uoluntatem ominaretur.

Lutherus scribit aliter Pontifici, aliter Germanus.

Quamobrem etiam Syluestrum criminabatur blasphemum & assentatorem, & indies seuiebat ferociente stilo, intantum ut plures e numero Catholicorum errorem ipsius atro (quod dici solet) carbone notarent. Hæc uelitatio inter Lutherum & orthodoxos sensim excrescebat & augebatur, intātum ut etiam rumor illius ad Cæsaream Maiestatem perueniret. Quo permotus Cæsar, ad Pontificem Max. protinus scribit, quod nimirum relatu a fide dignis accepisset, Lutherum illum de multis disputare & concionari, quorū maxima pars hæresim saperet. Quapropter Pontificem hortatur, quatenus authoritate qua pollebat maxima, omnem hanc concertationem prohiberet. Quod si faceret, operam se daturum uicissim spondebat, ut interdicti ipsius uigor per uniuersum imperium obseruetur, roburque suum obtineat.



C Citatur

Citatur Lutherus Romam a Leone Papa, qui & literas ad Cardinalem Caietanũ mittit legatione sua in Germania fungentem : qbus innuit se intellexisse, quod Lutherus in cõcionibus suis & libris passim per Germaniam articulos aliqt impios & ab Ecclesia Romana reiectos proderet, cuius rei gratia testat se ex affectu paterno, Hieronymo Asculensi Episcopo cõmisisse, quatenus is ipse in Lutherũ citationem efficeret Romæ exequendam, scilicet, ad deprimendã illã Lutheri tẽeritatẽ atq; uecordiã. Nã doctrinæ suæ rationẽ redditurus illic esset. Qui nihilominus hac citatione non solum non emendasset se, quinetiam ueluti in hæresi sua obduratus, scripta superioribus longe deteriora edidisset. Ea ꝓpter hortatur ipsum omnem ut diligentiam impendat, quo Lutherus Augustam perduci posset, ibiq; asseruari, donec isthinc cõmodius Romã deduceret. Qui prout pœnitere & resipiscere uideret, errati sui ueniã q̃q; impetraret, atq; eadẽ ratiõe in Ecclesiã (quæ pœnitẽtes nũq̃ excludit) admitteret. Quæ si facere cõtẽneret, ipsum anathemati deuoueret.

Sleydanus

Dabat insup Romanus Pontifex literas ad Fridericũ Saxoniæ Ducẽ tũc Augustæ manẽtẽ, qbus eum ipsum cõmonefacit, maiores seu antecessores suos, familiæ uidelicet Saxonicæ, Religione diuinoq; timori addictiss. fuisse, adeo ut etiã incredibile foret quod ille ab indole tã præclara, tantaq; cõstantia maioꝝ deflecteret. Qua propter religionẽ Christianam exemplo maioꝝ dignissimo præditus, fortiter pariq; cõstantia defensaret, cõtra eum q secus atq; decet de religione sentit castigaret, quũ idẽ ille nõ solum instituti atq; ꝓfessionis suæ obiuisceret, uerumetiã modis quã plurimis prsus malitiose ex insueta quadã temeritate aduersus catholicã Christi ecclesiã delinqueret, q deniq; iactitaret se neminẽ formidare aut reuereri, fauore atq; tutela fretus sui Principis. Hinc est ꝙ ipsum admonitũ uelit, quatenus suos & hoꝝ antecessoꝝ seu maioꝝ nomẽ ac decus sedule ꝑpendat, quoniam hæc res ad fidei negociũ attineret, adeoq; permaximi momenti foret. Curaret igitur & eniteretur, ut Lutherus ei sisteretur, & sicuti quærẽdo & respõdendo inueniretur innocens, ita illæsum domum reuerti concederet,

Sleydanus

Lutherus aũt Romã se uocatũ intelligẽs, ut in Germania causam suã tutius trãsigere posset, efficit, & ab uniuersitate Vuitẽbergẽsi literas ad summũ Põtificẽ in grãm suiipsius cõscriptas, recipit, in qb, negotiũ Lutheri Flosculis rhetoricis ꝓ sua ipsoꝝ uirili exornabãt, dictitabantq;, eũ qdem Romam accersitũ esse, sed ꝑ corporis imbecillitatẽ, & itineris difficultate periculosa, ipsum comparere non posse. Themata etiam nõnulla dispũtãdi potius quã asserẽdi causa

ab illo fuisse producta, q̃d sane in deteriorẽ partem interpretaretur. Neq; uero eis decreuisse apud se testificabantur aliquid quod Catholicæ repugnaret ecclesiæ permittere, neue deprecãti Luthero deessent, huiusce argumẽti cõsectã ab ipsis esse Epistolã aiebant.

Ad Carolũ quoq; Miltitium Leoni Pontifici Max. a cubiculis. eodem fere tenore literas mittunt, quibus Lutherũ oppido cõmendant, testanturq; ita se affectos esse erga Religionem & Romanã Ecclesiam, ut si in Luthero aliqua calumnia uel error deprehendi queat, id nequaq̃ dissimulandũ ipsis esse. Imo nisi Dux Frideric⁹ illũ ut probum uirũ reputasset, non euasisse inultum. Quocirca rogatũ eũ uellent, ut efficiat quo Luthero in Germania apud iudices ueriores siue neutrius partes causam dicere cõcedat̃, tumq; demũ palam futurũ, quam omnino nullam temere uel insolẽter occasionem tumultuandi dedisset.

His igitur supplicibus literis effectum est, ipso quoq; Duce Saxoniæ Friderico procurante, & apud Caietanũ Augustæ intercedente, ut Luth. p̃mitteret̃ causam suã Augustæ corã Caietano tractare.

Venit igit̃ Augustã mense Octobri, ubi totũ egit triduũ anteq̃ sese Cardinali Caietano exhiberet. Quod tamẽ eorũ q̃bus Luth. a Friderico Duce fuerat cõmendat⁹ cõsilio factũ est, ne uidelicet prius Cardinalẽ cõueniret q̃ obtentis ab Imp. Maximiliano literis, publicam fidẽ attestãtibus, p̃ceperãt. Quibus acceptis ad Cardinalẽ sese cõfert, a quo sereno tũ uultu tũ animo exceptus est, moxq; paterna admõitione interposita, duo potissimũ ex decreto summi Põtificis ab eodẽ illi p̃ponunt̃, q̃ p̃stare deberet. Primũ ut resipiscat, erratusq; suos reuocet, quos antea effutiuerat. Secũdũ ut ab oĩbus tũ scriptis tũ cõcionibus cõtineat se, q̃bus Ecclesia p̃turbari possit. His aũt Lutherus subiecit: Se necdũ plene satis assequi q̃ seu scripto seu cõcionibus alicubi errasset. Sin secus doceret̃ potius, paratissimũ se auditorẽ fore promittens. Quod cũ legatus ipse Apostolicus multis argumẽtis cũ ex authoritatibus scripturæ sacræ petitis, tũ ex Canonib. Cõciliorũ efficere niteret̃, adeoq; dextre, sic ut Lutherus cõsistere nõ posse se cõsideraret, deliberãdi spatiũ ille petit. Postero igit̃ die reuersus ad iudicẽ suũ Caietanũ, p̃sentibus quatuor uiris ex ordine procerũ & consiliariorũ Cæsaris, protestationẽ suã ex præscripto sic recitauit; Ego frater Martinus Lutherus Augustinianus, protestor, me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam, in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris.

dia pertentem quæ solent in te tui similes, pertinaces uidelicet pertentari. Et si resipiscere tergiuersaris, apage hinc, nec me frustra conuenias amplius.

Die uero tertio timebat Lutherus ne forte Cardinalis iuxta mandati sui rationem atque præscriptum, ipsum castiget. Blandas itaque literas scribit illi, agens gratias pro solita erga eum diligentia, ac paratum se testatur quibus posset obsequiis, omnibus hominibus succurrere, seu gratificari magis, simulatque suam in scribendo temeritatem agnoscit, & quod dignitatem Pontificiam, prout decebat, reueritus non sit, sed id factum esse suorum aduersariorum, & indulgentiarum præconum culpa. Veniam deprecatur, se deinceps uoluntati & arbitrio Pontificis in suis concionibus acquiescere uelle promittit, simulatque se quidem promptissime Pontifice paruisse, quod scilicet Augustam, licet satis debilis ait uenerim, itinere hoc tam arduo nunc a me confecto. Sed quoniam uictui necessaria non suppetant, domum ait redire decreui. Sibi adhæc a necessariis suis esse consultum, ut neglecto Cardinale appellationem ad Pontificem efficiat, quod tamen operæ pretium non putasset. Nihilominus se hoc amicorum consilium non debuisse prorsus repudiare, potissimum quum suo Principi, Saxoniæ Duci, huiusmodi appellatio magis grata quam recantatio foret. Hæc aliaque id generis plura ad Cardinalem dabat. Verum ad cæteros multo secius, & palam & aperte, Cardinalem appellabat Tyrannum, superbum & indoctum, ut in actis suis est uidere. Quinetiam in sua appellatione queritur, quod indulgentiarum præcones ipsum grauiter & quidem falso ob indulgentias de quibus tamen nihil affirmasset, sed solum disputasset, ipsum traduxissent.

Sleidanus suo more modum in huius appellationis narratione setorquet et gyrat.

Quapropter controuersiam siue causam ad recognitionẽ Pontificis proborumque uirorum dedisset, qui hanc eãdem causam Episcopo Asculano & Siluestro Prierati concredidisset, quum tamen hi parti contrariæ magis fauerent, adeoque causam ipsius intendere & iudicare ineptos fore, propterea petiisset, ut hæc recognitio uiris in Germania doctissimis comitteretur, illic nimirum ubi extra omnem periculi alicuius metum ageret. Modo uero Pontificem ipsum uniuersum negocium Cardinali Caietano commisisse, qui uoluisset sua ut dogmata recantaret. Ad quæ respondisset ille: Promptum se esse non solum causam ipsam excellenti-

Furcam in qua suspẽdi suaue sit, non repperit Lutherus.

 oribus

oribus Academijs, imo etiam Ecclesiæ Romanæ sub ijcere. Quæ Cardinalem permouere nequiuissent, sed ad Palinodiam instantius coegisse. Cuius rei gratia quum ipse se grauatum sensisset, ob id ipsum decreuisset ab Pontifice Romano, quasi minus in hac causa perito, aut exercitato, iudice, ad alium Pontificem magis solertem & expertum appellare. Hanc pretexatam Appellationem Augustæ Lutherus dimisit, quæ a suis asseclis ibidem tum promulgata & affixa fuit. Atque ita Lutherus se subduxit.

Quid autem isti testati sint satis liquet.

O pulchrā & æquam appellationem.

Post discessum uero suum publice & priuatim legatum illum falso accusabat tyrannidis, superbiæ, infidelitatis, ignorantiæ &c. Deniq; in epistola sua secūda ad Leonē x. grauissime simul & calūniosissime illū accusans, ait: Notū esse arbitror tibi, q̄d mecū egerit Cardinalis S. Sixti, Legatus tuus, imprudens & infœlix, imo infidelis. In cuius manu, ob tui nominis reuerētiā, cū me & omnia mea posuissem, nō hoc egit, ut pacē statueret, q̄ uno uerbulo potuisset facile statuere: Cū ego tū ꝓmitterē silentiū, & finē causæ meæ facturū, si aduersarijs idē mādaret. At homo gloriæ, nō cōtentus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare, licētiā aperire, & mihi palinodiā mādare; id q̄ in mādatis prius nō habuit. Hic sane, ubi causa in optimo loco erat, illius importuna Tyrānide uenit in multo peiorē. Vnde q̄cquid post hæc secutū est, nō Lutheri, sed Caietani tota culpa est, q ut silerē & quiescerē, nō est passus. Quod tū summis uirib. poscebā. Quid enim facere amplius debui? Ergo ut Legati q̄q; uictor uideretur, & maiorē inde famā fideq; & authoritatē sibi acquireret, scripsit in Actis suis, quod ille nullam syllabā ex sacris literis cōtra ipsum ꝓduxerit unq̄, nec possit etiā, si q̄ maxime uellet. Cōtra uero, ubi scripturas attulisset Lutherus, Legatus de corde suo effinxerit glosas, iuxta longā Ro. Curiæ cōsuetudinē. Qua relictis sacris literis, & acceptis traditiōibus uerbisq; hominū, factū sit, ut Ecclesia Christi non mēsura tritici pascatur, nec uerbo Christi; sed nō raro temeritate & uolutate alicu⁹ indoctissimi adulatoris regat, & eo ꝓfecerit nostræ infœlicitatis magnitudo, ut ad reuocationem & abnegationem fidei Christianæ & sacratissimæ scripturæ incipiāt cōpellere. Eiusmodi querelis auxit Lutherus apud q̄ plurimos sibi q̄dem fauorē & existimationē, aduersarijs uero odiū & cōtemptū. Ausus itaq; fuit, etiā Protectoris & Principis sui autoritate, Vuitenbergā publico scripto citare q̄slibet hæreticæ priuatis Inquisitores, si q uideantur sibi deuorare ferrū, petrasque dirūpere, ut uenirant illuc cum ipso disputaturi, habituri non modo saluum conductum,

ctum, sed etiam liberum hospitium sumptusque a Principe. Hæc & id genus multa iactitans, sibique scripturarum peritiam præ omnibus arrogans, plurimos in partem suam traxit: clamitans, non solum scholasticos Theologos, uerum etiam Papam ipsum eiusque Decretales uim facere scripturis, easque torquere, ac improprie & abusiue intelligere. Exclamabat igitur aliquando in tales, qui aliter quam ipse uellet, scripturas interpraetantur, quod sint Centuplo peiores Turcis: Quoniam uerbum Dei, quod omnia sanctificat, scelerate in nihilum redigant. Simulabat quidem eo tempore blandioribus uerbis modestiam, humilitatemque & obedientiam, ut partem suam & auctiorem & commendatiorem redderet: Cor tamen eius semper erat in mordacitatem superbiamque & rebellionem erectum. Quod sane alicubi ipsemet palam fecit. Ait enim in Actis ad Lectorem: Posteriorem responsionem meam, etsi cum multa reuerentia dedi, ac uelut in arbitrium summi Pontificis reposui: Non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitem, aut animi sententiam sim unquam mutaturus, sed quia oportuit reuerentiam seruare ei, qui uice summi Pontificis fungebatur: Dixerat autem in ea responsione, animam suam paratissimam cedere, mutare, reuocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit. Duplicia uerba Lutheri. Luth. in actis Augusti.

Quomodo autem doceri queat, qui animi sententiam mutaturus nunquam fuerat? qui non solum Legatum, summæ alioqui eruditionis uirum, quem & Lutherus ipse insignibus dotibus, præsertim iudicij acrimonia donatum fateretur: sed & Pontificem Romanum Leonem X. reprehendebat. Qui Syluestrum Prieratem, sacri Palatij Magistrum, simul cum San. Thoma proteruissime contemnebat: calumnians utrunque, quod nudis uerbis incedant, sine scriptura, sine patribus, sine Canonibus, denique sine ullis rationibus. Mera igitur uerba dabat, cum reuocaturum se promitteret. Luth. ad dialogi Syluestri

Cum autem Reuerendissimus Caietanus abitum Lutheri resciisset, Fridericum Saxoniæ Ducem certiorem reddit, quod Lutherum affectu uere paterno admonuisset quo resipisceret, cum nihilominus contumacem perstitisse, & clanculum se subduxisse. Lutherum quidem rem suam sic agere, non ut certi aliquid definiat: quum tamen in concionibus ad uulgum ab erroribus nihil quicquam discedat, sed in ijs perseueret: Quod sane permittendum non esset.

Idcirco admonitum illum haberet, ut ratione suæ originis illustrissimæ habita Luthero minime consentiat, neue credat, nec denique doctrinam suam erroneam defendat, aut patrocinetur.

Ad hæc Dux Fridericus respondit sese curasse, ut Lutherus Augustam peteret, nec ultra quod ageret, haberet. Publica hac responsione Ducis, fama erat (si tamen hic uera denarrat Sleydanus) quod Lutherus Ducem sibi addictissimum fecisset, unde uicissim ille arrogantior & pertinacior redderetur.

An. 1519 ANNO instauratæ salutis M. D. xix. die duodecimo Mensis Ianuarij, fœlicis memoriæ Cæsar Maximilianus, anno ætatis suæ lxiij. uita defunctus est, mense deinde Iunio comitia ab Archiepiscopo Mogūtino ut sui muneris erat, indicunt, simulac obitum Imperatoris Maximiliani cæteris electoribus exponens hortatur ut Francfordiam ad Mœnum sitam conueniant, ubi nouum Cæsarem Romanum defuncto substituant atque decernant. Ad dictum itaque diem eo conuenerunt Albertus Moguntinus. Hermannus Colonien. Richardus Treuiren. Archiepiscopi. Ludouicus Comes Palatinus, Fridericus Saxoniæ Dux; Ioachimus Marchio Brandeburgen. Ladislaus a Sternenberg, Ludouici Regis Vngariæ atque Bohemiæ legatus. Hi igitur pariter omnes die Decimo octauo mensis Iunij templum D. Bartholomei pro fœliciori auspicio orandi causa ingressi, diuini spiritus gratiam implorantes, post Sacrificium Missæ magnifice decantatum est. Quo tandem completo, solitum iusiurandum inter se publice præstiterunt. Inde digressi in sacrarium illius ædis decenti ordine procedunt. Ac tum quidem sermonis initium facit Moguntinus, & de magnitudine rei propositæ locutus, ad concordiam eos hortatur, & multis in medium productis exemplis, quantum malorum inuexerit in Germania, Patrum memoria, Electorum dissensio demonstrat: ut autem nunc omnes idem uelint atque sentiant, tanto magis requiri, quo grauius a Turca periculum immineat, & ab alijs, qui Germaniæ dissipationem machinantur. Iamque Imperij dignitas duobus procurabatur, Carolo uidelicet Austriacorum

Principi

Principi Regi Hispaniarum,&Francisco Valesio Francorũ Regi.

Legati Regis Caroli Moguntiam peruenerant, quarto miliario Francfurto distantem. Gallici uero Cōfluentiæ substiterunt, q̄ est Archiepiscopi oppidum, ubi Rhenus & Mosella confluunt. Vtriq; per literas & internuncios Principem quiq; suum Electorib. cōmendant, & quæcunq; possunt adhibēt argumenta, quibus persuadeant. Galli cum primis qui suam causam non tam esse gratiosam facile intelligebant, eo quod lingua, moribus, institutis a Germanis differrent.

Superatis Heluetijs Galliæ Rex Insubriam quoq; tenebat, sed q̄ ad sui regni salutem prope necessariam esse duceret, Heluetiorũ amicitiam magnis iacturis & pollicitationibus eam anno sequenti redemit. Nunc ergo cũ in hũc casum res deuenisset, a morte Maximiliani, missis ad ipsos legatis, quamobrem cupiat designari Cæsar declarat, simulq; petit ut suam apud Electores causam promoueant. Illi quo tempore amicitiā cum eo statuissent, ecclesiam Romanam & Imperium se dicunt excepisse, ad Imperij uero Maiestatē pertinere, ut sint Electorum liberrima suffragia: non ergo sibi licere libertatem hanc ulla significatione suæ uolũtatis uiolare. Sicq; dimissis legatis literas ad Electores, & quid Rex cupiat, quid etiam ipsi responderint, exponunt, & ne rationem eius habeant, quin potius Germanum aliquem Principem eligant hortantur, & de exprompta in eos beneuolentia prolixe pollicentur. Sed & Leoni decimo scribunt, & quoniam sit ipsius, inaugurare & confirmare designatum Cæsarem, petunt, illuc totus incumbat, ne munus hoc ad externum aliquem Principē deuoluatur. Ad hæc ille: Reges Neapolitanos esse Pontificis Rom. beneficiarios, & fide data iam olim sic esse depactum, ne Romanum Imperium appetant, sed ut alterutro sint contenti, huius etiam rei se commonefecisse Principes Electores ne temere quicq̄ attentetur contra potestatē Ecclesiæ Romanæ. Quod uero alienum ipse huic dignitati aptum iudicarit, in causa fuisse nihil aliud q̄ illius exercitatio, magnanimitas, cæteraq; uirtutes q̄bus, si ipse præditus esset, cuius uicissim potentiā cuperet, in commodum publicum cedere probariq; . Hæc Leo decimus ad Heluetios, neminem tamen nomine proprio designans.

Vbi uentum est ad consultationem, Moguntinus cōmunicato prius consilio separatim cum Saxoniæ Duce Friderico, cuius authoritas percelebris erat, causam inchoat, sicque præfatur:

Tota

nõ sit inferior Carolus, nec inter Germaniæ pceres reliquus sit qui Imperij libertatẽ & immunitatẽ rectius ualidiusque defensare, seu etiam sumptus siue producendo in hostes exercitus, siue pro cogendo concilio nunc sane maxime necessario suppeditare queat, satis dignum ac æquum fore puto ut Carolus eligatur.

Hactenus cum peroraſſet Moguntinus Episcopus rogabat eos q̃ consederant, ut quisq; suam sententiam aperire uellet. Post breue autem colloquium, Episcopo Treuireñ. magnæ apud eos omnes existimationis, propter eximiam suam eruditionẽ & experientiam innuerũt, ut secundus ipse post Moguntinum diceret, quod sentiret. Hic ergo a uaticinio cuiusdam (qui p̃sagierat post Maximilianum neminẽ ex principibus germanis Imperij gloria potiturum) exorsus, Modo ait res sic apparet, quasi eo deuergere uelit, cũ Reuerendiſſimus Moguntinus, (qui multa certe prudenter dixit) ad id spectet & propendeat, ut Regni potestas externo conferat. Verum enimuero miror summopere, quur is Hispanum Franco anteponat. Misereor profecto moderno Germaniæ statui. Si namq; maiores nostros fortiter imitemur, alienorum subsidijs nihil esset opus. Quum enim hos ipsos interpellamus, quid amplius facimus, quam quod nos seruituti subiugemus? Sed huic querelæ immorari nolo, quinpotius eodem ordine quo Reuerendiſſimus Moguntinus ante me dixit, utar, & principio quidem dicturus sum de constitutione seu ordinatione Regni, & Iureiurando nostro. Igitur existimo rationem constitutionis huius, & fundamẽtum in hoc consistere, ut scilicet Alienigenæ, hoc est, qui nec in Germania morantur, nec Principatum ibidem, neque subditos ullos habent, repulsam patiantur & excludantur ab electione, saltem ne Imperij sublimitas ad exteros deuoluatur. Quod si uero iam mens hæc ordinationis illius sit, eadem ratione nec Hispanus sicuti nec Francus eligi hic poterit a nobis. Quoniam autem Carolus Rex dominatus aliquot Regni nostri poſſideat, & ideo Imperio præficiendus sit, quur non etiam Rex Franciscus, qui Insubriam & Regnum Arelatense tenet, partes utique Regni Romani? Verum argumentum istud bifarium prosequi debemus, & dispicere, quid potius sit futurũ. Quũ antiquitus Frãcia & Germania unius Domino parerent, tunc proculdubio regni nostri uigor maximus erat,

Votum Archiepiscopi Treuiren.

adeo

data nihil omnino eos cōcernere, communes suppetias nonmi=
nus quam Angli uel Scoti ferunt. Cum igitur Francorū Rex in=
signiter potens sit, Mediolanum pacifice teneat, & ad omnia de=
nique sit expeditissimus, maius aliquid & gloriosius designabit fa=
cinus, Turcas debellabit, omnesque uires suas in id exeret, ut eos
ex Vngaria atque Italia propulset, & Germaniam ad tranquillita=
tem firmam adducat.

Sin aūt huic Regem Carolum anteferāmus, Deus bone quātas
tas dabimus in Italia turbas? Mediolanum repetet, unde diuturnū
exorietur bellum. Ac interea quidem temporis, quo nobilis illa
Regio demolitur, copias in Vngariam Turca mittet, ibique uires
suas experietur. Quis tunc resistet, quis ualidam denuo poterit a=
ciem instruere? Deceret utique hæc diligenter attendere, nec segni=
ter negligere.

Denique nemo belli in Italia gerendi nouit euentum: Si nanq=
que Francus ipse triumphet, Neapolim petiturus est, nec non au=
debit se confidere Pontifici, qui nostra suffragia improbaturus est
huius instinctu. Quid inde mali queat emergere, quis urm̄ facile
diuinarit, E diuerso uictrices obtinēte Rege Carolo palmas, nulla
nobis spes superest recuperandæ Italiæ, sed Hispani totā prorsus sibi
uendicabunt, nec eam solūmodo, quin etiam Imperiū retinere cō
nabuntur. Quid non perpessi sint saltem ut Neapolim obtinere
possent? quod & fecerunt, satis manifestum est. Idcirco non sunt
prouocandi ad Italiam.

Iam deinceps de utroque Rege aliquid dicturus sum. Caro=
lus Rex sedate & modestæ indolis, de quo ne semel quidem dubito=
nam de eo idipsum complures asserūt atque testantur. Sed cum ad
huc iunior sit, de uirtutibus ad tantum Principem necessarijs quid
in ipso certi discernere poterimus? Requirit enim utilitas Rei=
publicæ, talem aliquem Principem, qui his una præditus alijsque
commodis, Ecclesiasticum instaurare statum & emendare ualeat,
quemadmodum Reuerendissimus Dominus Moguntinus sapien
ter dixit. Cæterum his præstandis Rex Franciscus abunde suffi=
cit. Quoniam excellentissimi est ingenij, & cum doctioribus nusq̄
non de Religionis negocio tractat, simulatque multæ lectionis
est Vir. Præterea modernum seculum Principem ac Ducem deside
rat rei bellicæ peritissimum & expertissimum, sedulum & fortu=

natum. Nūc mihi dicite, quis Francisco præstare hac in re poterit? Virilitas ipsius omnibus sat est perspecta. De Carolo nihil percepimus unquam nisi quod indolem ipsius utcunq; illustret, ille uero maiores suos hæroicis in immensum superat facinoribus, nuperrime uidelicet robustam illā gentem Helueticam a temporibus C. Cæsaris usq; nunc fere inuictam, commisso prælio deiecit. Idcirco non expedit Ducem tam bellicosum Iuueni postponere.

Bene quidem Episcopus Moguntinus censuit; quod nimirū non satis integrum commodumq; foret Regem Carolum aliquātisper extra Germaniā degere, nihilominus inquit idem ipse, ista res haud nos offendere debet. Ego uero magni referre puto si quando Cæsar in tam loginquis & peregrinis regionibus moram traheret. Quis enim uelit Turcarum crudelitatem, & insperatas irruptiones aut bella quoq; ciuilia sedare & amoliri? Surgente procella, quis nauim gubernare incipiet, si Nauclerus ipse desit? Quam diu enim aberit nostrarum rerum certior effici nequibit, mendaciter ipsi plurimi studebunt imponere, nullos in concilium Theutones, sed Hispanos tantum adhibebit. Edicta nunc hæc nunc illa cōdet, sed intēpestiue ad nos transmittet. Et si quid unius & alterius obtrectatione falso ad ipsum delatum fuerit, quasi iam in Germania oboriturum, exercitum peregrinum secum adducet. Qualiter igitur Regni putatis nostri status ac facies tunc erit?

Ea propter si annuitis, & Dei uoluntas est, ut alienigena Imperialē coronā sibi tollat, mea hæc ꝓpria sententia est, ut Frācus Hispano præferatur. Quod si uero lex ipsa Francum eligere uetat, Hispanum eadem prorsus necessitate, deligere, nefas esse consequitur: nec adeo subtili opus est decreti seu Legis interꝑtatione, quinimo potius circunspicere negocium operæ pretium erit, quatenus is tādem nostris suffragijs dignus habeatur Princeps, qui mansionem duntaxat in Germania sortitus est, qui genere, moribus & gestis, ingenio & idiomate Germanus est. Porro Reuerendiss. Moguntinus plurima contra hæc incommoda posuit, arbitratus Imperatorem propter exiguitatē uirium suarum & impotentiam quandā posse uilescere & passim contemni. Verum enimuero si probum aliquem & armis strennuum designemus, poterit utiq; Germania tantæ moli atq; uirtuti sufficere.

Nā Rudolphus ante Maximilianū Cæsar undecimus, uiribus exiguus erat, sed animo magnus & fortis, qui nihilominus Regnum

gnum tunc quidem propemodum euilescens, multisq; prælijs debi-
litatum & afflictum sic erexit & extulit, ut uicinis etiam regibus pa
uorem incusserit. Quanti deinde externi magnates, potissimum
autem Ludouicus duodecimus Francorum Rex, Imperatorem
Maximilianum fecerit, saltem ob insignẽ ipsius prudentiam &
magnanimitatem, omnibus uobis notissimum est. Siquidem no-
men procerum Germaniæ hactenus ubiq;, sed & nunc gloriosum
& magnificum extat, cuius laus & honor non silent neque uacil-
lant, quinpotius integre atque candide perdurant. Illustres quoq;
adhu. sunt in Germania familiæ non paucæ, ac tres quidem, præci-
pue Bauarica, Saxonica, & Brandeburgica, quæ sane strennuos he-
roes habent. Quod si proinde unũ aliquẽ ex his ad summũ honoris
fastigium, quod est Imperium Romanum euehamus, & nos eidem
pro uirili, uti deceret, subueniamus, non est quod exoticos formi-
demus, imo si una & concors omnium nostrum esset sententia, res
nostræ sibi quam optime succederent. Idcirco ualeant alieni, & unũ
ex nobismetipsis decernamus, sicq; prudentissime fecerimus. Cæte
rum uirtutis atq; constantiæ inditia atq; testimonia de his qui no-
biscũ sunt quã plura habeo, & ideo animus est uerbi causa aliquid
dicere. Cõtigit aliquãdo ut Matthias Vngariæ Rex, uirtute & for-
tuna militari clarus, Patri tuo, Friderice, bellum denunciaret, ubi
uero uidit ille aciem instructissimam & fortẽ contra se prodire, se
uitia ipsius mox in timorẽ exhalans deferbuit, & cessit. Haud secus
etiamnunc modus aliquis adinueniri poterit, quatenus suppetant
uires & copiæ ei, quẽ ex contribulibus Imperatorẽ creauerimus.
Sic fere hactenus perorauit Reuerendiss. Treuirensis.

Cæterum Dux Saxoniæ Fridericus, ordine tertius dein dicere
cepit, qui posteaq̃ demonstrasset Francũ uigore atq; sententia legis
a Regno Germanico præscriptæ atq; sanctiæ, excludi, Regẽ uero
Carolum Germanũ esse, & in Germania mansionẽ habere, subiun-
gens ait: Quoniam Regnũ nostrũ copioso seu potentiore aliquo
egere uidetur Principe, quis in hoc Regi Carolo æquandus sit,
ignoro, propterea hunc eligendum esse arbitror, sed certis inter-
positis conditionibus seu legibus, quib. libertas Germaniæ firme-
tur, & pericula quæ commemorata sunt euitentur.

Cumq; iam sententiæ Ducis cæteri Principes astipularentur,
Reuerendiss. Treuirensis in hæc uerba prorumpens eos sic affat:
Iam meditor præsentem ruinam, imminentemq; Germanicæ na-

tioni euariationem, quasi in speculo contemplor. Interim tamen si propositum hoc uestrum probatis, & ego huic subscribam.

Facta sunt autē hæc die xxviij. mensis Iunij, sub cuius noctē fere sublustrem soluta est consultatio. Die exinde sequenti iterum conuenere ac inter se consultare cæperunt, quos paragraphos siue conditiones pridie delecto Cæsari proponere uellent. Diebus ergo aliquot in hanc rem expensis, initoque unanimi omnium assensu, propositos consignatosq; paragraphos, Moguntiam ubi legatio Regis Caroli cōsederat, transmittunt. Quæ inquam Legatio cum oblatos exhibitosq; paragraphos seu conditiones comprobasset, ijsq; annuisset, dictus est dies quo iuxta morem diu ac laudabiliter receptum, electio cum suffragijs ac uotis Electorum solenniter declararetur, & promulgaretur. Sed sacro prius audito atq; peracto in æde D. Bartholomæi, adytum eiusdem ædis denuo ingressi, electionem seriatim adorti sunt hoc modo: Cætus Electorum amplissimus Reuerendiss. Moguntinum interrogat quem iudicaret ipse in Regem Romanorum & Imperatorē assumi debere. Mox ille Carolum respondet Archiducem Austriæ. Posthæc Dominus Moguntinus unumquemque singulatim sciscitatur, qui hisce dignitatibus idoneus ipsis uideretur. Respōdet quisq; Carolus. Atque hæc concors electio literis descripta uniuscuiusq; Electoris sigillo communita fuit. Conuocata ac præsente iam tota nobilium celebri frequentia, & promiscue plebis multitudine, pro rostris in templo D. Bartholomæi Reuerendiss. Moguntinus festiue populo declarat, Regem Carolum ut Archiducem Austriæ, in locum demortui Cæsaris Maximiliani, Romanorum Imperatorem designatum esse, usus tali parænesi. Quoniam quidem tanta suffragiorū concordia hunc Imperio nostro præfecimus, dignum est Deo gratiarum mactione persoluere. Deinde hortabatur unumquemque ut imprimis electo Imperatori fideliter atque syncere obsequantur. Quem etiam ipsis probat atque commendat, rationem reddens cur hunc præ alijs summatibus elegissent. Populus uero congratulans plausibus ouabat, & fœliciter suo tam magnifico Principi ominabatur.

Posthæc Legati Cæsaris nuper electi (qui aliquanto propius Francofordiā accesserant, & iam uix unius miliarij spacio aberāt) accersiti sunt, quorum nomina & tituli hi sunt. Initio Matthæus Cardinalis Saltzburgensis, Erhardus Episcopus Leodieñ. Reinhardus

hardus Præsul Tridentinus, Fridericus Palatinus, Casimirus Marchio Brandeburgeñ, Henricus Comes Nassauieñ. Maximilianus Sibenburgerus. Omnes isti Primores uiri cum aliis Senatoribus ipsius noui Cæsaris, coram Electoribus comparuerunt, & constituto tandem inter ipsos die comitiali, decretum est quo pacto Germania gubernari posset, donec ipse Rex Carolus adesset. Committitur itaq; crediturque Casimiro ut exercitum præsidiariorum conscribat, quem ad opportuna & necessaria loca destinet, ne uspiã uidelicet diffidiis tumultibusq; Regnum concitetur. Pari modo ad Cæsarem Carolum, solennem legationem Electores adornant, significantes illi omnem rerum statum atq; euentum. Huic præerat Palatinus Fridericus. Aderant tunc prodromi quidam, qui per se in Hispaniam properabant, fœlicia nunciaturi; quorum unus ut fertur Francofordia Barsellonam die nono peruenit. At Palatinus tantum pridie Decembris ipsius calendas illo uenit, qui mox Electores certiores suæ legationis facit, hoc argumento: Quod nimirum Rex Carolus uellet oblatum Imperium suscipere, & absq; mora, quamprimum commodum & opportune fieri posset in Germaniam reuerti. Imperator Carolus per Mercurium Cattinarium peramice respondit Legatis in hæc fere uerba: Etsi rerum maximas grauissimasq; procellas instare uideret, partim Francorum, partim Turcarum etiam machinationibus, suã nihilominus patriam deserere nec posse nec uelle se dicens, præsertim cum tam inclyti Principes tale quippiam de se confiderent, & idipsum ab eo exigerent. Quocirca dignitatem & prouinciam sibi oblatam, animo per quã grato, accepturum promittit, seseq; primam nactus opportunitatem trãjcere uelle, quatenus Regno commodissimus aduenturus esset. In eandem fere formam ad Electores cõfectis datisq; literis Fridericum Palatinum magnificentissime splendidissimeque dotatum dimisit. Atq; hoc modo Carolus Hispaniarum Rex annos natus undeuiginti, Romanorum Imperator Quintus eiusce nominis creatus atq; declaratus est.

Hoc eodem tempore Lutherus animorum plenus, proteruire magis magisque cepit, & noua comminisci, maxime cum iam persuasum haberet, Principem Mecœnatemque suum, Saxoniæ uidelicet Ducẽ, omnibus heroibus Imperii ac nouiter electo Cæsari gratum celeberrimumque fore. Nam scripta passim edere cepit quam plurima, quibus nomẽ insigne sibi parare tentauit, eoque audaciæ

& arrogantiæ deuenit, ut etiam Carolum Miltizium, uirum sane genere præclarum, Summiq; Pontificis Legatum, benigno seu familiari colloquio dedignaret. Accidit aũt D. Ioannem Eckium & Andream Carolstadiũ Lipsiæ disputationẽ inire. Qua ex re Carolstadius Vuittenbergeñ. suis asseclis stipatus, die uicesimo septimo Iunij cum magno fastu, Lipsiam appulit, librorum sarcinas secum afferens, ac si nulli prorsum ibidem codices extitissent. Eckius uero quanquam per medios hostes iter facturus erat, unico secum assumpto comite, Lipsiam uenit, quæ ab Ingolstadio circiter triginta, & Vuittenberga uix septem miliaribus a Lipsia dissita est. Instituta iam disputatione in aula Georgij Ducis Saxoniæ, Principis uere Christiani atq; Catholici, persensit Carolstadius Eckium haud quaquam Leonem mortuum referre, quod Lutherus alioqui persuaserat cum reliquis alijs. Posteaq̃ enim diebus aliquot, acerrime disputatũ esset, præsente Senatu Ducis Georgij, plus laboris atque molestiæ quam laudis inde retulit Carolstadius. Quod Lutherus ægerrime ferens, occasionem concionandi ipso festo S. Apostolorũ Petri & Pauli arripuit, & conscenso in Sacello Principali suggesto, plurima quæ catholicæ Christi Ecclesiæ aduersabantur effutire cepit, in gratiam auditorij cuius frequentia nimium delectabatur, concionem deniq; tam subdolam & perniciosam prælo commisit. Verum Eckius indignitate rei permotus, in festiuitate Visitationis Mariæ, quæ dies est Iulij 2. sacro nimirum e pulpito populum uicissim docturus in templo D. Nicolai, themata Lutheri quæ prius is ipse disseminauerat, sacræ scripturæ testimonijs & priscorum Patrum Doctrinis confutauit. Quarto dein die mensis eiusdẽ cũ Carolstadius deficeret, nec diutius cũ Eckio disserere uellet nec posset, Lutherus certamini huic successit. Vt autẽ conciliũ Ducis aduertit ex ipsius Lutheri uultu, toruitatẽ quandã & amarulentiã in pectore eius residere, hortabant̃ illũ ut modeste & sine stomacho negociũ suũ ageret, ne uidelicet auditores uicissim ipse corrũpat. At ille impatiens effectus exclamat: Quia inquit institutũ hoc minime in Dei nomine susceptũ est, ꝓpterea nec in ipso hoc noĩe consummari poterit. Senatus hæc uerba Lutheri dissimulando, ipsum sedare uoluit, quo Disputationem cum Eckio initam prosequeretur & absolueret. Disputar̃ itaq; diligentissime & absolutissime, initio quidẽ de summi Pontificis authoritate, seu potestate. De igne pugatorio, de Indulgentiarum thesauro, de pœnitentia, demum etiam sacerdotali

cerdotali, absolutiõe siue de potestate clauium. Inter hæc Lutherus diuersa profecto ab his quæ prius fuerat concionatus, statuebat quippe, qui nõ Latine modo uerumetiam germanice apertis quod aiunt tibijs diceret: Neutiquam Ecclesiæ Romanæ superemineniam & obedientiam oppugno, nefarium est enim homini Christiano id agere uelle. Sed cum Eckius eo incommodi perduxisset Lutherum, ut ex uerbis suis hæresi Boemorum adhærere conuinceretur, succensus ira, respondit: Mentiris inquiens. Deinde submissius & paulo modestius se componens, aiebat: Mihi nunquam placuit illud Boemorum schisma, nec aliquando placebit, per quod tam impie semetipsos ab unitate Ecclesiæ communioneq; nostra sponte segregarunt. Eodem modo huc Lutherum adegit Eckius ut aperte & ingenue protestaretur hoc modo: Fide firma teneo, nec dicere uereor, quin etiam compertissimum habeo, Purgatorium esse: q̃d ipsum ex sacris literis manifeste demonstrari potest, quemadmodum D. Gregorius ex uerbis Christi quæ Matthæi duodecimo habentur demonstrat in Dialogis suis. Pro eo quod ueritas dicit: Quia si quis in spiritũsanctũ blasphemiam dixerit, non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro. In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro laxari. Idcirco Ecclesia Christi Catholica rectissime facit, quod pro defunctis oret. Cui simile quidem est quod subiunxit: Credo inquiens sanctam & salutarem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut a peccatis soluantur, quum huiusmodi in Biblijs sacris, libro uidelicet Machabæorum secundo, expresse declarentur. Dia. lib. 4. cap. 39.

Defatigato iam Luthero, Eckius infracto animo Carolstadium denuo ad disputãdi certamen inuitat, ut inceptum tandem una cũ illo duellum perficiat. Annuit Carolstadius, quia sperabat futurũ, ut Eckius inter alienos degens, procul ab amicis, procul a forulis atque libris, ad minimum labore nimio atq; tædio captionum seu cauillorum cedere cogeretur, & ita demum uictus omnibus appareret. Quamobrem Carolstadius die quarto decimo Iulij, tali nimirũ spe lactatus, eadem hora qua Lutherus destiterat, processit, argumentisque nouis Eckium adortus est. Sed cum nihil proficere euincereque posset, adeoque inuictus maneret Eckius, postero die qui erat XV. Iulij intermissionem disputationis fecere, & iuxta prouerbium calcar ultorium tulit Carolstadius, quum id in Eckium stringere non posset. Tota uero censura disputationis, assessoribus

& duabus Vniuersitatibus (quemadmodum prudenter Dux Inclytus Georgius utriusq; partis assensu fieri decreuerat, atq; concesserat) credita fuit. Cæterum Vuittenbergeñ. domum abierunt, speratis honoribus atq; triumphis frustrati.

Statutum tunc erat & pactum utrinq;, causam ꝓferre palā non prius deberi, q̄ ipsius recognitio, per Theologos Parisienses & Erfordieñ. exequenda a delectis arbitris enunciaretur. Sed Lutherus suiq; cōgerrones ueriti ne Vniuersitatum iudicium seu definitio, maxime tamen Parisiensis, refragaretur ipsis, hāc ratā enunciationem causæ, ꝑoccuparunt, & domum iam reuersi, calamo atq; prælo ipsimet pro se censuram confecerunt, & uictoriam sine triumpho sibimet asscripsere. Quid uero deinde Erfordieñ. de habitis cōtrouersiis iudicarint, adhuc latuit. De Parisiensibus porro constat omnibus, quod Lutheri ꝓpositum ipsi execrati sint. Interim Lutherus indignationi suæ uela dans, querelas ubiq; locorum contra Senatum Ducis Georgij spargebat, & deflere cepit in sinu amici sui Spalatini, qui apud Ducem Fridericū magnæ existimationis erat, & Lutheri patronus ex animo. Huic ergo grauiter queritur, Disputationē Lipsiacam meram temporis elusionē inanem fuisse, nō ueritatis indagationē, Eckio fauoribus leuato, seipsum opprimi criminabatur, Carolstadium deniq; librorum suorum usu priuatum fuisse queritabatur. Hæc & alia quædam mendacia deplorare uidebatur, quæ tam sunt manifesta ut inficiari nemo possit. Idcirco non iniuria hic demirari potest, quod nimirum Sleidanus negocium istud tam studiose dissimulet, quum tamen in prologo suo insigniter ualde protestetur se rem ipsam seu ueritatem apertissimam narraturum, seposito omni priuato affectu. At sane citius & crassius protestationis illius oblitus est, quā par erat ueritatē delniaturo.

Refert Sleidanus quod quamuis Lutherus Concilium œcumenicum aduersus B. D. Papam, appellarit, eum tamen deinceps iugiter & attente pro eiusdem salute Deum rogasse, & ubiq; honorifice celebriterq; de eo scripsisse. Præterea Lutherum autumat ille narrator sæpius nomine Pontificis curis uariis distractum fuisse, & ex animo indoluisse quod is Romæ ut ouis innocua inter rapacissimos Lupos agerer. Talibus dicteriis uerborumq; fucis crebrius quam decet utitur Sleidanus, adeo deordinate, ut si ipse Lutherus adhuc super esset, non dubium quin hæc tanquam mendacia usitato sibi modo exploderet.

Narrat

Narrat similiter Sleidanus quomodo Lutherus, ad Cæsarem, ad Archiepiscopum Moguntinum,& Episcopũ Merßburgeñ. singulas literas dederit, & huic quidem Reuerendiss. Moguntineñ. & Merßburgeñ. respondisse. Insuper etiã meminit Valentinũ Ditlebium ad Fridericũ Ducem scripsisse, cui etiã uicissim ipse Dux respondisset. Plurima his similia tractat Sleidanus,& Lutheri negocium sic adumbrat & exornat, quasi uero non ipse homo, sed angelus aliquis extitisset, quasi ab Ascensione Christi ad unum usque Lutherum hoc ipso sapientiorem uel sanctiorem alium Ecclesia Catholica non habuisset.

Adnititur Sleidanus uerborum quibusdam lacertosis inuolucris, speciosa & blandiloqua oratione ne dicã cõtentiosa, Lectorem demulcere eidemq; persuadere, ac si Lutherus non prius audita, cognita & inuicta ipsius causa, temere iudicatus esset hæreticus, quum tamen paulo superius & deinceps, sed parum fideliter, recenseat, quam diligenter & paterne summus Pontifex, Cardinales & Præsules, aliique complures huncipsum Lutherum cohortati sint ad retractationem & palinodiam erroneorum dogmatum. Num uero satis superque a Cæsarea maiestate aliisque Principibus Catholicis exauditus sit & admonitus reuocationis, attestantur acta & dimissiones multorum Comitiorum, potissimum autem quod Vuormatiæ Anno 21. celebratum fuit. *Sleidanus sibiipsi contrarius.*

Quinetiam ne Lutherus quidem Sleidano cõcesserit quod ipse a nemine conuictus sit hæreseos, cum dicat idemipse palam in sua assertione. Quod si Hus census est Hæreticus, ausim ego ꝓfiteri meipsum longe deteriorem illo hæreticũ esse. Cum igitur Hus a quouis Reipublicæ Christianæ ordine seu statu per definitionem Concilii Oecumenici, corã Imperatore Sigismundo publice hæreticus peruersus iudicatus sit, & flammis consumptus, tum quia Lutherus eoipso ingenue peiorẽ se confessus est, frustra certe laborat Sleidanus Lutherum purgare. Nisi tot codices præ manibus essent, perfacile Sleidano foret omnibus persuadere, & quodcunque narrat ueritati consonare.

At nimis ineptit, adeoque non iniuria negauerimus illi quæ de arcanis seu abstrusis rebus parum sobrie narrat, quum in familiaribus & manifestis negociis recitandis ipse priuato suo affectui plurimum obsequatur, & tam inæquabiliter ueritati aduersetur.

Narrat

Narrat deniq; Sleydanus, Erasmum Roterodamum ad Saxoniæ Ducem dedisse literas in Gratiã Lutheri, quibus nimirum eundem ipsum uehementer commendasset atq; probasset, tanquã eiusmodi cuius doctrina una cum uiuendi consuetudine omni culpa & ita repræhensione quacunq; careret. Sed si nunc diuersum seu oppositum non emersisset in scriptis, nonne per se quiuis uerũ illud esse putaret? Vt autem singuli intelligere ualeant historiam Sleydani non adeo synceram esse uel Euangelicæ ueritati congruere, deinde q̃ ubertim citra decorũ affectate scribat cogor Erasmi uerba referre quæ de Luthero scripsit, in Apologia sua aduersus Epistolam non sobriam Martini Lutheri, cuius Exordiũ tale est.

En recanduit in me præter expectationem Martini Lutheri θυμὸς ἀγριος &c. In hac itaq; sic de Martino refert: Quod Martinus obficit adeo non est humanum, ut sit plusquam dæmoniacum. Et rursus. Ad perdendum religionem Christianam, nulla res accommodatior, quam hæc sectarum licentia, quæ sibi permittunt quoties libuit sua nouare dogmata, quando id faciunt impune. Lutherum hic hominem transuersum nuncupat. Et iterum ubi epiphonematis ipsius Lutheri tragici mentionem facit, sic scribit: Sentit opinor de eo Diabolo, quo olim tam ualidis machinis impetijt animum ipsius de Missa. Adhæc, Vt hic inquit nihil crepat nisi Sathanas, diabolos, laruas, lamias, mægeras aliasq; uoces plusquã tragicas, fortassis ex abundantia cordis os loquitur, & certe hæc esse solent uenturæ insaniæ præsagia.

Insuper adijcit prætermittere, mutare & addere, in summa deprauare scripta aliorum artificiũ esse Lutheri. Præterea. Hic transilio ait Erasmus conuiciorum uiridarium, in quo suauiter pascit animum illum nulla maledicentia saturabilem. Asserit Hyperbolas Lutheri mera esse mendacia. Quærit utri potius habenda fides, an Petro, qui profitetur a Paulo quædam scripta intellectu difficilia, an Martino, qui negat in his quicquam esse obscuritatis. Ridet Martinum Erasmus, quod ille tot iudicijs condemnatus, tot libellis proscissus, tot ictus fulminibus, eum authorem suspectum uocarit. Deinde ait: Cæterũ Lectorẽ morer superuacaneis, legat eũ locũ quo Monachorum Hispaniensium & Pij calumnias refello, & fatebitur Lutherum non dicam Diabolum incarnatum, furentium istæ uoces sunt, sed hominem odio lymphatum. Appellat eum hominum petulantissimum, impudentem, effrenem effrontem, tragicum

gicum & hyperbolicum Doctorem, & eum qui nihil non torquet ad calumniam, omnium hæresiarcharum pestilentissimum.

Miratur inter hæc Erasmus quur ipse Lutherus quam libenter inducat personam Diaboli, scribit, quod etiam sui ipsius immemor extiterit, quodq; scribat & doceat sibimet contradicentia passim. Et sicubi semel in animum induxerit cauillari & detrectare, nihil fide dignum, nec quemadmodum pectus Euangelicum decet scribere, quin potius ea quæ sanniones maledicos, ne dicã sycophantas attinet. Exercuerit tyrannidem, mentitus fuerit, uanus sit, inutilis, & inuerecundus, liceant deniq; alia. Sed non ideo efficitur deprauatum nihil ab eo expectandum esse qui in suo mox instituto tot mendacia contexit, qui deniq; parum sane modestiæ Christianæ memor esse uidetur. Attestatur Erasmus, si tollantur e libris istius hyperbolæ, conuicia, facetiæ, tautologiæ, ectragodismi, asseuerationes, adhæc quæ illi conueniunt cum Ioanne Hus, & Ioanne Vuicleuo, alijsq; nonnullis, fortasse non multum restabit, quo ueluti proprio glorietur. Præterea dicit Erasmus, Ego Epicurus, si incidissem in tempora Apostolorum, & audissem eos tanta tamq; perpetua maledicentia, uereor ne mansurus fuerim Epicurus. Alia his plura apud Erasmũ inuenies epitheta splendida eaq; celeberrima qbus Erasmus Lutherum acriter satis perstringit & reprehendit. Idcirco demirandum est sane, quare Sleydanus hæc quasi conniuẽdo præterierit, & Erasmo nonabsq; iniuria nominis sui cãta mẽdacia affingere ausus sit, ac si ipse Lutherum apud ducem Saxoniæ, Episcopum Moguntineñ. cæterosq; proceres impendio commendasset, quum tamen oppositum omnibus luce meridiana clarius constet, cum quod utroq; adhuc superstite Erasmo atq; Luthero, infinita propemodum exemplaria de amborum controuersia typis excusa sint, tum deniq; q̃ nostro hoc seculo satis adhuc supersint & prostent. Cæterum peruersus ille affectus, & odium illud uatiniano pollens cõtra Ecclesiã Romanã, forsitan eũ excæcauit.

Hæc autem eo tantummodo spectant, quo Lector meminerit, uideatq; quod si in rebus seu gestis familiaribus, lippis atq; tonsoribus, ut fertur, notissimis hallucinari Sleydanus uoluerit adeo turpiter, quid non attentauerit in illis quæ alto silentio reposita a nostris quoq; conspectibus distant.

Re-

RERVM MEMORABILIVM QVAE AB ANNO DOMINI M. D. AD ANNVM VSQVE LIX. *in republica Christiana gestæ sunt,*

Liber Secundus.



NNO ab Incarnatione ChristiM.D. xx. sub initium Veris, Carolus ante semiannum & amplius, Romanorum Imperator Electus & declaratus, ex Hispania classe traiecit in Angliam, quē ibidem in arce sua Henricus Anglorum Rex magnifice hilariterque recepit, eoque magnificentius & liberalius, quod matruelem siue materteram Cæsaris in uxorem duxerat. Et paulopost fœliciter ac prospere ad hæreditarias, inferioris uidelicet Germaniæ nationes, lætus deuenit. Inde uero cum apparatu decentissimo Aquisgranum profectus est. Quanlibet enim illic & circum perniciosa lues grassaretur, uoluit tamen ne nouum aliquid & insuetum moliri uelle uideretur, inaugurationis suæ locum celebrare, nec præterire. Conuocat ergo ad se Electores Imperij, qui singuli comparuerunt, dempto Saxoniæ Duce, qui imbecillitate præuentus, Coloniæ manserat. Hæc profectio equitum aliquot millia habebat, & sexcentos, Imperator uero ad duo millia omni ornatu & phaleris suum equitatum splendidius exornauerat. Ioannes Cliuensium Dux quadringentis equitibus egregie comitatus eo quoque diuertit. In tanto equitatu medius inter Episcopum Moguntineñ. & Colonieñ. inequitabat Cæsar, quem e uestigio sequebatur legatio Regis Bohemiæ. Tam exquisitus & magnificus hic cultus seu apparatus equitū erat, qualem uix alias Germania non uiderat.

Vbi uero iam Cæsar in Ciuitatem & Deiparæ uirginis ædem deductus est, fusa primum prece singulare quoddam colloquium inibi cum Electoribus habuit. Dein ad curiam suam abijt. Postridie rursus ad ædem illam sacram magne cōuenerunt. Ad quod spectaculum sane permagnificum & plausibile tantæ irruebant turbæ, ut satellites ad limina armati etiam opprimerentur.

In medio

In medio templi pensilis cernitur Corona, ampla ualde, intra cuius ambitum humi sternebantur uariæ & uarietate sua præciosissime aulee. Super quas geniculabatur Cæsar tantisper, quoad Archiepiscopus Colonieñ. præcationes aliquot cõpleuisset. Posthæc confestim reuerenter a duobus Præsulibus Moguntinensi & Treuireñ. eleuatus, ad altare Diuæ Virginis deducitur, ubi denuo supplicat. Facta iam oratione, ad inauratam sedem assumitur, & in ea collocatur. Tunc Episcopus Colonieñ. diuina mysteria celebrare cepit, & quum aliquantulum prosecutus esset, Latine Cæsarem interrogat. Primum quidem, an in fide Catholica perseuerare, Ecclesiam Christi protegere, Iustitiam æquitatemq; tueri, Regnum auctius reddere & fulcire, uiduis & orphanis cunctisq; ægentibus, succurrere uellet? Deniq; num etiam Romano Pontifici dignum honorem exhibere promptus esset? Quibus omnibus cum Imperator singulatim annuisset, ad altare deductus conceptis uerbis iurauit, eadem nimirum sic iureiurando confirmans. Deinde ad sedem seu etiam solium redijt. Super hæc Reuerendiss. Colonieñ. Principes Electores interrogat, an fidem illi compromissam liberare & obedire uellent? Aiunt oẽs id se in uotis habere. Conuersus deinde ad præces Reuerendiss. Colonieñ. sumpto oleo sacro, Cæsarem ipsum in pectore, capite, & inter scapulas unxit. Post in adytum templi Moguntinus & Treuireñ. inunctũ iam Cæsarẽ pducunt, ornamentis sacris in morem Diaconorum conuestiunt, sicq; conuestitũ in sede sua locant. Rursus orationibus salubriter illi imprecatis, euaginatus gladius ab Episcopo Colonieñ. & cæteris pariter Electoribus ipsi offertur, committiturq; Regni totius communis utilitas & salus, resumptumq; gladium in uaginam mittit, eum post annulo insignit, Regali clamide ornat, Sceptro, aureo Regni malo, donat, tanquam totius orbis futuro moderatori potentissimo. Cæterum simul ab Archiepiscopis Electoribus corona redimitur, ad altare corona refulgens iterum ducitur, ubi coram Deo & angelis protestatur, quod cuncta præstare (Dei nimirum auxilio fretus) & obseruare uellet, quæ strennuum Principem decerent. Ad extremum paulo altius cum electissimo Episcoporum ternione ascendens in cathedra lapidea ponitur. Ad quem quidem tunc sermonem lingua uernacula Moguntinus Antistes dirigit. Principio fausta imprecatur, se ac alios secum Electores & Regni totius amplissimi status commendat, quod uicissim agebant cele-

briores illius Collegij Canonici: qui ut solet antiquitus fieri, in ordinem quisque suum recipitur asseriturque. Mox ad harmoniam concrepantium & omnigenis musicorum organis concinentium, nouum & immensum gaudium, omnibus influebat. Intererat nouo & inaudito huic spectaculo Domina Margarita fœmina prorsus Heroica, Cæsaris amita, cuius nutu atque renutu prouinciæ Inferiores regebantur. Hæc inquam magnalia utique cum admiratione & gaudio contemplabatur suauissime & ipsa suauis. Absoluto tandem missæ sacrificio (in quo iam sacratissimam synaxin Cæsar communicauerat) equites aliquot auratos ense suo creat. Hic honor primum habitus est seu tributus ijs qui strennue atq; uiriliter hostibus sese opposuissent: pro authoramento uidelicet rerum fortiter gestarum, nimirum ut quondam ueterani post palmas uarias rude donabantur. Nunc autem mos inoleuit, & suum obtinuit uigorẽ, ut a Regibus elimatati splendidiq; gladij inter scapilia ictu trino ad ordinẽ huiusmodi uidelicet equestrẽ adsciscantur, quemadmodum adhuc hodie ullo sine delectu creantur, non solum qui ex illustri familia geniti sunt, uerumetiam ex mercatoribus multi, & ijs deniq; qui cæteris præstare student, aut potiores haberi. Verũ enimuero ut redeamus unde parumper digressi sumus, his omnibus (quæ ad consecrationem & coronationem pro ratione temporis & loci pertinebant) gestis, ex templo in aulam, regia magnificentia adornatam, processerunt. Hic discumbebat Cæsar, similiter & Electores; singuli seorsum, ita quod ab utraq; parte trapeze dispositæ essent. sed nihilominus sic ut etiam Episcopus Treuirensis e conspectu Cæsaris seu etiam e regione accumberet, secundum placitum uel constitutum Imperatoris Caroli quarti. Eodem die Inaugurationis bos integer primũ euisceratus, deinde intestinorum loco multijugis refertus animalculis, ut moris erat, torrebatur. Ex quo frustum etiam Cæsari tunc authorato proponebatur, residuum bouis quasi integer, populo dabatur. Solebant etiam tunc canales quæ ad hoc paratæ sunt in propatulo ad modum fontis erigi, uinum a mane ad uesperam usq; propinantes, quod etiam neglectum est minime.

Prandio iam absoluto curiam suam ingredit̃ Cæsar, & Regni sigillum Reuerendiss. Moguntinensi reddit. Postridie cunctos Principes cœna sua magno uidelicet apparatu ferculorum instructa, excepit humanissime. Die dein sequente templum adijt, & audito

audito sacro, reliquias seu monimenta sancta perlustrat, & uenetatur: omnia quæ ibidem conseruantur, inter quæ reuerendæ illæ fasciæ supererant quibus Dominus ac Redemptor noster inuolutus, in cunis adhuc infans iacebat, ubi pro nostris reatibus uagijt.

Super hæc Episcopus Moguntinus uniuerso cœtui declarabat, Pontificem Romanum Electionem ratam habuisse, & mandasse ut deinceps Rex Carolus titulum & nomen Imperatoris usurparet. Rebus ita singulis ordinate, & diligenter & legitime perfectis, Cæsari ualedicunt, indeq; secedunt Proceres Imperij, aerem circunquaq; morbosa lue infectum non ferentes. Nec mora Cæsar tunc quoq; iter adornat, & quia statuerat Vbiorum Coloniam circiter calēdas Decembres uenire, Literas undiquaq; huc atq; illuc in Germaniam destinat, & præscripto Comitiorum inibi die Statibus Imperij mandat, ut octauo idus Ianuarij ad oppidum Vuormatień. coram ipso compareant.

Interea Lutherus acrius dentata charta cœpit agere contra Ecclesiam Romanam, & libellos detestabiles in uulgus proferre, acer uatim enumeratis abusibus, quos Romæ uigere populo persuadebat & inculcabat. Ait Romam reuera Babylonicum esse Regnum &c. His autem nouis dogmatis a Luthero conscriptis & euulgatis, imperita credit plebecula, applaudit, accurrit, & authorē quasi numen & suspicit & suscipit. Fit ergo Lutherus multorum discipulorum præceptor & Dux, ne dicam deceptor atq; seductor. Et in eam prorupit audaciam, ut Canones Sanctorum Patrum, & totum deniq; Ius Pontificium incendio traderet. Hinc Pontifex Max. quum spei nihil aut emendationis in Luthero superesse uideret, uoluit per binos Legatos, Marinum uidelicet Caracciolum, & Hieronymum Aleandrum, uiros insignes prudentia, & multiiuga facundia pollentes, Imperatorem nuper electum & inauguratum certiorem reddere malorum, quæ toti Germaniæ impenderent, ex impia & exitiosa Lutheri doctrina, memorem quoque per omnia facere officij sui & nominis: quo nimirum se protectorem & patronum Christianæ fidei atque Religionis ostenderet, & Lutheri iuxta potestatem sibi a Deo Opt. Max. tributam compesceret institutum. Imperatori causa quæ ad ipsum deferabatur cordi fuit, ideoque mandatis & edictis publicis omnia opera a Luthero edita, & a Summo Pontifice repudiata, flammis deuouit, quibus inquā edictis & mandatis Brabanti, Colonień. & Moguntinenses, & plu-

res alij Imperij municipes obsequuti, præfectis & stipatoribus suis plurimos Lutheri libros exuri publice ultro permisere, & annuerunt. Quod sane Lutherum sic satis biliosum pertædu't simulatque attonitum reddidit: quum Carolum Iuuenem ac leuem in nassam suam pertrahere fauoribus erogatis, & literis contra Pontificem Romanum querulosis moliretur. Hic posteaquam animaduertisset Imperatorem se lucrari non posse, nihilque proficere, detonare & inuehere magis in Catholicos aggress s est, præsertim Colonień. & Louanień. quos cum editis ipse libellis conuicijs proscindit, celebriores Ecclesiæ doctores, D. Hieronymum & Augustinum suggillare non est ueritus.

Lycosthenes. Hoc eodem anno mensèque Septembri, Viennæ Austriæ in cœlo diuersa prodigia conspecta sunt. Ab initio quippe mensis illius in diem usque tertium hora quinta sub uesperam, duobus circulis sol cir umscriptus uel cinctus apparuit. Quarto autem die ingenti ardore succensa facula, die quinto sub auroram solis, iris uarijs coloribus respersa, tresque soles pariter uisa sunt. Die dein sexto crucem luna complectitur. Septimo denique die rursus triplex sol ibidem oritur, & ab hora sexta adusque septimam iris denuo tres lunas gerere uidebatur.

Interea temporis, Vuissenburgi iuxta Rhenum tam horrēdus in aere sub meridiem strepitus atque clamor insonuit, ut ciues subito timore perculsi ad arma concurrerent, existimantes ciuitatem ipsam ab hostibus præoccupatam & circumcinctam esse.

Postremo parallelia, hoc est soles duo e regione sibi cōparentes Erfordiæ apparuerunt. Adhæc torris quædam aspectu horrenda, magnitudine ingens est uisa, quæ ex aere in terram collapsa plurima cōsumpsit & eit demolita, quæ denique in aerem disparuit ubi in circuli figuram mox commutata fuit.

An. 1521 ANno a partu uirgineo M.D.xxi. Quum Carolus Cæsar nuper electus, Vuormatiam appulisset, comitia cum Electoribus & principibus, insimul etiam omnibus statibus imperij celebraturus, aderat Fridericus Dux Saxoniæ, qui Lutherum multis præconijs coram Imperatore & Proceribus regni extulit, & contestabatur, quomodo a nōnullis odio & inuidia peruersis falso delatus esset, commendans probitatem hominis illius a doctrina & uita, qui nihil adeo Ecclesiæ Catholicæ repugnans scripsisset aut prædicasset.

Quod

Quod animaduertens Hieronymus Aleander, uir ingenue & abſolute doctus, paragraphes plusq̃ quadraginta ex Lutheri opuſculo, de Captiuitate Babylonica inſcripto ꝓtulit, quæ quidē nedum uniuerſali Chriſti Eccleſiæ eiuſdemq; Sacramentis contrariantur, uerumetiā Imperialibus & Principum legibus ſeu etiam decretis ijſq; quæ ad ordinatā policiā attinēt. Hæc quū audiſſent Principes, quibus nimirū opuſculū illud necdum exhibitum fuerat aut tritū, derepente obſtupuerunt, alius aliū reſpicit, & inter ſe murmur contra Lutherū eiuſdemq; Defenſorem ſuſcitant. Intelligens aūt Dux Saxoniæ conſeſſum turbari, murmure & indignatione multorum perſtrepere, mox occurrit, & negat paragraphes illas ſiue articulos a Luthero aliquando fuiſſe deſcriptos, aut editos aut deniq; edoctos; quin potius ab aduerſarijs ſuis excogitatos eſſe uolebat. Sed ut de controuerſia hac certiores redderentur Principes, operæpretium fore duxerūt, ut ipſemet Lutherus Vuormatiam accerſiatur, & perducat. Quæ ſane res quum Cæſari & grata & ꝓbata eſſet, tutique itineris literas Luthero conceſſiſſet ſuo ſigillo munitas, non tamen Dictatoribus ſeu etiā patronis Lutheri ſatisfactū eſt, quin et Electorū Principumque, tum denique ſtatuum Regni, literas illas ſingulis ipſorum ſigillis cōmuniri uoluerunt. Hoc aūt etiamſi Imperatori inſolitū adeoque indignū uideret, q̄d uidelicet imperiales ſuæ literæ cū ſigillo ꝓprio, ne tanti quidē ponderis fierent ut mendico Monacho in publica fide præſtanda ſufficere poſſent, ipſe nihilominus conſiderans q̄d Lutherus Procerū quorundā animos ſibi lucrifeciſſet, & offaſcinaſſet, annuit uotis eorum, euitandi maioris cauſa tumultus, ſeu etiā diſſidij. Interpoſuere ꝓinde & alij dynaſtæ qui aderant, publicam fidem, cōſentiente Cæſarea maieſtate, ſaltem ne permitteretur illi in profectione uſpiam concionari, neue artibus quibuſcunque Populum ad ſe pertrahere.

Mittitur Caſparus Sturmius, caduceator Cæſaris, Vuittenbergam, ut Lutherū ad Comitia ꝓuocet, traditiſq; cōſignatis ſeu ſigillatis ſecuritatis literis & lectis, mox iter adoriunt; uehiculū parant inprimis ad inſtar lecticæ cameratū. Comites aūt atq; ſocij Lutheri fuere D. Ionas Præpoſit⁹ oīm ſanctorū, D. Schufferus legū doctor, & Amſdorffius Theologus. Seceſſione facta, in pagis & oppidis cōcurrebant turbæ, Lutherū unuſquiſq; tenebat uidēdi deſiderio, in diuerſorijs laute omia atq; ſplēdide apponebant, uinū copie cornu hauriebat, plenis calicibus potabat, uarijs oblectamētis indulgebat, inſtrumētis muſicis modulabat.

Quinetiã Lutherus arrepta quoq; testudine tam suauẽ concentũ edebat, ut hoĩes in suĩ admiratiõnẽ raperet, quũ alioqui satis nouũ & insolẽs uideret, monachum habitu & ꝓfessione mendicũ, necnõ detonsũ seu rasum, tã industrie atq; harmonice testudinẽ pulsare.

Cæterum ut supramemoratũ fuit, Luthero mãdauerat Cæsar, ne alicubi ꝑdicaret aut doceret. Nihilominus tamen spreto mandato hoc Cæsareo, in octaua Paschæ Erfordiæ ad populũ e suggesto declamare ꝑsumpsit: Peregrinationes hic, Ieiunia, orationes, carnis macerationes seu castigatiões, hic deniq; instituta monastica, & his similia dãnat, & cũ sannĳs explodit, dicens, Huiusmodi tamq̃ inania & superstitiosa abrogari debere. Concionẽ quoque non minus impiã q̃ blasphemã confestim prælo submisit, fauente & opitulante Sturmio oratore Cæs. maiest. q clanculũ Lutheri partes agebat.

Tandem Lutherus a Fœciali Sturmio Vuormatiã uersus ꝑduci tur, & appropinquante iam illo ciuitatẽ, Poetæ nonnulli cum Rhetoribus plerisque, (qui suæ factioni studebant) miliaribus aliquot obuiam ei ꝓcedunt, & ingressum dissuadent; metuentes ne forte Luthero Vuormatiæ tale quippiã exitiũ eueniat, quale iã pridẽ suo ꝓdecessori Ioanni Hus in Concilio Constantien. adeoque diris exurat flammis ut obstinatus hæreticus, ꝑsertim quum etiamnũ sui libri, nedũ interdicti essent, uerumetiã publicitus in ignibus cõiecti atque exusti, deinde ꝓpterea, q plurimi principes religiosi & Catholici, comitĳs interessent, q̃ hauddubie pariter cũ Imperatore Catholico, Lutheri propositũ reprobaturi essent. His uidelicet rationibus cõnabant Lutherũ ab accessu dehortari, quas tamẽ ille quasi uanas reiecit, quum publici commeatus literas a Cæsare obtinuisset.

Postremo Vuormatiam is quum aduentasset (mansionario dictante) ad Domũ Roden. diuersatus est, quem ibidem conuenere Comites & nobiles nõ pauci, tam Laici quam Ecclesiastici, quibus nouitatis studium & professio Lutheranica sic satis arridebat.

Postero dein die ad Cæsaream maiest. & Proceres Imperĳ deductus, coram ipsis sistit. Tum Officialis Archiepiscopi Treuirẽ. D. Ioannes Eckius, primũ Latine, post theutonice Lutherũ alloqui cœpit, in hæc uerba: In causa sunt duo potissimum Martine Luthere, quod Cæsa. maiest. Principum & statuum Imperĳ sui cõsilio fretus, te cõparere modo uoluerit, mihique prouinciã imposuerit, nõnulla sciscitãdi ex te. Initio quidẽ an fateris ꝙ hosce libros edideris, & pro tuis haberi uelis. Præterea utrum aliqd quoq; ipse author sis re

tractare,

tractare,aut potius mordicus defendere? Astiterat aūt Luthero ꝓ=
fessor Iuris in Vuittēbergē.academia,Hiero.uidelicet Schufferus,
q exigebat titulotenus libros recēseri.Quibus sic recēsitis, ex ordi-
ne respōsurus ad interrogata,sic ait: Quod ad libros illos attinet,fa
teor esse meos ac ratos habere uolo.Cæterū dū quærit, nū ea q̄ pas=
sim in his ipse dictaui tueri uelim, rogo, tantillū tēporis mihi cōce-
dat,quo de rebus istis ꝑmagni sane momēti prompte atq; pruden-
ter respondere ualeā,& nō temere leuiterq; q̄duis effutiā.Habita su
ꝑ hac re cōsultatiōe,rursus D.Eckius Lutherū sic affat. Tametsi ex
literis Cæsa.maie.causam tuæ citationis intelligere facile potuisti,
&idcirco omi cūctatione indignus sis,ꝑmittit nihilominus tibi Cæ
sar ꝓ ingenita sibi benignitate atq; clemētia,unius diei dilationē,ut
interim tecū mature deliberes, luce uero crastina circiter tempus
istud cōpareas, sententiā tuā nō scriptis,sed oretenus explicaturus.

Postridie cū ad horā p̄scriptam cōparuisset, dixit ad illū Eckius:
Heri ad posteriorē ꝓpositam tibi quæstionē Luthere, nihil respon-
disti penitus,sed apud te spaciū deliberādi cupiuisti, ꝙ ꝓfecto haud
iniuria negari tibi poterat,q̄a unumquenq; decet talē suæ fidei certi
tudinē & ꝓfessionem ipsius tam apertā & expromptā habere,ut to-
ties quoties de ea requisitus , cuiuis rationē reddere promptissime
posset.Proinde multo minus te uirū adeo eruditū & exercitatū do
ctorē,cōueniebat in aliquo hæsitare seu addubitare, aut deniq; la-
conicas ut ferunt,causari lunas uelle,hoc est dilationes q̄rere in una
responsione,sed cuiusmodi id sit amplius inuestigare nolo,dic ergo
q̄d respondeas? Prosuisti ne tua dogmata defendere? Tum Luthe-
rus ad Cæsarē &cōgregatos Principes cōuersus,oēs pariter ab Impe
ratore exorsus obtestari magnopere cepit,quatenus eū ipsum can-
dide & patiēter auscultare dignent.His mox longā adiecit ꝓtesta-
tionē,&expostulationē attexuit.Pontificē deinde cunctosq; Eccle-
siasticos grauissimis uerbis reprehēdit,cōstitutiones ipsorū atq; de-
creta carpit & contēptui habet. Porro libros suos ꝓbare moliebat
plurib. modis,interponēs huiusmodi discrimē,ut fateret ingenue
ꝙ uidelicet in nōnullis licentiosius & insolentius scripsisset, nec nō
& Cæsa.maiest.ausus est taxare,obiecta seu etiā exprobrata sibi iu
uentute tanq̄ adhuc inconsulta,nihil interim aut sane ꝑ parū cōtro
uersiæ caput,hoc ē,principalē causæ suæ partē,attingēs:uerū librorū
suorū delectū uaniloquijs&insulsis digressionib.facere intēdebat.
Quocirca Cæs.maie.orator,eo ꝙ aduesperasceret,dixit Luthero.

Vt firmã & causæ suæ accommodã, simplicẽ ac plenam responsionem, relictis nænijs, cõuicijs, & phaleratis alijs cõmentis, daret. Interrogatꝰ itaq; rursus, num errores suos recantare, an potius defensare uellet? Ad quæ Lutherus in hunc modũ respõdit: Inuictissime Cæsar, Illustrissimiq; Principes, quoniã nudum ac leue responsum exigitis, animus est idipsum quã possum clare & deferre pstare. Dico igitur: Donec manifestis scripturis nõ cõuincor, qa nec soli Pontifici nec Concilijs tantũ credo, nõ ante statui, imo nec possum quasi conscius alicuius erroris, palinodiam canere. Deus me adiuuet.

Posteaq̃ rursus super his Lutheri uerbis Principes inter se consultassent, D. Eckius, ad ipsum hoc pacto sermonem dirigit. Audacius & immodestius, Luthere, hactenus respondisti, neque salutis tuæ neque decori rationẽ habens, quoꝑ ambages cõstituto tuorũ libellorũ discrimine responsionẽ inuoluas. Quod si modo eos libros recognouisses & reuocasses, qui erroribus scatent, non permitteret Cæsarea maiest. alios saniori cerebro cõscriptos, obliterari aut deniq; supprimi. Spernis Conciliũ Constantieñ. cui ornatissimi, celeberrimique & doctrina & authoritate seu etiã potentia insignes uiri, nationis Germanicæ interfuere, dum errores in œcumenico illo Concilio dãnatos exuscitare laboras, & uis nihilominus authoritatibus scripturæ cõuinci, in quo toto (q̃d dicit' in puerbijs) cælo aberras, nec rem ipsam prudenter examinas. Nam q̃ Ecclesia semel reprobauit, ulterius in controuersiam uel disputationẽ uocari non debet. Neque etiam licet, quauis ex causa rationem ex liquidis scripturis negocij cuiuscunque deposcere. Hoc etenim concesso, ut nimirum omnis qui concilio refragari uelit biblicis testimonijs conuincatur, nihil tunc unquam ueri certique haberetur ex Concilijs.

Verum Lutherus pstitebat cõtumaciter in sua opinione, dicens, se nihil habere q̃ palinodia dignũ iudicasset, nisi expressis authoritatibus scripturæ deturbaret. Hæc Lutheri tragœdia in uesperam usq; progabatur. Cessatumque est, eo die quicq̃ decernere. Dimissi sunt itaque Proceres, & ad diuersoria redierunt singuli.

Die exin sequente quæ erat feria sexta post Dominicam secundam Pascæ, Imperator autographum ad patres conscriptos mittit, q̃d erat huiusmodi: Notũ uobis est Principes, uiri Cõsultissimi, q̃d ex Christianissimis Imperatorib. Nationis Germanicæ, Catholicis Regibus Hispaniæ, Archiducibus Austriæ, & Ducibus Burgundiæ originẽ traxerim. Qui quidẽ oẽs in mortẽ usq; fideles & obsequentissimos

tissimos Ecclesiæ Romanæ filios sese exhibuerunt, simulatq; Christianæ seu etiã Catholicæ fidei indefessos ꝓpugnatores sanctarũq; cæremoniarũ, Decretorum, legũ ac morum ad gloriam & honorem inprimis Dei Opt. Max. augmentum fidei & religionis Christianæ, ad salutem denicq; animarum consequendam asserendamq; unicos & assiduos ꝓtectores se præstiterunt. Licet aũt hijpsi Deo sic dictante temporalis uitæ pensum absoluerint, nõ dubium quin fœliciter, illibatas Ecclesiæ Catholicæ, de quibus paulo ante diximus, cõstitutiones nobis iure quodam hæreditario approbarunt, inseruerunt & ceu per manus omnibus posteris earum obseruationem & religionem tradiderunt: quo uidelicet uicissim & nos maiorum nostrorũ exemplis commoniti, & uestigia insequuti, ita uiuamus, ut quemadmodum illi sic & nos in sancto religionis cultu atq; proposito mortem uita cõmutemus. Et quia hactenus diuina freti gratia, mores ipsorũ & pietatem amplexati sumus, in quibus & mori desideramus, idcirco statui apud me, tueri, & ab oibus iniurijs uindicare, quicquid Maiores mei, uel nos quoq; ad hæc usq; tẽpora religiose ac pie credidimus, & summis honoribus prosecuti fuimus, ea tum uel maxime quæ antecessores ac patres mei in Cõcilio Constantieñ. & alijs id generis, statuere & ordinare decreuerunt. Cum igitur manifestarium sit omnibusq; uobis notissimũ, quod unicus uidelicet Monachus, ꝓ arbitrio suo, temeritate quadã insolita, nec minus impia, peruersus atq; seductus, oẽs Catholicæ Christi Ecclesiæ constitutiones q̃ cõmendatissimas, (quas ab annis mille omnes pariter Christi fideles in hodiernũ usq; Diẽ laudabiliter obseruarunt) reijcit, & apertis conuicijs incessit, q̃si maiores nostri uiri religiosi, & nos uicissim cum sanctis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus oberrassemus in fide, nec ueri Christiani essemus. Eaꝓpter stat omnino sententia, potius mea regna impendere, Imperiũ, potentiã, cõtribules & necessarios, imo corpus exponere, sanguinẽq; ꝓfundere, uitam denique & animũ oppignorare, quã ut pniciosum istud auspicium latius se porrigat, aut excrescat. Alioqui non mihi modo, uerumetiam & uobis (ut pote qui simus celeberrimæ nationis Germanicæ capita, & supremi moderatores) in summum dedecus & ignominiam maximam cedet. Adde quod nos præ cæteris nationibus præcipui iustitiæ æquitatisque emulatores almæ nostræ fidei Christianæ tutores dici, & haberi meruimus. Quod si uero nostra hac tempestate non solum ipsissima hæresis, uerumetiam

rumetiam minima ipsius suspicio, aut aliqua Christianæ Religionis imminutio seu etiam confusio subditorum pectora inuaderet & obtineret, hoc ipsum dico nobis omnibus & posteris nostris uitio uerteretur, ut interim prætermeam id quod Deus a nobis pro illata contumelia suæ Ecclesiæ posset exigere, quorum interest pro ipsismet integritate ubique locorum tanquam pro aris & focis decertare. Quoniam igitur contumacem peruersi Monachi responsationem pridie in publico omnium consessu audiuimus, hoc meo præsenti autographo dolorem animi mei attestor, quod Lutherũ eiusdemque abominandam doctrinam hactenus impunitam manere permiserim, deinceps autem constitui prorsus non auscultare ipsum, qualecunq; id sit quod proponere uelit. Ea re uolo atq; præcipio, ut quam primum iuxta tenorem suæ securitatis ablegetur & abeat, eoq; modo se gerat quemadmodum literæ præstitæ securitatis illi præscribunt & dictant, hoc est, ne in itinere prædicet usquã, neue scribat aut doceat, insuper ut caueat turbas ad se pellicere, aut denique seditionem commouere. Animus iam est in illum animaduertere, ueluti ipsa iura decernunt aduersus promptum & compertum hæreticum. Quinetiam uobis omnibus mando, quatenus in hoc negocio pariter sic iudicetis, sic agatis, quemadmodum Christianos principes decet seu etiam oportet. Datum nec nõ manu ꝓpria scriptum xix. Aprilis, Anno M.D.xxi. Fuit aũt hæc arbitraria Cæsaris sententia suo chyrographo munita omnibus pietati deuotis longe gratissima, econtra Lutheranis dura, magnã præbuit ipsis calumniandi & murmurandi aduersus Imperatorem quasi neophytum, occasionẽ. Offendit enim animos illorũ hæc inesperata censura, præsertim autem Vlricum Huttenum Franconianum, & Hermannum Buscium Vuestphalum, eloquia & carmine satis alioqui uiros insignes. Atque ob id uaria poemata spargebant in uulgus, quibus tanquam indicibus manifestissimis suam quoq; prodebant impatientiam. Valuis Prætorij schedulæ affigebantur, coniurationem quadringentorum hominum bellatorum aduersus Reuerendiss. D. Moguntinum significantes. Sed coniuratorum nemo nominatus est; saltem uox Bundtschuch tertio ingeminabatur. Et quo Catholicos ampliori formidine percellerent, aiebant Franciscum Sickingium, cuius arces & munitiones non procul a Vuormatia sitæ fuerant, magnam uim equitum cõtraxisse, & expectare euentum rei, nempe, qui cum Luthero suo cliente tandẽ

agetur.

ageretur. Rumor iste proceres aliquot qui Cæsaris animum nuper & zelum approbauerãt, permouit, ut Cæsaream maiestatẽ solicitarent quatenus liceret quibusdam ex ipsis Lutherum tentare, si forte palinodiam errorum suorum ab ipso possent obtinere. Imperator uero edicti sui quod nuperrime in concilio exhibuisset, uigorem conseruari uoluit, ratumq; manere, nihilominus tamẽ pmisit ut Lutherũ de cõuersione tentarent, cõcesso unius tridui spacio. Quod si uero nollet interim ipse Lutherus resipiscere, sed in suis pristinis persistere erroribus, uellet sine mora Vuormatia discederet.

Elabentibus interim diebus aliquot, tandẽ die uicesimo quarto Aprilis Archiepiscopus Treuireñ. Luthero certum tẽpus pscripsit, quando coram eo comparere deberet. Aderant aũt Reuerendiss. Treuireñ. Ioachimus Marchio Brandeburgeñ. Elector Imperij, Georgius Saxoniæ Dux, Episcopus Augustanus, & alij primores uiri complures. Præsente uero iã Luthero Doctor Veh Iurisperitus Badeñ. eum ipsum sic alloquitur:

Quod ad hunc Principum consessum accersiri & uenire iussus es Martine Luthere, idcirco factum est, quo uidelicet humaniter tecum tractent, eaq; communicent, quæ tibi pdesse uiderint, siquidem id negocij credidit illis Cæsarea Maiestas. Initio positũ sit Concilia quidẽ uaria statuisse, sed nusq̃ repugnantia, libri uero quos ipse iam edidisti (nisi tempestiue cõmodumq; caueatur) periculosam quandã cõmotionem excitabunt, pcipue certe ij quẽ de libertate Christiana cõscripsisti, posteaq̃ plebs ipsa libertatis auiditate sic satis incensa q̃duis iugũ suis humeris excussura sit, assertione tua freta.

Quare prudentius & distinctius agendum erit, nam & libri tui quos usque nunc in lucem proferri curasti, diligenter assignandi ueniunt, quippe quod arbor non ex flore sed ex fructibus cognoscenda sit arbor. Neque etiam te latere puto quam sedulo Scriptura nos docet diuina, ut a dæmonio meridiano, a sagitta uolante in die, cautius effugiamus. Hoc ipsum inquam dæmonium humano generi infensum, non cessat psequi nosipsos, ut subinde specie recti in errores tandem præcipitet. Quocirca utrorumq; salutẽ, tuam ac aliorum cogitare deberes & cauere ne eos quos ab æternæ mortis diris semel casibus Christus eripuit, tua culpa, tuis nefarijs scriptis & & concionibus, Ecclesiæ subtrahas atque seducas, sicque iterũ perdas & mactes, ut fur cuilis Euãgelici, cuius inquam ecclesiæ dignitatem & reuerentiam præcipuam unumquemq; adorare condecet.

In

In rebus enim humanis nihil optabilius esse potest, nihil peræque honestum & utile rei alicui publicæ contingere ualet, quam ut lex & Iustitia in reuerentia atq; honore habeantur. Ita ut quemadmodum Reipub. salus sine legibus consistere diu nequit, sic etiam nisi & nos uicissim antiquas & cum primis salutares leges toto quod aiunt pectore obseruemus, nullus perinde status imperfectior & horridior erit, quam Ecclesiasticus, qui sane deberet alioqui perfectissimus & constantissimus esse. Tunica Christi inconsutilis mystice nobis Ecclesiã repræsentat, quæ diuidi nequit. Hæc sunt quæ in præsentiarum tibi Luthere Viri Principes, Domini nobilissimi, & amplissimi, singulare quodã studio utilitatis & pacis in Repub. seruandæ præditi, tuæq; salutis causa, insinuare uoluerunt. Porro si decreuisti pertinaciter propositum tuum persequi, nec ab eo ipso desistere, tum profecto Cæsarea Maiestas prompta & sufficiens in hoc Imperio te eijciet, nec uspiam in Germania sinet te impune morari aut uagari. Proinde opportunitatis clementer indultæ rationem habeto.

Tunc Lutherus memor beneuolentiæ istius, & ideo gratias agens, indignum se fatebatur, quod tanti Proceres sua causa laborarent. Aiebat se nõ omnia pariter Concilia refutare, sed illud duntaxat, quod Constantiæ celebratũ esset, in quo Ioannes Hus flammis exustus fuerat. Hic magnopere Hussitas commendabat. Negabat quoq; sua culpa fieri, quod nonnulli librorum suorum lectione offendetentur, quia ipsemet Christus lapis offensionis & Petra scandali esset. Hæc & alia his ipsis consimilia subiungebat. Non diffitebatur quin memoria teneret, quod scriptum sit, Ne innitaris prudẽtiæ tuæ. & rursus, Noli sapiens esse apud temetipsum. Quamobrem aiebat se nolle pertinaciter rem suam agere. Huiusmodi uerba & parechases sectabatur. Sic Euangelij cognitionem, Scripturæ sacræ ingenitam perspicuitatem, purum Dei Verbum, plenis quod aiunt buccis, ubiq; personabat, quasi nec Imperator, nec alij, ut potè S. Imperij Electores & summates, sanctum Euãgelium, manifestam scripturam, syncerum Dei uerbũ, suscepissent, sed horũ prorsus omnium ignari, cum præteritis seculis oberrassent.

Prouerb. 3.

Posteaquam igitur Imperator animaduertit penitus se nihil proficere, quin potius Lutherum celtica quodã audacia reniti, Officialem Treuireñ. ad ipsum mittit, qui hisce uerbis eum ipsum cõuenit. Quandoquidem Cæsareæ maiestatis & Principum pariter decretum

decretum respuisti Luthere,en Cæsar deinceps in te sic animaduertere statuit, quemadmodum expedire Maiestati suæ amplissimæ uidetur.tibiq; nunc mandat,ut ilico hinc domum concedas, profectioni tuæ dies largitur uiginti & unum.Cæterum quod tibi spopondit,accurabit.Deniq; mandat ne populũ in itinere siue scriptis siue concionibus tuis seditiosis in rabiem agas.Hoc pacto dimissus Lutherus,die uicesimo sexto Aprilis,abijt inde cum eodem illo caduceatore quem in accessu sortitus erat.

Vt autem Friburgum uenit,Fœcialem Cæsaris remisit, ueritus ne huius pſentia,parum prospere suo succederet instituto. Ingressus itaq; Isennacum,quod suo Principi parebat, & contra iussum Cæsareæ Maiestatis, in festo Crucis concionatus esset,oppidi mœnia egredit̃,quasi deambulãdi gratia.Vbi mox ex confictis insidijs armatæ turbæ eũ adoriuntur,illi nimirũ,q̃s tanq̃ aduersarios ibidẽ subornauerat,qui & ipsum abducerent captiuum.Statim circumcirca rumor iste increbuit, quod Lutherus uidelicet ab hostibus cõtra ius publicæ fidei,quam ab Imperatore acceperat,circumuentus & raptus esset.Hæc autem uersuta tragœdia tam occultæ agitabatur,ut etiam plerosq; in suo sodalitio lateret rei istius ueritas, credebant enim Lutherum tunc ab aduersarijs certissime abduci in captiuitatem hostiliter. Nec mora,nunciĵ undiq; mittuntur,qui literis testarentur hostilem Lutheri raptum, qui tamen securitatis literas a Cæsarea Maiestate accepisset.Et quo id figmenti & mendaciĵ querela communi neutiquam careret,atq; adeo cõtra Cæsarem & Catholicos Principes populũ exacerbarent,admentiti sunt tam crudeliter ab insidiatoribus Lutherum exceptum fuisse,ut ex asperaligatione manuum ungues sanguinem sudarint.Vbi uero Euangelica hæc innocentia,ne dicam calliditas,Vuormatiæ prædicari cœpta est,exortum est continuo murmur maximum,non solum inter plebeios,quinetiam Principes aduersus Cæsarem.Quorum nõnulli aiebant,contra decorum Cæsareæ Maiestatis factum esse, nimirum quod is cui Cæsar fidem publicam interposuisset,tam crudeliter tractaretur,& uinctus teneretur. Lutherus autem optime ualebat,& splendide curabat suam cuticulam Alstadij ciuitate Thuringiæ,ut postea compertum fuisse,tunc testati sunt,non pauci.Libros inibi seditiosos,obtrectationibus & conuicijs plenos,condebat,contra morem seu ritum Catholicæ Christi Ecclesiæ.

Euangelicum istud facinus Sleydanus non legit.

Interea Lutheri uolumina scrutabantur,&condemnabant Do-

F ctores

ctores Parisienses, qui collectis in unū articulis ex libello de Captiuitate Babylonica inscripto, cæterisq; alijs, nimirum de mysterijs Christi uel Sacramentis, de ritibus Ecclesiæ, de meritorum ratione, de uotis, de pœnitentia, de Absolutione & satisfactione, de Purgatorio, de libertate arbitrij, de priuilegijs seu etiam libertatibus Ecclesiasticorum, de Concilijs, de mulcta hæreticorum, de Philosophia, de Ludo literario, & Theologia, his inquam & alijs paragraphis quasi in unum catalogum redactis, ad lectorem & omnes qui Christianos sese profiterentur, parenesin subijcientes, salubriter admonebant, & ut diligenter præcauerent ne in huiusmodi perniciosissimis erroribus collabantur, quia hæretici pro more haberent, initio auditorum animos blandicijs permulcere, quibus si semel imbui & irretiri sese incaute permitterent, nō nisi ægre, imo egerrime euelli seu liberari ab his dico blandicijs ipsorum animos posse, quinetiam sub talibus blandimentis seu lenocinijs uerborum, uirus præsentissimum latere. Deinde nomine & ordine recensebāt quoscunq; authoritas Ecclesiæ hæreticos conuicisset, quibus Vuiclefum, Ioannem Hus, tandem etiam Lutherum annumerarunt, quem abhorrebant & reprehendebant, tanquam hominem uecordem & præsumptuosum, ob id quidem maxime quod quum existimaret se cunctis mortalibus oculatiorem & prudentiorem fore, Sanctorum Patrum doctrinam, Conciliorum sapientissima sanctissimaque decreta, uniuersitatum arbitrium sic contemneret exploderetq;, quinimo ritus & legitimas Ecclesiæ cæremonias omnes conuelleret, tot seculis alioqui religiosissime seruatas, quasi credibile foret, Christum usq; nunc unicam suam sponsam Ecclesiā talibus errorum tenebris circumagitari permisisse. Cæterum indolem hæreticorum esse aiebant in suam ipsorum sententiam sacram scripturā detorquere a sua natiua rectitudine. Posthæc enumerabant libros a Luthero conscriptos, notantes in quibus illic articulis hæreticorum sententiam imitatus esset.

Quoniam autem ipsis ex officio & professione incumberet, ingruentes contra sanam doctrinam & fidem ipsissimam errores e medio totius Ecclesiæ, quantum fieri posset, tollere, huius rei gratia omnia Lutheri uolumina diligenter & studiose peruestigasse se testati sunt, quatenus uidelicet omnibus Christifidelibus perspicuū esse posset, quomodo ab his unusquisque sibi cauere deberet.

Quum

Quum igitur cuncta sedulo euoluissent, maturo adhibito iudicio, quæ Lutherus ipse scripsisset, intellexisse se ex his denuo attestati sunt, doctrinam eiusdem ipsius perniciosam esse, incendio dignam, inq; cineres redigendam, imo iustum & salutare futurum arbitramur, si cogatur eam repudiare, annihilare, & reuocare.

Imperator annos natus uiginti & unum, Lutherum proscribit calendis Maij, hoc uerborum tenore ratione facti huius assignans: Quoniam mei muneris esse iudicaui, non solum Imperium præmunire aut amplificare, uerumetiam prouidere ne usquam in id commotio aut hæresis aliqua irrepat, in quam etiam causam quum certo sciam maiores meos totis uiribus laborasse, ea propter æquissimum fuerit, ut & ipse eorum exemplo subnixus, uestigijs horum meorum Maiorum insistam.

Nisi proinde hæresim nuper in Germania suscitatam euentilem indeq; excludã, meopte studio atq; officio aduersabor, & in ipso operis nostri seu dignitatis ingressu infamiæ notã mihi cõtraxero. Neminem enim latere existimo quam impium dogma Lutherus annis aliquot fouerit & sparsim euulgauerit, adeo ut Leo decimus Pontifex Maximus, sui muneris rationem habens, non parum commoueretur, nullis laboribus aut remedijs parceret, quo ab inceptis erroribus eum ad meliorem mentem reuocare posset, candide per omnia humaniterq; negocium huiusmodi conficiens. Cæterum quum animaduerteret in eo se nihil proficere, alia tentauit uia Lutherum adoriri. Fretus nimirum Canonibus & Decretis ad negocium suum efficacius transigendum concessis, constitutis & ratis, certum illi tempus præfixit, quando ab erroribus desistere, suamq; hæresim recantare deberet, adiecta graui & nihilominus æqua, mulcta, si acquiescere nollet. Lutherus aũt non modo auscultare seu etiam parere noluit, uerum libros maiorem quam antea spirantes temeritatem, horrorem & blasphemiam, ædere cœpit. In tanta itaq; cõstitutus angustia Pontifex, ipsum ad me grauiter detulit, & instanter admonuit, quatenus quod Ecclesiæ debeo id eidẽ quoq; impenderem, & perniciosum illum hominem condemnarem. Vnde factum est ut iam priorem Pontificis interdictum per uniuersum Imperium publicare fecerim. Sed nec ita quidem emendari potuit Lutherus, uerum cumprimis quasi delirijs exagitatus, libellos offendiculis & maledictis pleníos edere cœpit, in quibus nullis rebus magis studet quam seditionibus, bellis, dissidijs, incendio,

ſtragi,& depopulationibus alijs, Sanctorum Patrum concilia pro nihilo ducit, præſertim autem Concilium illud Cõſtantiæ, immo= deſtiſſimis conuicijs afficit & lacerat. Quæ ſane conuicia non modo in uiros probos, religioſos & doctos, ibidem tunc præſentes, imo & in Imperatorem Sigiſmundum, & principes, id eſt, omnes illius nimirum Concilij patronos, teſtes & arbitros ſapientiſſimos, redundare conſtat. Neq; enim quiſquam mortalium enunciauerit, quam execrabilis & excors hic homo ſit, non dicam hominem, ſed diabolum hominis in morem cõſtitutum. Quare profecto haud parum doleo, ſed ſummis mœroribus, anguſtijs, & ſolicitudinibus obruor, quoties hæc abominatio mentem meam arripit: quum in tam perplexis grauiſſimisq; negocijs Imperio & Catholicæ Chriſti Eccleſiæ recte conſultum uelim. Quocirca ne maiorum meorum gloriam, noſtram celſitudinem & officium ſocordia & puſillanimitate quadam præoccupatus magis extenuem, ne dicam obſcurem, quàm augeam & illuſtrem, effeci ut Proceres ſtatusque Imperij cõuenirent, quatenus hoc modo, communi omnium conſilio, negocium omni ex parte legitime atq; cõſtanter exequi poſſemus. Præterea quantumlibet alloquio noſtro conuictum hæreticum, publiceque damnatum, & a communi Eccleſiæ gremio atque conſortio excluſum, iudicaſſem indignum, nihilominus tamen, literis ampliſſimæ ſecuritatis per noſtrum caduceatorem accitum admiſimus, ut & ipſe præſens propoſiti ſui rationem liberrime redderet, ceſſarentq; ex omni parte querelæ. Quid? uobis clam non eſt, quæ palam Vuormatiæ & ſingulari quodam ſtudio & cura acta ſunt:

Porro quum exploratum habeam Lutherum ſuum errorem pertinaciter excuſare & tueri uelle, improbare non poſſum Sedis Apoſtolicæ Decretum atque Cenſuram aduerſus Lutherum directam, quinetiam mandamus & præcipimus illius cenſuræ progreſſum, nutum, & exequutionem fieri. Proinde fretus authoritate Imperiali qua fungor, uiſum eſt etiam hunc damnare & proſcribere, tanquam ſubuerſum & ceruicoſum hæreſiarcham, qualem niſi & uos pariter habeatis, reos uiciſſim uos decerno læſæ noſtræ Maieſtatis. Et quamprimum unius & uiginti dierum ſpacium, quod ſuæ diſceſſioni annuimus, euolutum fuerit, tum ſingulos uolo in eum ipſum ſicubi locorum reperiatur, animaduertere, & arreptum uinctumque carceribus poteſtate noſtra mancipari, omnia deniq;

ipſius

ipsius opera dissipari,obliterariq;,nec distrahi nec uendi,sub pœna transgressoribus digna.

Sub id temporis Rex Ferdinandus Annam Ludouici Vngarorum Regis sororem in uxorem duxit.

Inter alios autem qui Lutheri professionem reprehendebant, extitit Henricus octauus Angliæ Rex, qui reiectis & confutatis primum de Indulgentijs Lutheri uidelicet dogmatibus & censuris, Pontificatum apprime defendit,scripturæ sacræ testimonijs,& priscorum Patrum authoritatibus,quæ Lutherus de Sacramentis prodiderat,deq; Babylonica seruitute,manifestam complecti hæresim & impietatem ostendit.Qua quidē re a Luthero comperta,responsionem aduersus eundem instituit nimis impudentem & furibundam.

Hoc eodem tempore Solimannus Turcarum Imperator nouiter designatus,Ludouicū Regem Hungariæ & Bohemiæ (qui Mariam Caroli Cæsaris sororem in coniugem adeptus erat) debellare cepit.Hic ubi multæ tum oppida, tum arces inuasisset, Grocanicū etiam Vueissenburgum uel ut alij nominant,Belgradum siue Taurunum,expugnauit,quod Hungariæ propugnaculum erat,illicque situm ubi confluunt Danubius & Sauus.Quod quidem muris præsidijsq; necessarijs munit.

Cæsare adhuc in Germania degente,& in nationibus inferioribus detento,Hispania tumultibus concitabatur.Quos ut mature submouere posset Imperator, & periculis instantibus inde occurrere, primum negocijs Regni siue Imperij habito,Concilio & regimine prouidit,quatenus ipso absente Ius decerni ualeat in causis memorati regni,& statim classe traiecta in Hispaniam tandem aduenit.Sed ante hanc dimissionem siue profectionem Cæsaris,Nurenbergæ status Imperij de causis quibusdam,præsertim autem de bello Turcico inter se consultabant. Cæsar uero tunc sub finem Martij edictum edidit,quo Clerum præcipue adhortabatur,ut pro communi totius Imperij pace, peccatorumque remissione Deum interpellarent,& missæ sacrificium deuote celebraret. Post hæc statutum est,primo nimirum die mensis Maij,Ludovuico Vngarorū Regi suppetias ferre.

Interea Canonicus quidam Ecclesiæ Tygurensis,dictus Vlricus Zuuinglius,cepit nouam doctrinam,eamq; blasphemam compo-

nere & persuadere populo, cōtra augustissimum altaris sacramentum. Hinc Episcopus Constantiensis ad Senatū Tygureñ. q̄d suæ Diœcesi subiacerēt, literas destinat, significans intellexisse se Zuinglium illum nouam & perfidam disciplinam pertendere. Sed patrocinio & fauore multorum, qui in Senatu erant, fretus ipse Zvuinglius, facili negocio sese coram Senatu defendit. Alias posthæc literas ad Clerum Episcopus mittit, quibus eundem adhortabatur, ut caueant sibi ab impio & falso nouorum dogmatum textore, quippe qui Ecclesiæ tutores ibidem essent, adeoque Summo Pontifici & Cæsari, qui coniunctim serio edicto omnem huiusmodi hæresim damnarant, parere non subterfugerent.

Lectis hisce literis in Capitulo siue consessu Canonicorum ibidem residentium, Zuuinglius uicissim scripto respondit ad literas missas. In primis affirmabat se inuictam ueritatem docere, quare ne credat qui diuersum suæ Celsitudini referrent, rogat, Sacerdotum quorundam improbam uitam taxabat. Deinde ad Heluetios Epistolas dirigens, suadebat ipsis coniugium sacerdotum, mirifice matrimonium exornans & prædicans, quasi multo diuinius & sanctius cōtinētia uirginali, quum tamen Christus in Euangelio; & Diuus Paulus in Epistola sua longe aliter doceant.

Matth. 16. 1. Corint. 7.

Sub id temporis orta est inter Lutherum & Carolstadium non modica contentio & æmulatio, eo quod hic imaginibus sanctorū nimis insolenter & temere, tēpla spoliaret: ille uero mallet idipsum fieri a magistratibus, nec gregarijs quibuslibet permitti.

Quo etiam tempore suborta est clancularia quædam secta inter homines non paucos, qui quidem persuasum habebant, aut certe alijs persuadere conabantur, sese cum Deo colloquium habuisse, a quo in mandatis accepissent, ut omnes impios e uiuis funditus tollerent, nouum eo modo instauraturi mundum, in quo soli iusti & insontes existerent rebusque potirentur. Porro primi illi sectarij tacite suum institutum diffundebant, præcipue uero inter Saxoniæ partes ad Salam sitas. In quorum etiam opinionem incidit Carolstadius, attestante Luthero. Cunque suis uotis Vuittenbergæ præsente & resistente Luthero non succederet, a priori resiliens instituto, suoque quo pollebat officio deserto, sectarijs illis se adiunxit.

Cæterum ut percepit Lutherus, quod aliqui in comitijs Bohemicis,

micis,summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ probarent authoritatem,eamq; modis omnibus recipiendam esse cōsulerent,eo quod contentionis & simultatis alioqui finis nullus esse posset, mittit e uestigio literas ad Bohemos,decimo nono mensis Iulij,qbus innuit: Se quidem prius nomini Bohemico infensum fuisse, quādo nondum compererat quod nimirum Romanus Pontifex uerus Antichristus esset. Proinde multo aliter re ipsa iam ita exigente sentire se aiebat,& aperte in suis libris fateri, Romanum Episcopum cum suo sodalitio in ipsum seuerius & imprudentius agere, quam illi quondam egissent. Eo nempe fortuna diuerterat,ut magna sibi spes esset,Germanos & Bohemos in Religione breui fore concordes. Idcirco Ioannis Hus & Hieronymi Pragen̄. memoria uobis ait non excidat. Rogabat insuper eos & hortabatur,quatenus in Religione quam multo sanguine & constantia hactenus cōseruassent, perseuerare uellent,ne sua ipsorum defectione suæ uicissim doctrinæ iniuriam sic irrogarent. Et licet non omnia penes eos congruo ordine consisterent,Deum tamen illis ipsis fore quandoque propicium,adeoque non deserendos,sed opportuno tempore fideli dispensatore seu administro & reformatore Christianæ Religionis cælitus donandos & illustrandos,saltem constantes permanerent, & Romani Papatus ignominiosum & impium statum procul a se depellerent.

Super hæc omnia Lutherus denuo libellū ædidit aduersus eos qui se falso nominarent Episcopos. In quo scribit,quod ulterius non cogitasset arbitrio ipsorum sua scripta submittere. Plus satis enim hac in re facilem se præbuisse,dum Vuormatiæ cū illis esset, sed modo de sua doctrina tam certum esse se profitebatur, ut nec Angelorum iudicio uellet eam subesse,quin potius testimonio fretus suæ doctrinæ, quo suis,nec homines modo,imo & angelos iudicare paratum se pollicebatur.

Ferdinandus autem Archidux Austriæ sententiam Luthero contrariantem acriter perurgebat,& in Vuirtēpurgen̄. Ducatu,qui tunc suo parebat dominio,edito publico Mandato,quoslibet passim sibi subiectos uehementer redarguebat & castigabat,eos nimirum qui nollent decretis seu constitutionibus Catholicæ Christi Ecclesiæ acquiescere.

Munsterus. Eodem hoc anno coniuratores omnes, Tygurensibus tantum exceptis, fœdus cum Gallorum Regi Francisco inierunt, quod suũ robur haberet, quamdiu Rex ipse uitalem carperet auram, & anno post obitum huius uno.

Hoc insuper anno bellum ingens inter potentissimos Reipublicæ Christianæ monarchas, uidelicet Carolum quintum Romanorum Imperatorem, & Galliæ Regem Franciscum ingruit. Nicolaus Basellius. Receptæq; sunt a Cæsarianis in deditionem, ciuitates aliquot eiusdem regni.

Ante enim quam annus iste euolutus esset, Mediolanum quoque Francis ereptum fuit.

Eodem quoque anno Leo decimus, summus Christi Vicarius, diem clausit extremum.

Postremo eodem anno, die decimo octauo Iunij, magnum detrimentum perpessa est arx Mediolanensis munitissima. Contigit enim ut turris una ciuitatis illius alta & magnifice exædificata, in qua uasa non pauca referta sulphure seruabantur, ignem conciperet, cuius ardore & ui non tantum turris ingens illa corruit, uerumetiam murorum magna pars, & speciosissimum arcis ædificiũ euersum est. Vnde etiam saxa in aerem dissipata, & hinc inde magno impetu resilientia duos primi pilares arcis obruerunt. Præsidiarij nonnulli qui recreandi causa rus inde concesserant, lapidum ictibus atque ruinis perierunt, quidam comminutis brachijs & perfractis tibijs necem difficulter euaserunt, in tantum ut ex ducentis præsidiarijs uix duodecim uiui remanerent. Et hypetrium uel subdiale illud quod adiacebat castro satis amplum & ædificijs uacuum, tanta lapidum mole constitit, ut nõ nisi ægre internosci posset. Tantoque pondere nonnulla ibidem saxa uisa sunt, quæ non facile dimoueri a decem iugis boum poterant, quæ solius ignis ui ultra quingentos passus disiecta fuerant.

An. 1522. ANno partus Virginei M.D.xxij. die ix. mensis Ianuarij, Adrianus Traiecti Hollandiæ natus, Caroli Cæsaris in Hispania Vicarius, Ecclesiastici regiminis culmen adeptus est. Qui posteaquam intellexisset se ad tantum dignitatis fastigium processisse, simulatque trium Cardinalium legatione cohonestandum fore, ex Ciuitate Victoria literas ad Collegium Cardinalium seu Concilium

lium Apostolicum die octauo Martij destinat, gratitudinis ergo. In his enim gratias amplissimas toti Apostolico cœtui primum agebat, quod nimirum ipsum eo honore dignum habuisset. Licet autem principio refragaretur & abhorreret propter oneris sibi ex tunc impositi molem, tandem nihilominus acquieuit; Dei potius quam hominum consilio & uocatione id illi cessisse muneris tempore alioquin calamitosissimo considerans. Sperabat ideo optime toti negocio prospectum iri. Vt autem cognouit Cardinales ad eum dimittendos, needum Roma discessisse, nec ipse satis per se posset intelligere quo pacto commodo publico inseruire ualeret, propter negocij magnitudinem, & Legatis longum & laboriosum iter restaret; uoluit eosdem potius illa fatigatione leuare. Vocatisque ad se probissimis expertissimisq; uiris, mentem suam illis declarauit, & Electioni se submisit. Quocirca cupiebat hæc prius per Italiam unicuique nota fieri, eaque diligenter dispicere, ut sic æquitati & iuri respondeatur. Quia prorsus apud se constituisset prospicere sibi de naui & ijs quæ ad profectionem forent necessaria. Atque ita Romam uersus quam primum integrum esse uideret, nauigare. Dabat præterea literas ad Senatum urbis Romæ, quibus eum ipsum certiorem reddit fauoris & beneuolentiæ suæ, quibus ab ipso prosequendus esset. Elapsis posthæc mensibus aliquot, soluit, & sub finem mensis Augusti Romam appulit. *Sleydanus.*

Ante autem quam December expiraret, Adrianus Pontifex Maximus, Roma ad status Imperij Nurenbergæ congregatos scripserat in hunc sensum: Quod ut primum ad munus Apostolicum assumptus esset, nihil amplius optasse, se quam ut talem se præstare posset in omnibus, quemadmodum bonum decet pastorem, & ita cauere modis quibus posset, ne ab ouili suo grex suæ curæ creditus atq; commissus, deerret, seu etiam ex hoc ouis una ne pereat, adeoque complura quæ sua diligentia & sollicitudine præcauere ualeret, libenter & promptissime se exequi uelle. Huius sui propositi atque conatus Deum quoque testem esse, qui præter omne suum meritum & expectationem ad huiusmodi prouinciam eum euexisset. Et quo sui uoti compos citius & facilius fieri queat, testabatur se Reges & Principes serio admonuisse, ut belligerare in Imperio Romano inter se cessent, quin potius si pugnandi desiderio tenerentur, cōtractis contentisq; uiribus aduersus hostes fidei pcedant. *Sleydanus.* *Adrianus Papa ad status Imperij scribit.*

Nam

Nam quod sic aliis persuadere niteretur, hoc ipsum se præstitisse, & equitibus Rodensibus, quos Turca iam intolerabili iugo oppresserat, magnam uim pecuniæ transmisisse. Adhæc dum animi sui & studia cogitationes ipse ab extraneis & corporalibus negociis ad ea quæ suo ipsius infortunio Ecclesiæ impendebant conuertisset, non absq; grādi cordis dolore se tunc percepisse aiebat, quo pacto Martinus Lutherus (qui posteaquam ingenue, candide, paterne, amiceq; admonitus fuisset, nec tamen emendari sic potuisset, exindeq; multarum academiarum, insuper & Papæ Leonis & Imperatoris censura decernente communi ipsorum consilio damnatus esset & excommunicationis fulmine percitus) non solum non cessisset, uerumetiam plus solito insaniret, nouosque libros indies ederet, quibus tota religio Christiana, omnis modestia, omnisque probitas pessum iret. Sed & acerbissimum grauissimumque ipsi uideri quod illi ipsi plurimi nobilium applauderent & fauerent, tum etiā quod eo malorum res deuenisset, ut Ecclesiasticorum dignitas in Germania in contemptum abiret & elanguesceret, quum ob id inter proceres regni illius Germanici bellū in foribus esset. Diuū quidem Paulum uerissime dixisse, nimirum quod hæreses oporteat esse, attamen periculum huiusmodi nimis eodem illo tempore importunum fore, nec Diabolum abstinere quin uariis nos ipse tribulationibus & angustiis intricet, cuius item artibus fieret ut in nos adeo Turca grassetur & undiquaq; passim deuastet, cuius denique callidis machinamentis Lutheranica hæresis in Germanicam nationem omnium amplissimam irrepsisset. Nemini non exploratū esse Turcarum uim, quam licet oppugnare & quippiam euincere uel adimere contingeret, rebus tamen nostris non recte nec integre prouisum iri, nisi inimicus ille domesticus in exterminium cogeretur. De cuius falsa doctrina cum adhuc in Hispaniis moraretur, plurima audiuisset, nec infrequenter aut parum ipsius animum pulsasse, quod tam grande malum in eam regionem ubi & natus & enutritus erat, sæuiret, nihilominus tamen duo succurrisse sibi, quæ ipsum in hoc malorum genere consolarentur. In primis certa quædam fiducia, qua & certo speraret, uanam huiuscemodi, & impiā doctrinam, a plurimis ubique non admittendam nec recipiendam. Deinde candida animi sui sententia, qua persuasum haberet noxiū adeo uirus seu toxicum undecunque etiam illud transferri queat, illic non facile inhæsurum, uel ut aliter dicam, radices acturum, ubi constan-

constantissimi semper extitissent hæresum expugnatores. Interea uero quum tota iam tragœdia siue iusto pariter Dei iudicio, siue permissu aut consensu, & indiligentia eorum quorum intererat tantum auertere malum, suscitata esset, ipsi sedulo sibi prospicerent, ne hi ipsi qui hactenus tardiores fuerant & indulgentiores, quasi solitæ constantiæ suæ atque uirtutis pristinæ immemores, & tantæ perniciei astipulatores & fautores haberentur. Vehementer dedecere, quod gens adeo magnanima & constans, ab ea Religione quam & Christus & Apostoli nobis multifarie commendassent, quam etiam tot martyres & uiri dignissimi, tum quoque maiores nostri conseruassent, unius cuiusdam Monachi rumore & placito, deficerent, in qua & illi ipsi multis annis perseuerassent, quam denique sic integre professi fuissent, quasi uero tanto temporis interuallo oberratum hactenus esset, & Christus qui sese nobiscum permansurum usque consummationem seculi promisit, Ecclesiam ipse suam tot errorum tenebris deseruisset, perinde atque solus ipse sapiens a Deo exuscitatus esset, qui totius orbis errores uindicare debeat. Neutiquam se addubitare quin sapientes inde cautiores quoque euaderent, attamen nonnullos plebeios & inconstantes, nouique magistratus emulatores fore, qui occasionem ex inde inusitatum aliquid machinandi arripiant. Num intelligerent, quorsum talia negocia uergerent, quæ profecto alio non spectarent, quam ut sub prætextu libertatis Christianæ, omne decretum, lex omnis & æquitas eo modo reijci possent ab ijs. At quomodo homines illi ciuilem aut laicam potestatem, pro Dei ordinatione recognoscere queant & uereri, qui sanctissimi Papæ & Conciliorum statuta perfide tractent, imo uero conuellant & exurant? Quis item hominum esset qui crederet tales aliorum bona non dissipaturos siue in tranquilla & secura possessione dimissuros, quos non puduisset templorum spoliatores fieri, & anathemata, hoc est quæ Deo oblata & sanctificata fuerant, pollutis dirisque manibus diripere attentarant? Et qui Sacerdotes non tantum uerberibus affligere, uerumetiam trucidare ausi fuissent, eos quoque operam daturos promptosque futuros, ut & alios cuiuscunque status existerent, circumueniant & perdant. Atque eo

peruen-

peruentum esse ut impunita nequitia ipsis etiam principibus, earũque coniugibus, prolibus, & consanguineis, quin & ipsorum dominijs & subditis impenderet. Quocirca ipsos pariter omnes obtestaretur & exhortaretur, imo pro suo officio tanquam D. Petri successor, & Christi uicarius requireret, ut nihil prorsus intermitterẽt, sed omnem operam sedulo impenderent, ut uel sic commune & intestinum illud incendium extinguere festinarent, eatenus uidelicet, quatenus Lutherum salutiferis & pijs quibusdam medijs iterũ in rectam semitam reducere ualeant, uel si id facere non possent, eũ iuxta legum authoritatem atq; uigorem, Cæsaris & Imperij totius nouum edictum castigent. Hoc autem non tantum cõmodare corruptelæ propulsandæ, quam Germanicæ Nationes contraxissent, quinetiam multorum hominũ incolumitati posse, qui ex illa corruptione graue damnum sustinerent. Natura quidem se & indole, uitæq; consuetudine, magis in mansuetudinem quam seueritatem propendere. Sed quum ista pernicies haud leui saltem pharmaco curari siue corrigi nequeat, ob id opus esse seuerius & efficacius aliquod adhibere remedium.

Cuius etiam rei non unum in scripturis testimonium haberetur, sed multa passim. Præterea maiores illorum in Constantieñ. Concilio hoc modo cum Ioanne Hus & Hieronymo Prageñ. suum ipsorum negocium expediuisse, & prout meruerant, in duos illos Hæresiarchas animaduertisse. Quod si igitur & illi uicissim probitatem suorum nimirum Maiorum imitarentur, Deum non defuturum ipsis, & maiorem inde nobis spem accumulandam, Turcarum a nobis atrociam auertendi. Se deniq; ait omnia bona uelle, imo & uitam ipsam depẽdere pro integritate & salute gregis sibi commissi.

Quod uero ait, bellum aliquod intestinum iam inter eos exuscitatum esse, ad Richardum Archiepiscopum Treuirensem referendum est, quem tunc Franciscus Sickingius Lutheri fautor deditissimus, oppugnabat.

Eiusdem quoq; argumenti literas Adrianus Papa ad alios nonnullos scribebat singulariter, & a Senatu Argentoratensi postulat, ne uel Lutheri uel suorum asseclarum libros excudi apud se patiantur, & si qui iam excusi essent, non modo eos obliterarent, sed & in ignem conijcerent. Cæterum audisse se typographos ipsorum nonnullos esse, qui libros huiusmodi prælo suo submitterent, alios uero his contrarios, catholicorum uidelicet libros, reijcerent. Quos

propterea

propterea nisi desistant ab inceptis conatibus, & dehortati sibi obediât, anathemati & indignationi omnipotentis Dei, obnoxios protestaretur. Et tametsi æque bene in auita fore Religione perseuerarent, nihilominus tamen quod si non libertatem illam & insolentiã corrigant, nec aliis occasionibus peccandi resistant, atq; adeo e medio tollant, uanam ipsorum cogitationem seu fiduciam esse, qua sibi persuadeant, se id impune laturos.

Cur autem Pontifex Maximus Typographos, reprehenderet, atq; taxaret, ideo factũ est, quod opera Lutheri diligentissime, magnifice, propriisq; impensis ab illis excuderentur, ea uero seu eorũ opera q Lutheri dogmata falsa refutarent, plane negligenter & mendose seu uitiose, tametsi impensas ipsimet Catholici suppeditarent. Nec deesset apostatantium monachorum colluuies, qui lucrum ex uenditione libellorum Lutheri sibi conflarent, adeoq; passim oppida totius Germaniæ magnis sarcinis peruagantes, plurimi his impiis libellis animum adiicere cepissent. At uero quod ex Catholicorũ manibus uenerat, emere dimidiato præcio, & sicq; uenales offerre nollent. Cæterum Catholicos illos Typographos cum sanniis irriderent, Papistas eos ipsos & Sacerdotum mancipia nuncupantes.

Quum autem iam Lutherus suo sic satis ex animi sententia negocio succedere cerneret, magis magisq; insolescebat, & quemadmodum prius uetustissimos patres, & sacrosanctæ Christi Ecclesiæ doctores cum piis eorundem decretis & cõstitutionibus reiecerat, simulatq; exsufflerat, debuerunt extunc literæ sacræ, & sacrosanctũ etiam Domini nostri IESV Christi testamentum, arripi, ab eodemq; Luthero iudicari, imo corrumpi & labefactari.

Illud ubi Rex Angliæ percepisset, quod nimirum ipse Lutherus Biblia sacra corrigere & germanice transferre proposuisset, ad Duces Saxoniæ literas destinat, quatenus ante omnia caueant ne indolis suæ ferociam crassius effundere, unde quoq; Biblia uitianda forent, admittant, quippe qui suspecta nec satis integra fide laboraret, quem omnes theophili malignum & peruersi ingenii uirum reputarent, qui deniq; pro more haberet, id omne quod candide aut recte scriptum esset, sua ipsius translatione & interpretatione deprauare, ita ut hinc gregarii, si quando sanctarum lectionem scripturarum aggrederentur, detestabilis mox hæresis ipsis influere pariter possit, quã abhominabilis homo ille sua non satis fida translatione

latione propinaret. At Prohdolor anteaquam regales istiusmodi literæ transmissæ traderentur, seu etiam reciperentur, totam ecce Germaniam peruaserant & repleuerant a Luthero iam infideliter uersa noui Testamenti exemplaria. Sed enim Ecclesiæ Catholicæ uersionem penitus abiecerat, plurima in Euangelio commutarat, plurima subtraxerat, & adiecerat, nec sane his pauciora in contrarium & peruersum sensum detorserat, insimul etiam horum librorum margini hæreticas & erroneas glosas adiecerat. Sed & in præfationibus singulorum librorum nullis omnino fraudibus parcit, ut nimirum hisce modis lectorem in suam opinionem pertraheret. Idcirco doctissimi quique uiri, plusquam in locis millenis eum ipsum errorum suorum conuicerunt, in quibus etiamum textus & glossematum uerba peruerterat. Quorum facile Princeps extitit sub id temporis, pius & ipse pariter sanctæque recordationis, nec indoctus, D. Hieronymus Empserus, qui etiam fidelissime uniuersum Christi testamentum germanice reddidit, adiecta pariter illustri quadam elucidatione, qua declarat aperte Lutheri translationem, quam fecerat e Latino in Theutonicum, non solũ falsam esse, uerumetiam passim sibi ipsi aduersari. Quemadmodum liquido potest ostendi ex libris illius Coloniæ pouissimum, & Friburgi Brisgauiæ æditis.

Hoc insuper anno Princeps Turcarum contracta magna ui, cõtra Roden profectus est. Non minus q̃ quinquaginta milia Rusticorum, qui in aliud nihil uacarent, quam ut foderent, & corbes præsidiarias conficerent, authorauerat, peditibus uero & equitibus uiginti milibus cinctus. Oppidum igitur circunquaque bombardis & serpentinis uallauerat, quæ tãtæ magnitudinis lapides extorquebant, ut nouẽ palmis eorum cõplexus constaret, q̃bus incessanter mœnia infestabat. Nihilominus tamẽ hoĩes tantũ decem ad primã eiaculationem ex ictibus globorũ bis mille, perempti sunt. Accessus & recessus subterraneos & clandestinos fodere sibi iusserat, subter oppidi illius mœnia, q̃bus iniecerat igniũ fomẽta, q̃ leuiter succẽdi poterat. His aũt accẽsis tanta uiolẽtia & fragore terra dissiliit, ut fundamẽta Ciuitatis inde cõtremiscerẽt. Sæpius magna cũ iactura sui exercitus Ciuitatẽ oppugnabat, pcipue uero quarto cõflictu eã in quinq; locis adortus, turrim quandã occupauit, & cõfestim ex inde uexilla lunæ simulachro insignita ostentabat, at hi qui in urbe erãt tam strennue & uiriliter depugnabãt, seseq; machinis, balistis, tragulis,

Munsterus.

tragulis, phalaricis, saxis, telis alijsq; id generis instrumentis defendebant, ut hostis mœnia deserere sit coactus. Durauit autem hic cõflictus & oppugnatio, die dimidio, cæsaq; sunt uiginti milia Turcorum, & ex Rhodensibus multi quoq; fortes una corruerunt. At posteaquam Turca Ciuitatem obsidione semestri fatigasset, murosq; turresq; machinis nusquam fere non demolitus esset, amplissimumq; ciuitatis illius locum occupasset, Rhodensibus nihilominus continenter munitiones & machinas aduersus eum erigentibus, seseq; tam diu infractis animis defendentibus, donec ipsorũ tormenta disrumperentur, puluisq; tormentarius difflueret seu dispergeretur, simulatq; robustiores quiq; prostrati aut grauiter uulnerati essent, resistere difficulter potuerũt. Sed quum etiam Turcis durior uideretur ista obsidio, propter hyemis asperitatem nimiã, & incommoda frigoris peracerba, talem cum obsessis init Tyrannus stipulationem, ut si ultro ciuitatem dedere uellent, secum suis curasuros incolumes, aut etiam si cuperẽt secure possent suo in imperio ibidem uiuere: Sin autem nollent, sic cum ipsis post uiolentã deditionem uel expugnationem se acturum ut paucissimi uitam seruare ualerent. De qua quidem stipulatione Rhodenses inter se consultare ceperunt, considerantesq; ulterius se huic furori & immanitati barbaricæ obsistere non posse, deditionem seruata lege ac fide stipulationis, fecere, indeq; discesserunt, omnibus bonis suis secum sublatis quæ consequi poterant, relicta uastata ciuitate in manu Tyranni. Permissum namque fuerat illis bona mobilia uel suppellectilia, thesaurum & ornamenta secum auferre.

ANno nostræ salutis M.D.xxiij. suscepta cõtra Zuuinglianorũ doctrinam apud Tygureñ. disputatione, Doctorem insigniter eruditum Ioannem Fabrum, Constantieñ. præsul ad eosdem legat. Quos cum ille accessisset, & ex uerbis Consulis iam satis didicisset eum ipsum & potiores in magistratu Zuuinglianorũ hæresim amplexatos esse, eiq; adhærere, firmas certasq; rationes assignat neutiquam decere se ut coram arbitris partialibus, præcipue laicis disceptet, demonstrans disceptationem hanc siue controuersiam ad œcumenicum concilium breui celebrandũ, pertinere. Addixerat præterea se uelle impiam Zuuinglianorum sententiam efficacissimis sacræ scripturæ testimonijs refellere. Cæterum Magistratus Tygureñ. toti suo territorio mandauerat, quatenus Zuuin- An.1523.

glā professionem exciperent, & tuerentur.

Verum enim uero paulo superius meminimus, quo pacto Pontifex Adrianus statibus Regni scripserit. Quinetiam suo Legato tunc una cū literis ad Regni Germanici proceres siue status, schedas cōtradiderat: ex quarum tenore intelligeret ille quidnam suo nomine potissimum exequi deberet, ac initio quidem suo hoc autographo legato Pontifex mandauerat, ut Dynastis Regni significaret, quam grauiter ferret, quod Lutherus tam lugubrem tragoediam suscitasset. Sed enim Religio praesertim sua haeresi uehementer despiceretur. Insuper etiam amor proximi exinde remitteretur, sed qui uiam errantibus non ostenderet, eum sui delicti rationem daturum. Posthaec summo dedecori & ignominiae uertendū toti Nationi, quod quemadmodum Germania hactenus laudem maximam pro Religione habuisset, ita nunc ex defectione atque ruina in magnum deueniret contemptū, & sui nominis detrimentum. Nam quum Lutherum facili negocio exterminare possent, eiusque latissime diuulgatam haeresim, exibilare & obliterare, nec tamen uellent ad ista conari, omnibus incostantiam ipsorum tanquam in parabolam atque prouerbium cessuram, qui maiorū heroica facta negligant imitare, cum ab his tanta uirtutum testimonia Constantiae prodita uideant sibi relicta ueluti exempla quaedā. Num etiam paruam eam reputent sibi contumeliam, propter quā ipsi cum maioribus suis infamiae notā authore Luthero incurrant: Quin potius ipsimet negocium & discrimen istud singuli apud se perpenderent, cuiusnam propositi forent, quoue tenderent, quotquot hoc fermento essent conspersi, qui nimirum eiusmodi haberentur, ut sub praetextu euangelicae libertatis omnes constitutiones & obedientiam sublimiori potestati debitam uelint abrogare. Licet enim Lutherus se talem initio simularet, quasi Ecclesiasticam duntaxat potestatem, ut tyrannicam & atheam impugnare studeret, tamen nihil magis se moliri, quam si Christicolis semel persuadere posset, eos ipsos nullis plane legibus teneri; tandem uiam hac falsa persuasione sternat, quo unusquisque iuxta proprium ipsius arbitrium & libitum insolescere & delirare concedatur. Ac propterea quidem maius periculum ipsis instare, quoniam usque nunc Lutherani sua studia callide consulteque celarent, ideoque se omnem superiorum potestatem conuellere, quo liberius & impunite suum

odium

odium & maleuolentiam in Ecclesiasticos queant euomere. Quibus sublatis, deinde in alios se desæuituros, qui cæteris laicis nimirum præessent. Adhæc diligenter animaduerterent, quæ discordia, quantum odium, uiolentia, & rebellio toti iam regno accessisset, hac inuecta hæresi, unde & metuendum esse, nisi tempori caueatur, Deum ipsum (a quo potestatem gladij, hoc est in sceleratos animaduertendi accepissent) negligentiam eorum cũ grandi iactura & Regni totius, & propriæ salutis dispendio, castigaturum. Eandem quippe rationem habere Lutheranicã sectam, qualem modo Mahumetica perfidia habet, qua permittebatur unicuique plures sibi coniuges assumere, ac easdem pro arbitratu repudiare. Quo sane permissu, nefarius & malitiosus Mahumetus uidelicet, uoluptuarios quosq; occæcabat, atque ita potiores mundi partes ad se pellexisse. Cum quo etiamsi Lutherus minime conuenire, & adeo non consentire huius dogmati uideretur, ex quo tamen emissa uota ob castitatem seruandam, irrita faceret, matrimonium persuadendo, tanquam licitum, nõ obstante huiusmodi uoto, nec nõ hominum prauis desiderijs hoc modo habenas laxaret, multosq; socios atq; fautores undique suæ coniurationis sibi accumularet, summum totius reipublicæ maxime omnium Germanicæ damnum sic imminere. Idcirco ipsorum interesse Põtificium Cæsareumq; sedulo ius atque mandatum exequi, Religionem collapsam erigere, iniurias & præsentia mala suorum subditorũ auertere & propulsare. Cumq; Lutheri doctrina iampridem a Concilijs refutata & execrata sit, hanc proinde non minus detestandam esse; deinceps atque illam quæ cætum Christifidelium diris blasphemijs afficiat, contempta & quasi in nihilum redacta Ecclesiæ confessione & approbatione, aut potius contra eiusdem anathemata in contemptissimis habito. Nunquam præterea finem discordiarum fore, quandiu unicuique concedatur in dubium & quæstionem rapere, quicquid sapientes doctique uiri maturo atque salubri consilio præhabito, probassent ordinassentque. Quin & antiqua consuetudine firmatum & ratum esse, quamlibet ubique congregationem suas certas habere leges, quæ ibidem unumquemque obligaret. At quantõ sane magis hoc ipsum conueniet, quotiescunque in Ecclesia publice quicquam definitum fuerit. Quum igitur Lutherani non tantum definitiones Conciliorum & Patrum decreta reijciãt,

uerumetiam exurant, merito eosipsos plectendos esse tanquam pacis & tranquillitatis publicæ perturbatores. Adhæc silentio non esse prætereundum, quod Deus qui mali nihil sinit inultum, Ecclesiam suam oppugnari tot hæresum machinis permittat propter peccata populi, eorum autem potissime quorum intererat Ecclesiæ præesse. Et quoniam scriptura attestetur, quod a Senioribus egrediatur iniquitas populi, adeoque tot annis grauiter diuersisq; modis Romæ delinquatur, fieri hac quidem occasione quod a Pontificia Celsitudine multa malorum ac uitiorum genera ad inferiores status dimanarint, quia uidelicet nemo sit qui quod sui muneris est, satagat, hinc omnes errores procedere, atque ut semel omnia dicam, neminem non culpandum esse. Quocirca Deo soli gloriam tribuendam esse, atque ita ab ipso demissis animi uotis remissionem iniquitatum esse petendam. Ac interim sic toto pectore collaboraturum se promittit, quatenus Roma, a qua tot flagitia deriuarentur, cæteris durius castigetur. Et quidem eum coactum & inuitum Dignitatem Pontificiam suscepisse, & maluisse uitam priuatam degere, sed timore Dei præ oculis posito, ac ratione insuper habita præsentis tempestatis, non potuisse cura hac & onere leuari, quod est tergiuersari. Neq; uero dominandi libidine ulla inductum aut incitatum, sed proposito & desiderio recte agendi, & communi omnium saluti succurrendi. Quod autem cum primis æque errores & offendicula sibi neutiquam incognita emendari nequeant, in causa quidē esse, q̄d uitia illa q̄ tollere & abarcere statuerat, sic essent inueterata, & radicata, ut omni potius modestia opus hac in re foret, ne ex præcipiti & concita festinatione grauis exoriretur commotio. Imo ne præceps quidem & subita status & commoditatis Reipublicæ absque periculo, suscipi potest, iuxta quod omnibus per quam est familiare adagium sapientis, Dum uiolentius nares emungis, cruorem elicueris.

Hæc autem agente Pontificis Maximi Legato, conquesti sunt Imperij proceres pactum quod iamdudum cum Pontifice Romano maiores ipsorum inijssent, nedum Romæ negligi, sed uarijs omnino modis nefarie uiolari. Quod ubi Legatus intellexisset, huius querelæ confestim certiorem reddit Pontificem, qui uicissim respondit: Id se recuperare non posse, aut infectum reddere, quod Prædecessores sui olim cōmisissent. Ipsum se illius esse sententiæ &

uoluisse hæc omnia emendare, nec committere ut alicui fiat iniuria, multo autem minus ĳs quibus ob naturalem patriæ amorem addictior etiam esset.

Mandauerat præterea suo Legato Pontifex ut is ab Electoribus responsum exigeret. Huc enim tendere suas literas, quatenus in primis eum certiores facerent, quo medio cogitarent perniciosam hanc abrogare & exterminare sectam. Deinde ut opportunius posset ĳs prospicere rebus quascunque effectum iri ab eo cuperent.

Exhibitis itaque in concilium Principum missis a Roma libellis eosdem illi subnotarunt, repetentes primum ea quæ Pontifex efflagitauerat subiecta oratione quadam congratulatoria, qua testabantur ipsis quam gratissimum esse, quod Deo sic præstinante Ecclesiæ præfectus esset, illo nimirum tempore, quo ob imminentia mala tali præposito seu pastore maxime indigeret Ecclesia.

Quantum uero ad Lutherum attineret, quod uidelicet ex ipsius doctrina tãta in Germania commotio passim exorta fuisset, haud æquo se ferre animo, quemadmodum rationis decorum suadet, & idcirco eosipsos uelle omne istud damnum deinceps auertere. Quinetiam ingenue faterentur ipsos decere ut summo Pontifici et Imperatori morem gerant, neque in hoc a Maiorum suorum indole uelle deficere, quod est degenerare. Et si quid etiam consilĳ scirent libenter pro suo ipsorum officio impartirent. Sed quum non tantum Lutherus negocium facesseret, imo plures & difficultates & grauamina ad manus essent, propterea cogitarent, nulla commodiori uia causis istis occursandum fore, quam per liberum & Christianum Concilium, quod Pontifex & Cæsar, primarĳ uertices orbis Christiani, in una ciuitatum Germaniæ, ut pote Moguntiæ, Argentorati, Metis uel Coloniæ declarare possent. Quod ut rectius fiat, uelle se conari ne Lutherus interim libellos ædat, sperantes Ducem Fridericum suo ipsorum uoto non grauatim astipulaturum. Vellent præterea adniti ut Ecclesiastæ sacrum Euangelium iuxta approbatam & receptam interpretationem Ecclesiæ populo exponant, neue inter concionandum quicquam doceant quod uulgum contra superiores accendere, aut in errorem præcipitare posset. Adhæc ut in concionibus difficiles, controuersas,

& turbulentas quæ ad Plebem non attinent, disputationes intermittant, Concilij super his definitionem audituri. Ad quorum obseruationem deberēt Episcopi uiros doctos substituere, qui tales Concionatores, (sicubi opus esset) benigne atque mansuete adhortentur & corrigant, ne simul ita pernicies excresceret, quasi Euangelicam ueritatem ipsi impedire proponant. Quod si uero quisquam sic præmonitus acquiescere monitori nollet, non sinerent inultum. Postremo uellent cauere ne posthac aliquid noui prælo mandetur, sed docti probiq; uiri ex unaquaq; potestate in eorum dominijs decernantur, ad huiusmodi discernendum & iudicandū, quodq; eorundem censura atro (ut est in adagijs) carbone notaretur, ipsos uicissim eorum emptionem interdicere uelle. Hæc autem utilia & salutifera Principibus uideri ad concordiā omniumque prosperitatem tuendam.

Tametsi uero in Comitijs definitum esset unanimi Principum assensu, ne Luthero concederetur amplius aliquid ædere, ipse nihilominus mox solutis Comitijs, epistolam prodidit penitus contumeliosam aduersus determinationem imperialis Dietæ, in qua scribit se non absq; singulari uoluptate legisse Decretum illud, aut etiā determinationem illam, æditis in eandem glossulis, quemadmodū Sleidanus easdem prolixe, sed multū in fauorē Lutheri denarrat.

Nec mora libellum typis exprimi curauit de potestate Laica, in quo proceres aliquot Catholicos tam ignominiose excipit, ac si ne uel ipse Dux quidem Saxoniæ, ad quem scribit, inter Principes unus haberi posset. Infensus enim erat illis grauiter Lutherus, eo quod testamentum nuper ab ipso falsa interpratatione deprauatum, cautione mulctassent. Mirum sane quod Princeps tam inclytus, ex familia ueteri & illustri prognatus, concesserit permiseritq; Monacho obscura progeniæ oriundo, isipse nimirum illustrissimos principes tot tantisq; conuicijs afficeret, Mundi principes, Tyrannosq; eosdem compellans. Scribit Prudentem Principem quasi raram seculo auem esse, at longe rariorem haberi eum qui probitate uitæ præstet. Quin etiam summates uiros Dei flagella & uindices appellitat, & asserit. Deum ipsum uelle ut huiuscemodi mastigophoros atque lictores clementes uocemus. Grandi quoque miraculo respondere, si Principum unus syncerus aut ex animo Christianus habeatur. Pluribus id generis insulsis improbisque

male-

maledictis tam crebro utitur ut nihil supra. Cæterum Sleidanus non semel quidem meminit quemadmodum suus Lutherus Principes illos exceperit, nusquam non interim apertissime, sed ad usq; fastidium prolixe sua memorans illic, ubi uel minimam superesse uidet occasionem de negocijs ecclesiasticis scribere. Quippe qui Luthero dicenti, diuinũ & sacrũ Missæ officium execrandũ aliquid esse, & ignominiam dominicæ cœnæ, uitandumq; non secus atque ipsemet cacodæmon uitari debet, conniuere uidetur, dissimulando tantam in ipso impietatem. Ea uero quæ ad contumeliam & iniuriam Catholicæ Christi Ecclesiæ conferrent, Sleidanus speciose ampliterque recensere, & satis equidem sophistice, haud usquam omisit. *Parum æquus Ecclesiæ, Sleidanus.*

Eodem hoc temporis interuallo, morte subitanea correptus Franciscus ille Sickingius in arce sua corruit, quando uidelicet ab exercitu Archiepiscopi Treuireñ. & aliorum Electorum acie circumcinctus undiq;, in summas augustias redigeretur.

Quo etiam anno Carolus Borboniæ Dux a Gallo deficiens, Cæsaris in præsidijs agere maluit.

Accidit præterea circa id temporis mense Septembri plurimas ciuitates & munitiones uasto telluris hiatu deglutiri. Et in ipso Sancti Galli festo Neapoli tanta exorta fuit tempestas, ut arx inde cum alijs ibidem munimentis dehisceret.

Post hæc mense Nouembri apparuit in regno Neapolitano Cometa quidam terribilis conspectu, & ex assiduo tonitru, fulmine atque procella uisum est cœlum ardere. Quæ quidem horrenda incommoda terremotus ingens ilico subsequutus est, deinde nubilum unde tanta uis aquarum effusa est, ut saxa talentorum sex cũ quindecim & quinquaginta tribus ædibus & innumera hominum & armentorum multitudine per interuallum triginta duorum miliarium Italicorum pariter abrepta, tãquam ab amne rapidissimo huc illucq; diffluerent in præceps.

Insuper illo quoq; anno monstrum quoddam Romæ in maiore lacu repertum est, forma muliebri & uberibus fœminis præditum, capite quoque penitus hirsuto & auribus caninis, at magis Sercopitheco quam homini assimile.

Deniq; hac anni parte menseq; Septembri in Domino fœliciter obijt Adrianus Pontifex Max. in cuius locum assumptus est Clemens Septimus illius nominis, ex familia Medices. *Obitus Adriani Pon. Max.*

An 1524. ANno uero a Christo nato M.D.xxiiij. die decimo sexto Ianuarij, in Lucerna ab Heluetijs Diæta celebrata est, in qua decretum fuit, ne quis Dei uerbum sicut ab annis mille & quadringentis ad illud usq; tempus prædicatum fuerat, neue missæ sacrificium in quo Corpus Christi ad sui ipsius gloriam, uiuorum & mortuorum solatium consecratur & benedicitur contemneret, aut etiã derideret. Adhæc ut omnes ad dominicam conuenientes bis in Quadragesima peccata sua Sacerdoti reuelarent & confiterentur, eaque omnia obseruarent, quæ usque tunc apud eos inoleuerant, nimirum ut cæremonias & solitos ritus in Ecclesia seruarent, suo quisque pastori morem gereret, a quo & Sacramentis imbuerentur, cui & decimas & stipendia alia sibi iure competentia annue penderent. Præsbyteris honorem exhiberent. Diebus interdictis ab esu carnium abstinerent. Pari quoq; ratione a lacticinijs in quadragesima. Nihil quod Lutherũ saperet siue clanculum siue palam docerent, quod ipsum etiam legibus Ecclesiasticis repugnans habetetur. In Diuersorijs uel conuiuijs nusquam Lutheri aliorum ue hæreticorum dogmata memorarent. Imaginem nullam aut picturam alicui diuorum dedicatam eraderent. Nullis Ecclesiæ ministri suæ doctrinæ rationem redderent, præterquã suis præpositis. His quoque subueniendum esse si quando tumultus aliquis cooriretur, nec Hierophantas quos uocant stationarios, hoc est reliquiarum baiulos & demonstratores despicerent. Quodcunq; Præsul Constantiẽn. in causis religionis statuisset & ordinasset, obseruaretur. Præuaricatores autem ad superiorem potestatem deferrẽtur, constitutis super his omnibus passim apparitoribus qui in transgressores animaduerterent.

Porro ex hac ordinatione zelus religionis ergo susceptus indies magis magisq; accrescebat. Idcirco partes aliæ legationem destinabant ad Tigurenses, suum conatum insinuantes. Quod uidelicet olim cuncta recte & pie a maioribus essent instituta, nec unquam in doctrina nempe Christiana errorem contigisse, sed nunc huiusmodi tranquillitatem & pacem Ecclesiæ, Reipublicæ quoque commodum & prosperitatem labefactari, pro quibus uirtutibus discordia supplantaretur.

Propterea plusquam necessarium esse Maiorum traditiones tueri, alias profecto negocium eiusmodi in perniciem corporum pariter & animorum ipsis cessurum. Cæterum quam frugem fecisset

cisset Lutheri doctrina manifestarium esse. Posset etiam ipsum uulgus nunc uix arceri quin multa temere & insolenter committerent, audaces nimium & ad seditionem concitandam prorsus inclinati, ut paucis ante diebus compertum fuerat. Sed & fructus ille quem a Zuuinglio & Leone Iudæo (qui Dei uerbum, ad pacē & unanimitatem conciliandam retinendamq; natum & efficax, sic longe aliter pro libitu suo tractabant) ut ipsorum doctrina & interpretatione loco illius pacifici uerbi, omnino seditioni & discordiæ ianuæ turresque turbis aperirentur. Qui etiamsi ignorarent quidnam docerent, multos nihilominus seducerent, quotquot ex eorum professione hæresim illam amplecterentur. Iam absque ullo delectu diebus uetitis apud huiusce farinæ homines carnibus & ouis uesci licitum esse, Sacerdotes, Monachos, & uirgines uestales Deo nuncupatas uotifragos fieri, status & ordinis desertores effici inito arreptoq; nuptiali fœdere atq; commercio. Diuinum officium intermitti, in templo nusquam apud illos laudes Deo debitas celebrari, nulla suffragia fieri, Sacerdotes contemptui haberi, Cœnobia destrui, confessionem & satisfactionem tanquam inutiles actiones negligi, ita ut non puduerit quosdam ex his inconfessos Augustissimum diuinissimumque pariter Sacramentum accipere. Sacrificium missæ pollui, Virginem Matrem & diuos omnes blasphemijs affici. Imagines sacras dissipari, auferri, & comminui. Omnem honorem & reuerentiam derogari Sacramentis Christi & ipsius Ecclesiæ. Imo talem proteruiam & uecordiam irrupisse & occupasse quorundam mentes, ut etiam sacratiss. Eucharistia uix in Sacerdotū manibus illæsa consisteret. Quæ quidem mala diutius se ferre non posse aiebant, idcirco rogatos uellent eos ut ab incepto desistant, & in Religione maiorū potius perdurent & consenescant.

His autem respondit Senatus Tigureñ. die xxi. Martij. Quod Ecclesiarum suarum administri sic annis quinq; docuissent, & super IESVM Christum suam ipsorum doctrinam fundasse & exædificasse, quo minime Deiparæ uirgini aut etiam sanctorum alicui iniuriam irrogarint. Ipsis quidem multos errores asscribi, at neminem id demonstrare. Se neutiquam uelle hominum placitis, sed solius Christi documentis seu præceptionibus acquiescere. Atque ita suam responsionem extendebant & amplificabant, in qua totum fundamentum & ordo Lutheranicæ sectæ recensetur.

Vtpote,

Vtpote,carnibus uesci, aut ouis, Christum nequaquā prohibuisse: Deum unicuique matrimonium permisisse. Cōtinentiam uel castitatem uouere ipsi Deo haudquaquam esse gratum. Clericorum Ecclesias in usum pauperum erectas esse. Earundem quoq; ornamenta ad Dei obsequium nullatenus pertinere, sed pauperibus erogari debere. Dubitare posse num cantica ipsorum & praeces Deo sint acceptae. Confessionem auricularem se modo negligere. Satisfactionem erroribus plenam & blasphemiam meram esse. Ordinem monasticum, hominū esse inuētum, &c. Huiuscemodi multa seriatim perstrinxerant, quemadmodum haec ipsa Sleidanus operose satis, suo nimitum more, in detrimentū totius Ecclesiae Christi Catholicae exornat, uerbosiusq; enumerat. Nam sicubi articulum quantumlibet uulgarem & inualidum, qui in speciem duntaxat Ecclesiae uideatur aduersari, assequi potest, nec atramento neq; carthae parcit. Dum autem rei ueritatem omnino praeterire aut transilire nequit, quae ipsamet Ecclesiae commoditati deseruiat, eandem illam adeo frigide, breuiter insideliterq; narrat, ut diuinare facile sit quā parum sobrio laboret affectu contra sanctam & Catholicam Ecclesiam.

Sleydani erga Catholicā Ecclesiam fauor aut ualde exiguus aut nullus.

Interea Constantieñ. Episcopus Tygurensibus illis respondebat, & in quodam in eam rem conscripto libello tractabat potissimum, quae uidelicet olim simulachra & imagines extitissent, qualiter Gentes & Iudaei ea coluissent. Quur Ecclesia picturas & Imagines suscepisset, quoue tempore primum ipsarum usus ceperit. Quod discrimen seu quae diuersitas sit inter aliarum nationum & Iudaeorum simulachra & Christianorum imagines. Ex quibus effici atq; concludi demonstrabat, quod dum sacra scriptura simulachra & imagines auferendas praecipit, referri debere ad Iudaeorum & Gentilium tantum idola, & ob id imagines receptas, seruandas esse. Deinde uarijs pro missae sacrificio productis argumentis, sacrae scripturae, Sanctorumq; Conciliorum authoritatibus & testimonijs constabilitis, tandem asserendo testabatur missam siue altaris officium reconciliationem uel etiam propitiationem esse & sacrificium. Istud autem uolumen ad Magistratum praedictum misit, circiter calendas mensis Iunij, prolixe & serio eundem adhortans, ne uel imagines sacras e medio tollant, nec sacrosanctum Missae officium aboleant, neq; contrariam plebi doctrinam proponi sinant. Hoc ipsum post breue uolumen typis excudi fecit, & excusum Canonicis

nonicis Tigurensibus exhiberi, cum tali insinuatione: Tametsi nimirum is ipse ad Senatum solummodo scriptus ac æditus esset, uoluisset nihilominus (quum & in alijs locis multum negocij & discordiæ eapropter exoriretur) eadem opera cæteris quoq; bene recteq; consulere, idcirco, communem potius Ecclesiæ morem sequerentur, atq; adeo nullius persuasione diuersum admitterent.

At Senatus ille contempto eo libro & Episcopi consilio admonitioneq;, diuorum deturbat imagines & concremat. Sleidanus hic asserit Doctores ipsorum ex scriptis Episcopi sese muniisse, & ita obluctasse. Quod certe ueritati manifeste repugnat. Nam si Zuuinglianorum secta queat ex sacris literis probari atq; sanciri, nō modo Catholicos, uerumetiam Lutheranos cum sua Confessione Augustana errare oporteret, quoniam hi pariter omnes Zuuinglianos & Sacramentarios condemnant. *Sleydanus mentitur.*

Celebratis autem iam Nurenbergæ uidelicet Comitijs, Ratisponam uersus Ferdinandus Archidux, Cardinalis Campegius Legatus tunc Apostolicus, Archiepiscopus Saltzburgensis, Dux Bauarienses fratres, & qui ab Episcopis nempe Tridentino, Ratispone. Bambergeñ. Spireñ. Argentineñ. Augustano, Constantiensi, Basiliensi, Freyfingeñ. Passauieñ. & Brixeñ. illuc missi fuerant, properarunt, & sexto die Iulij conuenerunt omnes, huius rei nimirum gratia: Quoniamquidem Cæsarea Maiestas super Consilio Papæ Leonis Decimi & exequutione cum publico edicto Lutheri professionem tanquā impiam Vuormatiæ damnasset, & in utrisq; prioribus & deinceps sequentibus comitijs Nurenbergæ habitis definitum esset, quod huic unusquisq; ꝓ sua uirili pareret & satisfaceret, idcirco uellent, atq; mandarent, efflagitante Cardinale Campegio, (qui ad exequendum illud edictum plenariam uel potius integrā a Pontifice Maximo potestatem accepisset) quatenus huiusmodi interdicti uigore, & nouissima Nurenbergensis Dietæ determinatione in suis nationibus, & imperijs seruata, ipsum Euangelium & cæteræ scripturæ sacræ in Ecclesia prædicentur secundum interpretationem ueterum, qui ob probitatem & uitæ sanctimoniam celebres extitissent, suamque doctrinam cum insigni constantia martyrio quoq; fundassent & sanxissent. Eos autē qui hæreses iā olim execratas, uel aliud quipqiam quod uel Christo Domino, uel suæ immaculatæ Genitrici aliisue sanctis contumeliam irrogaret, aut deniq; huiusmodi quod occasionem aliquam tumultus præbere

H possent,

posset, docere præsumerent, iuxta tenorem huiusce mandati casti gandos esse. Nemo ad Concionãdi munus assumeretur, nisi prius a suo Episcopo testimonium & confirmationem haberet. Quin ne hos quidem qui iam sanæ & orthodoxæ fidei contraria prædicare cepissent, auscultandos, nec angulares conciones admittendas esse. Atque in Sacramentis aut deifico Missæ officio, seu alijs denique rebus omnino nihil uariandum immutandumque esse, at potius quæque iuxta pristinos ritus obseruari debere. Insuper si qui absque confessione peccatorum suorum & absolutione cœnam Dominicam communicarent, diebus uetitis carnibus aut cibis prohibitis uescerentur, hos plectendos esse. Præterea desertores monasteriorum sexus utriusque, seu qualescunque apostatas, Sacerdotes, Diacones & Hypodiacones, qui coniugalem copulam inijssent, pœnas daturos. Nihil etiam typis exprimi licere, sine superiorum consensu, præcipue nullum Lutheri aut sociorum eius opusculum iterum excudi aut uendi posse. Cuiuscunque nationis adolescentes Vuittembergæ studij gratia manerent, intra spacium trimestre post euulgationem Edicti, inde ad lares paternos secederent, aut alio se reciperent, ubi nullum adhuc locum Lutheranicum uirus obtinuisset. Qui uero secus attentaret, amicorum gratia, bonis siue patrimonijs siue alijs priuaretur. Et eum qui nihilominus adhuc in ea Vniuersitate operam literis dare decreuisset, nullo beneficio deinceps aut gymnasio præficiendum esse. Sed quum animaduerterent Lutheranicam Sectam ex improba & procaci Sacerdotum uita fere natam esse, hanc insuper constitutionem fecere: Cum primis, ut Sacerdotes moribus bonis se exornent, ueste honesta utantur. Et ut nullam exerceant mercaturam. Tabernas quoque uitent, & secularia negotia. Nec lucro propter Ecclesiastica ipsorum munia inhæreant. Qui inter hos scorta alerent, eadem procul a se dimittant. Certior autem factus Lutherus quod nimirum Imperator & potior Principum delectus, Edictum Vuormatiense sic perurgeret, scriptis acriter dehiscebat in Cæsarem & Principes illos, asserens plane ridiculum esse quod idem ille Cæsar (qui uix tantum uitæ residuum quantum fert oculi unius ictus sibi ualet asscribere) se fidei & Ecclesiæ defensorem nominet. Atque in hunc modum procaci maledicentia ferebatur in Cæsarem,

nec non

necnon plurimos quosq; cohortabatur, quatenus Deum exorent, ut tales superiores concedat, qui ipsius gloriam querant.

Eadem hac tempestate mandatum ædidit suis Antonius Lotharingiæ Dux. Nam quum Lutheri dogma a Romano Pontifice, Cæsare, & celebrioribus Academijs repudiaret, subditis omnibus præcepit, ne quis in concionibus illud sequatur, pari quoque modo his qui Lutheranicos penes se libros seruarent, mandauit, ut producant in publicum, rebelles deniq; supplicijs afficiendos.

Postremo hoc eodem anno, dabat ex Hispania ad omnes Imperij totius status literas mense Iulio die uidelicet xv. quibus duriter eos increpabat. Quum etenim aliquot annis in Comitijs Vuormatiensibus ex unanimi omnium ibidem Principum nutu atq; consilio uerbis serijs Lutheri doctrina tanquam hæretica & perniciosa fuisset reprobata, imo libri ipsius æquissimo iudicio a summo Pontifice reiecti & flammis deuoti fuissent, ob id nunc se uehementer demirari, anxium quoq; & perplexum esse, quod Mandatum Vuormatiæ confectum non satis ut decet fideliter & integre prosequerentur. Quia cum Ecclesiæ protector cõstitutus esset, hæreticam Lutheri doctrinam ferre æquo animo neutiquam decreuisset, cum ille uerborum imposturis in errorem populum pertrahat, ut uel hoc saltem modo nominis sui apud miseram plebeculam immortalitatem asserere queat. Nec imparibus conatibus Mahumetum olim usum fuisse, qui sua falsa doctrina orbi Christiano plus damni attulisset quam ulla uis aut durissima prælia mari terraue gerenda possent. Si quando uero huiusmodi error sub specie ueri hominum animis semel se ingereret, deinceps non facile ab hoc auocari posse. Attamen Deum se iugiter orare, quatenus Germaniam patienter respicere dignetur, & eo superstite a tanto hanc præseruare malo. Quocirca edictum Vuormatieñ. sub seueriori mulcta studerent submissis uotis prouehere.

Anno a partu uirgineo M.D.xxv. Cum Gallorum Rex magnum ingentem militum sibi conflasset, & arcem Mediolaneñ. obsidione graui uallasset, adeo ut omnes fere Cæsareani spem quã de Insubria conceperant, abijcerent. Et Gallus magno desiderio potiundi rebus per Insubriam flagrabat, denuo nouum conscribi ac instrui iubet exercitũ, sex millibus Heluetiorum, totidem Germanos

An. 1525. Refert quidẽ hęc Sleidanus, sed prout erga Cæsarem affectus erat.

manorum,Francorũ,denique paritercȝ Gallorum decem milibus adductis.Habebat præterea duo milia cataphractorum,& totidem milia Sagittariorum equitum, festinat citius in Italiam, nullum consilium admittebat,Dux ipse sui exercitus esse uolebat. Cumcȝ tam alacriter properaret,ad ipsum mater nuncium destinat,quatenus ad se ueniat colloquẽdi causa.Sed is nullo matrem colloquio dignari uoluit,qui eidem parere semper consueuerat. Transgrediebatur illico mõtes collesq;,sperans Insubriam acceleratione sua sibimet comparare posse, partis aduersæ hoc modo præsidia præoccupando.

Mansferus & Cario fidelius contra Sleidanum hæc de narrant.

Tantus timor Mediolanenses inuaserat, ut in fugam conuersi, urbem excurrerent. Cæterũ Dux Sfortia Papiam se una cum alĳs Cæsarianis continens,sine ui,aut conflictu ciuitatẽ hostibus dedidit. Quod Antesignani uidentes,nõ dubitabant quin ipsi primum ab aduersarĳs Gallis comprehendendi forent,ea propter quantum poterant commode fuga uitam consulebant.

Rex castra recta ad Pauiam applicuit, & suis e uestigio circumadiacentia loca occupare permisit. Interea uero quod Rex ciuitatem illam trimestri obsidione cinxisset, Georgius quidam Fronsbergẽ. Cæsaris præsidia firmabat, Germanico & Hispanico milite. Qui sæpius congressu militari Gallos oppugnabant fœliciter, intantum ut etiam certamen cum ipsis inire consentirent. Exercitum in duos cuneos equitum,& quatuor cuneos peditum distinguebant: Primus autem duo milia Germanorum & Hispanorũ complectebatur. Secundus solos Hispanos,tertius & quartus Germanos tantum continebat. At ipse Rex omnem suam aciem collocauerat intra phalanges Cæsaris & ciuitatem Pauinam. Hanc suam aciem undique a fronte & tergo splendide adornauerat & communierat. Aggere quoque & fossis profundissimis sinistram illius alam instruxerat,dextram uero muri Roborarĳ siue leporarĳ protegebant,arbitrabatur enim sic eo loci tutissimum fore ac integrum manere exercitum, præsertim ex quo in aula Roborarĳ,quod & mirabellum nominant (quo Duces quondam Mediolanẽ.secedere consueuerant uenandi causa) equitum peditumcȝ aliquot cohortes disposuerat. Dux exercitus Imperialis hoc durante silentio,seu prælĳ potius uacatione, muros sexaginta passus in longum demoliri fecit,ita tamen ut ne hostes quidem id perci-

pere

pere possent. Qui cum teriotrophæum intrasset, pedites quos in primo cornu sui exercitus habebat, aulam illam inuaserunt. Pars autem altera ad castra Regis accelerabat. Tunc buccinis ubique perstrepebant acies, & classicum canere in Francorum castris ceptum est. Et Rex quidē conabatur suis quos subornauerat in roborario suppetias ferre, & ab exercitu dissiliit. Tunc prima Hispanorum cohors sese erigens, intantum Francos sclopis opprimebāt seu coercebant, ut cedere sint coacti, donec Helueticus miles & equitum uis irrumperet, & Hispanos abigerent. Sed Germani qui a tergo ipsis aderant, arcuatam aciem facere, Heluetios prosternere, & in fugam conuertere festinabant. Et ecce Rex ipse prælio se commisit, stipatus mox undique plurimis equitibus cataphractis. Hic suos a fuga seruare uolens, tot uulneribus cui insidebat equus confossus est, ut ab eo Rex desiliens a militibus quinque Cæsarianis caperetur. Sub idem illud tempus, Ferdinandus Dauolos, Dux militiæ Cæsarianæ, assumptis secum prioribus militibus occupat equites illos quos Rex in arca roborarīj dimiserat. Insuper quoq; Antonius a Leua Patauiam egressus, eductis secum copijs Germanicis a tergo Gallos ferire & persequi, quousq; fugam circunquaque inirent. Ne unus quidem ex tam copioso exercitu resistere ualuit. In eo certamine corruerunt octo fere milia hominum, ex Francis, qui partim gladio cæsi, partim in flumine Ticino submersi inter fugiendum perierunt. Viginti quoq; ex primoribus Franciæ eodem prælio ciciderunt. Ex Cæsarianis autem uix septingenti desiderati sunt. Totus Cæsaris exercitus, præsertim Hispani, tantas manubias & diuitias ex spolijs & captiuis consecuti sunt, ut antea nunquam in Italia milites ditiores euaserint, præter id quod magnam laudē honoremq; adeptisint, & Insubriā assequuti. Victoria hæc memorabilis Cæsari cessit, Anno ab Incarnatiōe Domini M.D. die xxv. Februarīj, qui sacer erat D. Matthiæ, & natalitius Cæsaris. *Gallorū rex capitur.*

Capto iam Rege, Lanoius Dux exercitus Cæsarīj primarius, certiorem in Hispanījs agentem Cæsarem reddere uoluit de Victoria gloriose parta. Quod ut citius fieri posset, captum Regem hortatus est, ut ad matrem suam literas mittat pro liberiori uel securiori conductu legationis per Franciam emittendæ, & uicissim reuertenti. Annuit mater literis sui filīj, deditque literas per suum Vesedarium ad Cæsarem, rogans & cōmonefaciens, quatenus se nunc

clementem ostenderet, futurum quandoque asserens ut suæ Maiestati compensetur. Flagitabat insuper Rex, quo ad Hispanias potius quam Neapolim uersus aduehatur. Quod etiam contigit, sed ita ut inde cum triremibus xvij. in Hispanias traiectus sit.

Cæterum quum iam in negocio Regis consultaretur, quomodo liber ad Regnum suum redeat, petijt Imperator a Rege, quatenus omnibus renunciaret dominijs, quæ in Gallijs haberet, cederetq; iure quod in prouincias Germaniæ Inferioris & Burgundiæ Ducatum haberet, id est liberrima hæc ipsa dimitteret, & pace sua libertateq; gaudere. Tunc Legati nomine Regis significabant imperatum ipsis esse ne sic depaciscerentur, ut amplitudini regiæ aliquid derogetur. Atq; ita re infecta a se mutuo discesserunt. Rex ex tunc tanto mœrore confectus est, ut grauem inde conquireret sibi infirmitatem, & forsitan præ grandi mœstitia interijsset, nisi Cæsar ipsum consolatus fuisset ac spe bona præstandæ libertatis subleuasset. Rex igitur magno desiderio succensus fruendi libertate pristina, Imperatori promittit, quam primum regno suo restitutus esset, se mox Ducatu Burgundiæ cessurum, & totius dominij illius proceres eo se uelle quamprimum inflectere, ut huic suæ stipulationi consentiant. Hac promissione pmotus Cæsar, fœdus inijt cum Rege, tali ratione nimirum: Vt totam illi Galliam liberam remittat, ut Senatus Parisiensis quem Parlamentum uocant uulgares, omnifariam in Flandriam ualediceret, Cæsari eandem redderet, adhæc quum in Italiam sibi proficiscendum foret, ac Imperiali corona per Pontificem Max. insigniendus, Rex eo tempore sex milia peditum, equites mille, sexcentos cataphractarios, Sagittarios totidem anno dimidio suismet impēsis ipsius nomine instauraret. Ad istius uero pacti inuiolatam obseruationem, & firmius robur continendum, Rex filios quoq; suos seniores obsides daret, donec post suam dimissionem iuxta iuramētum obseruatu difficile, præstaret quod sancte promiserat. Quinetiam quatenus fœdus initum hisce legibus foret tum gratius, tum etiam perseuerantius Regi, Helionora Imperatoris Soror cōiunx daretur, quæ uidua erat. Promittebat insuper Cæsar si filium ex ea suscitare posset, Burgundiam reddere. Incredibilem quoq; attestante Carione & inexplicabilem humanitatem capto Regi exhibuit. At uero Sleidanus ille, ne quicq̄ Cæsari uirtutis ascriberet, hanc beneficentiam nō huma-

Sleydanus in Cæsarē male affectatus.

nitati

nitati ipsius Cæsaris attribuit, sed curiositati ac argutiæ suæ. Dotis nomine conferebat Cæsar sorori suæ Leonoræ, ab Emanuele Rege Lusitaniæ relictæ, centena bis milia Florenorum, & dominia quædam in Burgundia.

Seditionis Rusticanæ origo.

Per idem tempus in Sueuia tumultus & mox circumquaq; per Germaniam ingens exortus est inter Rusticos. Cum enim Lutherus ipsos Principes (ut ante memoratū est) sic subsannasset, oculisque omnium ludibrio exposuisset, non deerat passim Monachorum apostatantium turba, qui nouū ab Luthero uersum testamentum tractabant, & Apostoli ad Romanos xiij. dictum, quod huiusmodi est, Nemini quicq̄ debeatis &c. Falso, truncatimq; populo interpretabantur. Quod plurimū arridebat rusticis illis, & sicubi ad cauponas seu etiam ad aliam quamlibet domum diuerterent, unusquisq; eorum dictum illud Pauli, uidelicet. Nemini quicq̄ debeatis &c. in medium adducere & iactare nouerat. Quod uero apostolicam hanc sententiā uel præcedit, uel mox deinceps sequitur, perfidi illi concionatores populo non indicarant nec exposuerant.

Sleidanus hæc omnia dissimulat & præterit.

Inter hos aūt quidam Thomas Muntzerus primas tenebat, qui se potiorem Luthero, nec minus doctum atq; ille esset reputans, ab eodem desciuit, scribendo docendoq; uel concionando eiusdem illius institutum reprehendebat. Tunc Lutherus arrepto mox calamo, literas ad Principes Saxoniæ legat, obsecrans, quatenus huiusmodi Alstadio pellerent. Coactus igitur Thomas ille ciuitatem hanc deserere, profugus uenit in Mulhusen, ubi ciuium animos eo peruertit, ut totum penitus diuinum siue Ecclesiasticum officium abrogarent, Sacerdotes & Monasticæ disciplinæ ꝓfessores profligarent, Templa & cœnobia spoliarent, Imagines sacras & Baptisteria uiolarent & deuastarent, Sacramēta reijcerent, atq; polluerent. Docebat ꝑterea rerū omnium cōmunitatem suscipiendam, æqualē omibus & potestatē & libertatē attribuendam esse. Hinc factum, ut plurimi mechanicam artem & quotidianos labores exercere detrectarent, & quoties horum aliquis penuria deficeret, huic diuites ꝓdare siue per fas siue nefas licebat. Interim persuasi a concionatoribus suis & alijs huiusce farinæ homuncionibus rustici, Apostolū uidelicet cōtestari, q̄d Nemini quicq̄ debeant &c. passim ubiq; in Sueuia, Franconia, locisq; Rheno adiacentibus, Saxonia & Hassia, conuenticula sua habuerē, & in euangelicam libertatē conspirantes, sermonē Pauli scilicet, Nemini quicq̄ debeatis, uindicare uoluerunt.

Hac igitur coniuratione iuncti inter se rustici, primum monasteria diripere, Ecclesiasticos deturbare, persequi, & quasi rabie barbarica exagitati in Sacerdotes aliquot atrocissime sæuiebât. Posthæc etiamnum in uiros nobiles, Satrapas & principes, imo Magistratū uniuersum grassari cœperant, eosque ad articulorum quorundam obseruationem cogebant. Quorum præcipui hi sunt: Quod ipsismet ministros Ecclesiæ decernere uel deputare uellent. Nullas deinceps uti consueuerant decimas dare deberent. Omnem proprietatem e medio ipsorum tollerent. Vnicuiq; uenationes, piscationes, & aucupia permitterent. Eodemq; modo tantum quisque lignorum & fasciculorum ex syluis afferre quantum opus esset, libere posset. Huius generis plures adhuc alios articulos agrestes illi Principibus & Magistratui proponebant. Sic præterea populares in ciuitatibus quibusdam imperialibus, turbas dabant, & magistratibus plurimos etiam intolerabiles, politiæ Christianæ, & communi omnium saluti perniciosissimos offerebant articulos, adeoque passim per oppida & agros grauis exoriebatur seditio, unde quæuis potestas Ecclesiastica & laica summis angustijs laborare cepit. Tum Lutherus librum deinceps composuit, in quo principibus toti denique potestati duriter comminabatur. Scribit gladium iugulo ipsorum impendere, etiamsi liberrima se sede potiri, nec ea detrudi posse confidant. Videbitis (ait Lutherus ad Principes) quod uestra nimis arrogans contumacia, ceruicem uobis cōfringet. Rusticorum articuli tam sunt æqui, ut uos Principes coram Deo & mundo confundant, & istud Psalmi, Effudit abominationem super Principes &c. in uos quadrare probabunt.

Sleydanus hæc operose & callide exornat.

Lutherus ad seditionem rusticos cōcitat.

Vos estis authores diuini furoris, qui haud dubie & in uosipsos redundabit. Vobis o boni Domini signa quæ in cœlo & prodigia quæ super terram apparent, manifestantur, at nihil boni portendunt, sicut nec uobis uicissim fauste quippiam eueniet. Compertum autem habetote uos optimi Domini, talia Deum in uobis permittere, ut subditi nec possint, nec uelint uestram diutius ferre ac perpeti tyrannidem. Et si homines isti agricolæ hæc minime in uos committant, alios committere necesse fuerit. Quod si uero illos omnes insimul interemeritis, non tamen interempti prorsus erunt: DEVS enim alios suscitabit rusticos. Quia uos plagis afficere decreuit, quod etiam facturus est.

Vos

Vos o boni Domini non sunt ipsi rustici qui uobis resistunt, Deus ipse est, qui uobis aduersatur.

Attestatus est insuper Lutherus in opusculo de Captiuitate Babylonica, & in aliis quam plurimis tum libellis tum concionibus ad plebē habitis, docuit, quod uidelicet nullo prorsus iure homini Christiano liceat statutum aliquod siue humanum, siue angelicū imponere, quoniam Christiani a quibusuis cōstitutionibus essent liberrimi. Adhæc Euangelium ait, ui quadam atq; discordia restaurari oportet, quum Christus ipse dicat: Non ueni pacem mittere, sed gladium. Quinetiam nihil spei reliquum esse quo illud ipsum mediocri tranquillitate & pace, sed cum summa seditione fiat. Denique post ubi uideritis ait, Principes & potentiores, uobis resistere, certissimum illud indicium esto, quod ex Deo uestrum processerit institutum, eundemq; pariter uobis esse quam addictissimum.

Huiuscemodi scriptis & concionibus insueuit populus irritari passim aduersus superiores suos. Volebant euangelicæ huic doctrinæ & diuinæ uoluntati (quemadmodum edocti fuerant leuiusq; crediderant) satisfacere. Igitur ii qui sic persuasi fuerant cœnobia demoliri, arces etiam principum nobiliumq; inuadere, spoliare, integra dolia exhaurire, & eos qui opulentiores uiderentur priuare; uiolenta manu inuadere rapere, consumereq; tentabant. Et quo diutius eo magis proteruia superbiaq; sua in omnē licentiam præcipites ferebātur, nullum conciliandæ paci remedium admittebāt, qualecunque id esset quod Principes impartire libenter studebant, respuebant, quinet quo plus deprecarentur, & indulgentius eos principes habere & moderatius tractare uellent, eo deteriores fiebant.

Principio autem ipsi Campidunen. Rustici, in die Sancto Circumcisionis conuenerunt. Et breui posthæc Algoienses aduersus hæreditarium Principem ac Dominum suum Episcopum Augustanum insurrexere turmatim, qui nec ipsemet quidem eorum furorem comprimere potuit.

Adeoq; plebs undiq; tam importune & ualide irruebat, ut magistratus licet non impauide, quinet in uite ad resistendum se dederet. In primis autem fœdus Sueuicum quarto die Aprilis iuxta oppidum Lypen. ad Danubium situm, fere tria milia rusticorum strauit, & nonnullos ipsorum Lutheranicos seditiososq; concionatores decollauit.

Dehinc

Dehinc duodecimo Aprilis die fœderis illius socij, tumultuantem in Vualting, rusticorum turbam comprehenderunt, trucidatique sunt ex illis mille & quingenti, cæteris aut ueniæ aut alij supplicij generi seruatis. Sed & die xxiij. mensis eiusdem, quinque milia rusticorum in Misnia superiori succreuerant, quorum pars a Duce Bauariæ Vuilhelmo dispersa fuit, reliqua ab eodem uel obtruncata uel capta. Eodem quoque mense, die uidelicet 24. quum in Riesgauia, prope Aras flauias undecim milia Rusticorū inter se coniurassent, cæsa sunt ex his duo milia, & quingenti, plurimi correpti, plurimi etiam iugulati, quidam denique in uno pago flammis ad cineres redacti.

Decimo die Maij Palatini duo iuniores, quadringentos & triginta sex colonos in seditione peremerunt, non procul ab Elbang, multis in captiuitatem abductis, uiginti quoque & tribus gladio cæsis.

Ad hæc die duodecimo Maij, in ditione Vuirtenbergeñ. sex milia, quadringenti & sexaginta quinque rustici interfecti sunt, uincti non pauci, & uiginti tres decollati.

Die uero decimo nono mensis eiusdē, confœderatio Vuinspergeñ. cum pagis quinque exarsit, inque conflictu illo agricolæ fere quadringenti ceciderunt.

Posthæc die nimirum uicesimo tertio Maij, Ludouicus Palatinus Elector, cum Archiepiscopo Treuireñ. alijsque principibus Heidelbergam profectus est, assumptis secum equitibus mille peditumque milibus duobus, loca pagosque suos recuperat, rusticos illic in seditionem uersos uiginti octo capite plectit, reliquis inter spem & metum constitutis, quos etiam pro securitate reddenda pecunia mulctat.

Octauo calendas Maij Bruxella Brureiniæ metropolis, dedidit se arbritrio sui Principis, & ex præcipuis factionis authoribus nouem capitis pœnas sumpserunt.

Deditio duarum ciuitatū, & coniuratorū supplicia. Die dein uicesimo octauo Niceris Vlma in gratiam & iram recepta est, fores inibi effractæ, & muri diruti, nouem quoque seditiosi capitali supplicio affecti sunt, inter quos duo Lutheranicæ factionis sacerdotes fuere, & unus uotifragus Monachus.

Facinus Egregium D. Diepolt. Eodem illo tempore Dominus Diepolt Petreus siue a Lapide cognominatus, fere mille & quingentos rusticos strauit, qui quidē Augustanum Præsulem Dñm Conradum a Kiethaim, & cōplures

alios

alios uiros tum Ecclesiasticos tum laicos nobiles maximis & infinitis incommodis affecerant, suffocarant, & pagos aliquot incendio conflagrarant.

Dux uero Lotharingorum Anthonius, ad locum quendã Lupstenum dictũ, sub uesperam quatuor prope milia rusticorũ fudit, qui mane profectus inde ad locum a Tabernis denominatũ, plusq̃ sex milia rusticorum strauit. Quo etiamnum die uersus Tagsteyn properans, peruenit usq; Tambacũ, ubi instructo mox exercitu, nouemdecim milia colonorum adortus inter Tambacum & Strouuileram comprehendit, cecideruntque in hac strage octo fere milia. Nec mora posthæc ad Sletstadium & Ortenbergum contendit, per campos passim & montes rusticam gentem insequitur, atq; prosternit, ita ut occisorum illic summa numerum excederet uiginti sex milium. Plures deniq; trecentis, quos fugientes aut certe inermes & uulneratos fessósq; ceperat, obtruncauit.

Anthonij Ducis Lotharingiæ in rebellantes rusticos expeditio.

In Turingia quoq; perturbationem non modicam rustici rebus afferebant, ex quibus circa Fuldam a Philippo Hassiæ Lantgrauio circiter centum & mille iugulati sunt. Cumq; captum iam oppidum deditionem fecisset, aliquot milia rusticorum Lantgrauius in mœnijs inædiaque diebus aliquot ibidem afflixit. Qui secedens inde recta petit Francusum, ubi Saxoniæ Principes Ducemque Braunsuicensem Erichum præsentes, identidem ad sedandam & coercendam rusticorum uim & pertinacem temeritatem, conuenit. Qui coniunctis simul uiribus circiter sex milia rusticanæ multitudinis trucidarunt, multos corripuerunt, quosdam capite multarũt. Hinc Isennacum diuertentes, Lutheranicos & scismaticos concionatores capitali supplicio affecere. Sicque ab omni parte infœlices illi & seducti rustici suffocati sunt, miserrimeque periere.

Inter hæc animaduertens Lutherus secus atq; sperabat euenisse, eosq; Principes & Senatores quos antea tam impense incesserat, triumphasse, negocium aliter, & uicissim econtrario conficit, ita ut quemadmodum prius incautos rusticos aduersus principes inflammauerat, sic eosdem ipsos contra illos accendit, nimirũ sic studuit accõmodare se cœnæ, semperq; uelũ obtendere uento. Quamobrem libellũ edit, cui titulus hic erat: Cõtra latrocinantes, tumultuãtes & homicidales rusticos, q sub p̃textu sancti euangelij fallaciter cõtra oẽs superiores resistũt & insurgũt. In hoc aũt libello p̃ter alia nõnulla sic scribit: Debet igit̃ hic pcutere, occidere, pfodere, seu clam seu palam

palam quiſquis poteſt,& cogitare,nihil eſſe uenenoſius, nocẽtius,
Oratio Lutheri ſanguinaria. magiſue Diabolicum homine ſeditioſo, qui perinde atq; rabidus
canis interficiendus eſt. Arbitror ait, Diabolos omnes infernum
deſeruiſſe,ac iſtos adeo ruſticos inuaſiſſe. Iam nunc ſecula huiuſ-
modi ſunt,ut principes ipſi cœlum promereri rectius queant ſan-
guinem effundendo,quam alij quibus poſſent orando. Quoniã ho-
mines iſti ruſtici mortem corporis & animæ pariter commerue-
runt,cũ diuino tum Cæſareo anathemati deuoti. Qui primus hic
ꝓfocat, iuſte recteq; facit, nam unicuique ſæditioſum iudicare &
mulctare fas eſt, haud ſecus atq; is demum optimus cenſetur qui
primus omnium obortum potuit incendium reſtinguere. Idcirco
magiſtratus hinc ſolatio quodã animatus atq; cordatior effectus,
deberet abſq; omni metu opinione uel hæſitatione,feriendo inten
Superius docuit Lutherus eũ qui Baptizatus eſſet nõ poſſe dãnari. tus eſſe, dum uena queat haberi. Ruſtici nempe male ſibi cõſcij, ini
quam itidem cauſam fouerent, ita ut ſi quiſpiam ipſorum in hac
uidelicet cauſa uel propoſito mordicus perſeuerans neci detur,cũ
addici continuo Diabolo,corpore ſimul & animo perditum iri.

Igitur Luthero inconſtanter adeo & crudeliter aduerſus de-
ploratos illos maloq; genio miſere ſubuerſos ruſticos dictitante,
fuere nonnulli uiri Catholici & docti,qui ſcriptis editiſq; libellis
probabant,quod ille potius occaſionem ſuggeſſiſſet omnis iſtius
ſeditionis,& cladis satis cruentæ,quando nimirum cum tanto ſto-
macho tantiſq; conuicijs in Principes inueheretur,& gladium iam
capiti ipſorum impendere,Deum ipſum abominationem ſuam ſu
per Principes effudiſſe, diceret fœliciterq; nihil ipſis ceſſurum. Ni
faciant ruſtici,alios futuros qui idipſum efficiãt. Qui ſi penitus ab-
oleantur,& trucidentur, non tamen aboleri & trucidari,Non ruſti
cos eſſe qui reſiſtant illis,ſed Deum uerius hoc operari. Hominem
Chriſtianum modo credat non poſſe damnari. Euangelium manu
uiolenta recuperandum,& alia his nõ admodum diſſimilia. Poſt
ubi uero ſua ſe ſpe deluſum eſſe comperiſſet, & infortunatos illos
ruſticos ſubiugatos atq; peſſundatos, Dominos autem adhuc do-
minari,aliud Euangelium prorſus contrarium e ſinu mox protu-
lit in medium,quod ſonabat & prædicabat , ne dicam rectius de-
tonabat,Percutite,occidite,confodite,regnum cœlorum homici-
dijs & ſanguinis humani effuſione,emerendum ecce uenit,Ruſti-
cos Diabolo obnoxios corpore ipſoquemet animo manere. Cæ-
terum eandem hanc contrariam & ſecum repugnantẽ Lutheri do-
ctrinam

ctrinam præter alios uiros eruditione præstantes, Ioannes Cochlæus Theologiæ professor insignis, uiuēti Luthero ingenue opposuit. Confutationem inde typis mandans, quam certe Lutherus nō potuit infringere, quia ad lucem omnibus priora sua placita exhibuerat: quantumuis Sleidanus conniueat studeatq; magis stragem illam, si non innocentem at sane dolendam, cæteris quibusdam im putare. Neq; uero inficias imus, quin & Thomas Muntzerus uel monetarius ille falsæ monetæ, falsæ dico doctrinæ, culpandus sit; uiamq; Luthero strauerit, quum prius in fauorem Lutheri contra Pontificem scripsit, & dein contra ipsum met Lutherum, & quidē acrius. Summum nempe Pontificem cauillabatur, quasi is hominū cōscientias nimijs angustijs conclusas teneret. At de Luthero queritur, quod uidelicet iter salutis nimium extendisset uel etiam dilatasset, Christo nihilominus in Euangelio docente, iter illud seu uiam quæ ducit ad uitam, arctam esse, & portam angustam. Ob id aiebat Muntzerus, nihil quod diuinum spiritum saperet Lutherū docere. Fatebatur adhæc idem ille Muntzerus, quod fides illa nuda (quam S. Iacobus mortuam appellat & ociosam) ad salutem minime sufficiat, cauendum esse publicum scandalum, corpus castigandum & subijciendum, hoc est, habenas uoluptatum carnalium ieiunijs potissime constringendas ac refrenandas esse, non exquisita, sed familiaria & humiliora induenda uestimenta, aliaq; nonnulla fidei Christianæ sic satis consentanea, licet etiam una cum hisce articulis quosdam alios plane erroneos, & impios (uti Sleidanus demonstrat, sed parum fideliter) assereret. Neq; parum demirandū uenit, quod Sleidanus ille tam magnos & superuacaneos nauarit impenderitq; labores, quatenus Lutherum a suspicione seu etiam culpa editæ necis & cruentæ illius cladis liberet, quum alioqui manifestissimum sit, eum authorem & caput fuisse datæ calamitatis atq; sæuitiæ. Luctatur hic Sleidanus, & satis operose se torquet atq; uolutat modo huc, modo illuc. Cuperet equidem causam perquā libenter palliare, Lutherum purgando, sed Thomam Muntzerum accusando. At enim iam liquidum est, quod Thomas iste in Turingia duntaxat sæditionem excitarit, & haud sane diu existimationem sui nominis apud Vulgum obtinuerit, uerum Lutherum ipsum totam Germaniam in maximum perduxisse periculum, & plus mille incommoda, tumultus, atq; sectas inuexisse, non solum inter populares illos rusticos, insuper etiam magistratus & regni

Sleidanus in Euangelio Lutheri omnino sanguinario conniuet.

Sleidanus Thomæ Muntzero iniquior, Lutheri ubiq; defensor.

proceres ad exitiosam rebellionem, & detestandas turbas concitauerit. Muntzerus non tam callide & astute momum, quod aiunt uulgariter, sub auribus obseruauit sicuti Lutherus, ille quasi stolidus & amens scripsit quod risu potius quam ulla æstimatione dignum uideretur, unde perpauci sua doctrina potuere offendi, nisi Lutherus tumultuarijs furentibusq; scriptis uiam præparasset. Deniq; Muntzerus pœnas suo scelere dignas accepit, simulac palinodiã ingenue pniciosæ suæ doctrinæ cecinit. Quemadmodũ & istud Sleidanus (uerum sophistice & obscure satis, truncatim & parum candide) fatetur. Nam expugnato Francusio, hic Muntzerus in domo quadam se abdiderat. Quam ingressus heros quidam seruos dimittit domum illam scrutari, hi ergo in perlustranda domo diligentiores Muntzerum lecto decumbentem repperiunt, ad quem Heros: Hem tu quis es? Respondit Muntzerus: Febricitans ego sum. Vnus interim seruorum peram repositam uidens, subripit, confidens se in ea consecuturum arram, Itaque aperit ac literas inuenit, quæ manifeste indicabant, quod is Thomas Muntzerus esset. Qui confestim negabat. Instat seruus, apprehendit & comminatur. Tunc ille supplex ueniam obtestatur, se hunc esse Muntzerum agnoscit. Atque in hunc modum uinctus ad Saxoniæ Ducem Georgium, & Hassiæ Lantgrauium perducitur. Porro quum animaduerteret captus Muntzerus, se mortis supplicium euadere non posse, palam agnoscit, quod inique egisset, recantationem errorum ponit, peccata sua secundum ritum Catholicæ Ecclesiæ confitetur, Sacram eucharistiam, sub una tantum specie communicat, seseque tondendo pectus ultro (ut creditur) morti quam commeruerat, obtulit.

Huic inquam homini deplorato, Sleidanus (ut supra meminimus) internitionem hanc sanguinolentam molitur uiribus omnibus imputare, ac summopere studet, reclamante nihilominus propria ipsius conscientia, Lutherum cuiuis probare, tametsi nullo uitæ suæ tempore Lutherus quiuerit, adeo terse manibus suis excutere hanc stragem, quin culpa tanti sanguinis in ipsum quoque redundaret. Equidem & is stupuit negocium uerborum fucis in suũ commodũ exornare, sed nõ tãto acumine quãto ptector suus Sleidanus est usus. Hic em̃ cladem transferre nititur in hominem delirum,

Sleidanus denotissime Luthero patrocinatur.

delirum, at Lutherus ipse conatus est fato astrologico seu cœlesti influxui hanc asscribere. Quemadmodũ hoc ipsum Reuerendiss. D. Ioannes Faber, Præsul Viennẽn. in libro anno M. D. xxvij. ab ipso ædito, testatur, satisq; luculenter demonstrat, quod nimirum nequaquam uel cœlestis influxus, seu etiam Thomas Muncerus incensor miserandæ illius seditionis atque exitij fuerit, quin potius Lutherus ipse, quod pspicue uidere inibi licet, capite xviij. xxviij. xxx. xxxiij. Cæterum Lutherus huiusmodi scripta cum alijs quã plurimis nunquam defendere ualuit, & interim Sleidanum haud puduit nec tæduit inutili se labore propterea fatigare, nullis nõ artibus & strophis adductis, ita sane ut si libri uiuente Luthero excusi non extarent, & præ manibus essent, ut aiunt, Sleidani scripta ueritatis esse testimonia plurimi arbitrari possent. Libri huius titulus est, Rationabiles causæ &c. editi anno 1527.

Hoc tristi & dolendo seculo qñ tot monasteria & arces demolitæ & depopulatæ, tot interfecti coloni, & ut uerbis utar Lutheri, corpore & aĩo Satanæ mancipati, tot deniq; uiduæ & orphani passim in Germania omĩ solatio destituti, in summis angustijs degerent, calamitate atque penuria maximopere præmerentur, hoc inq̃ afflicto & luctuoso seculo, lasciuire magis cepit Lutherus, sponsalia celebrans, quasi patrio damno ne dum indoleret, sed exultaret, quasi Principis sui Ducis Saxoniæ Friderici nuperrime defuncti, mors sibi grata fuisset. Hic igitur ordinis sacerdotalis ac suæ professionis oblitus, in qua castitatem nunquam uiolandam Deo uouerat, atq; iurarat, fœminam sacro uelamine consecratam, quæ itidem uoto continentiæ sese obstrinxerat, connubio sibi iungit, cuculla monastica (qua iamdudum honeste satis conuestitus, in eadem etiam Magisterij theologici Lauream adeptus fuerat) deposita, profanisque uestibus, ut alius quidam e laicis, deinceps uti cœpit, solum ut uotifragæ suæ coniugi perplacere posset. Atque hunc in modum operæpretium uidebatur quo impium istud & execrabile coniugium prætextum Sacramenti Matrimonij sortiretur.

Posteaquam autem hæ temeratæ & sordidæ nuptiæ quibusuis innotuere, plurimi admirari, præsertim Catholici, pñ atque docti uiri. Qui sceleris infamia permoti, scriptis facinus infandum acriter reprehendunt; & quidem iuste, eo quod inde certiores essent, hunc lepidum sponsum prorsus depuduisse honorem, iusiurandum suum atque professionem neglexisse, ac ita libidinem suam

& carnales illecebras adumbrare uelle sub specie legitimi coniugij. Inter eos extitit inuictus confessor & ueritatis ingenuus testis Ioannes Roffensis Episcopus Anglicanæ Ecclesiæ, tum etiam Iudocus Clichtoueus, Doctor Parisinus. Hi igitur multis æditis uoluminibus, erroneam atque hæreticam Lutheri doctrinam tam manifeste confutabant, ut ipse nihil penitus habens solidi aut ueri quod retorqueret in suos reprehensores, coactus sit eisdem herbam, ut habet adagium, porrigere, & conniuere potius, quasi nullum istorum uoluminum uidisset, aut accepisset. Quinetiam nemo adhuc repertus est inter asseclas Martini, qui eorum scripta refutare tentaret, tanquam inuiolabilia, ut uere sunt.

Adhæc Sanctus Martyr Thomas Morus, institutum Heresiarchæ huius dissimulare diu nequiuit, quin & ipse scriptis eum increparet. quo etiam zelo excitatus ac præditus est egregie doctus Andreas Gitius, Præsul, natione Polonus, cũ alijs compluribus, quorum monimenta satis multa etiamnum extant, a Luthero suisque sectatoribus ne semel unquam tentata. Nam quicquid Latine aduersus eum scribebatur. flocci pendebat, quum id populus cuius fauoribus nitebatur, non intelligeret, adeoque nihil interim suæ authoritati ac famæ apud Populares decederet, quæ quidem unice semper fouere studuit siue per fas, siue nefas.

Ad gloriam scilicet incestuosi huius coniugij, ad Senatum Regium in Bohemia scribit Doctor Ioannes Faber, cap. xviij. sui libri in hæc uerba: Attendite qualiter iste sponsus (ex quo tam sanguinolentam choream & amplius per q̃ centum milia hoĩm, prostrata sunt, & periere, instituerit celebrarit que) tripudio & epithalamio iam gestiat exiliatque in suis hisce nuptijs, quod sane perinde facit, ut filia Herodiadis quondam cruentum D. Ioannis Baptistæ caput in disco ferens?

Causæ Rationabiles.

Interim Lutherus hæc audiens, non audit, iuxta prouerbium, nam quod parum placebat dissimulare callide libuit, nihil ad hæc omnia respondit, sed uolumen idiomate Germanico in uituperiũ sacrificij missæ confectum protulit, in cuius prohœmio quæritur, quod Papistæ (sic enim Catholicos nominat) imponerent seu obijcerent illi, quod is ipse dissidium & intestina bella excitasset, cæterum non nisi falso, quod sane mirum aut alienum uideri non debeat, quoniam illi Deo quoq; mentirentur, eundemq; maledictis seu

ſeu blaſphemiis ſingulis horis atq; momentis in miniſterio miſſæ onerarent, quam idolomaniam & annihilationem ſanguinis Chriſti ibidem appellitat.

Huiuſcemodi impiis plane & Chriſtianis auribus formidabilibus dictis Lutherus ſeſe purgare apud plebem moliebatur, omneſque miſſæ ſacroſanctæ abuſus palam ac libere taxat quos adinuenire quiuit. Porro D. Hieronymus Emſerus calamo uiciſſim ipſum & Zuinglium depugnat, quo quidem tanta cum induſtria & ingenii acrimonia, utriuſq; blaſphemiam deſcribit hæreſiarchæ, ſimulac miſſæ ſacrificium manifeſta ueritate ab iniuriis uindicat, ut in hunc uſque diem nemo hæreticorum firmum ac ſtabile quicquam quod opponeret, aſſequi potuerit. Licet enim blaſphemi quidam, ignominioſi & diabolici potius libelli de Miſſa condantur, typiſq; excudantur & circumferantur, in iis tamen nihil amplius inuenias quam conſcelerare, palam mentiri, blaſphemare, & huius generis furias atq; diras. Nec ſatis interim demirandum uenit, quod Chriſtianus aliquis magiſtratus huiuſcemodi libellos tam infames & diros circumferri patiatur, & circumforaneos iſtorum porticatores in uulgus graſſari dimittat.

Hoc inſuper anno quidam factionis Lutheranicæ aſſectatores ſeditionem in ciuitatibus Imperialibus ſuſcitare machinabantur, ſed non adeo temere & crudeliter, ut ante fecere ruſtici. Siquidem inſulſos quoſdam & confuſos articulos illi Magiſtratui obtrudere, quatenus uel ſic Euangelium Lutheri prorſus ſanguinarium commodius inuehere poſſent. Fuerunt q; Francofordiæ ad Mœnum ſiue Mogonum fluuium ſitæ, duo rerum nouarum ſtudioſiſſimi ſedentarii, quorum unus ſutrinam, alter ueſtiariam artem exercebat, ii ergo ut primum accepiſſent, quod in Archiepiſcopum Moguntinen. ruſtici ſuæ Diœceſeos inſurrexiſſent, congregatis ad ſe uniuerſis coniuratoribus, quos in ciuitate communes & ſocios nacti fuerant, intra ferias paſchæ acceptis armis, ad monaſterium Dominicanorum magno impetu accurrunt, irruunt, uinum imperioſe tantum ad bibendum exigunt. Inde concurſum eſt ad ædes duorum Decanorum ibidem commorantium, uidelicet D. Friderici Martorfii, & D. Ioannis Cochlæi. Hic enim Decanum agebat in Eccleſia S. Bartholomei, ille uero in Deiparæ Virginis templo. Sed eius quod imminebat peri-

ſeſſi

ſcij,extra oppidum iam ſeceſſerant. Quippe eos minime latebat quam infenſos haberent Lutheranos, ex quo iſtorum ſeditioſo propoſito ſemper reſtitiſſent,tum etiam quod ipſe Cochlæus in Lutherum calamū ſtrinxiſſet, & alter ille cōſentire nollet ut in æde ſacra S.Bartholomei,ſemina Lutheri ſpargerentur, aut impij illi & corrupti ſeu deprauati pſalmi dicerentur. Horum itaque domos ingreſſi,quum neutrum deprehenderent, culpam illic ac iram ſuâ roremque uino donarunt, atque remiſerunt. Poſthæc Senatum adorti, ipſum in anguſtijs conſtitutum obruunt & exauthorant, & delectis e plebe uiginti quatuor, penes hosipſos ſummam autoritatem ac totum ius manere decreuerunt,iura denique ac priuilegia Ciuitatis prius ab exauthoratis extorta delectis ſuis committunt. Qui confictis conſcriptisque articulis numero quadraginta ſeptem,eoſdem illos Clero & magiſtratui offerunt: terroribusque & comminationibus priorem magiſtratum eo adegere, ut etiam oblatis articulis conſentiret: At ubi nondum comparuiſſent illi Decani, ut propoſitis annuant articulis,& ad proximum menſem redeant, ad ipſos ſcribitur alioquin beneficijs uel emolumentis ſolitis priuandi forent, alijque qui perlubenter aſſentiant, hiſce potius donandi. Inter hos autem articulos præcipui ſunt iſti.

Aliquot Articuli Francofordiæ conſarcinati.

Vt Deinceps in arbitrio ſenatus & plebis eſſet, Paſtores atque miniſtros templorum decernere,qui ipſum Euangelium,& ſyncerum Dei uerbum,prætergreſſis humanis documentis & commentarijs prædicent.

Adhæc grauaminibus publicis uel ciuilibus oneribusque ferendis Eccleſiaſtici ciuibus pares haberentur:nimirum in peruigilio illi cum ipſis eſſent,paſtinarent atque repaſtinarent, cenſus atq; tributa redderent.

Item nemo poſthæc Monachus prædicaret, uel confeſſionem exciperet.

Præterea nulli ſiue Monachi,ſiue moniales in cœnobia, reciperentur,undecunq; etiam locorum huiuſmodi aduentare contingeret,ſaltem ut illic permaneant,ijs qui adhuc in cenobijs agerent liberam atq; ſecuram inde emigrandi poteſtatem fieri.

Inſuper omnes illos reditus ſiue cenſus nullo certo ſigillo,uel literis munitos,eſſe pro nihilo ducendos, eorumq; pariter poſſeſſionem fruſtrandam.

Poſtrea

Postremo donationes testamentarias seu etiam Eleemosyna=
rias in publicũ reponi debere ærarium, Anniuersaria, contubernia
uel sodalitates illas quas græci ἑταιρίας nuncupant, deniq; mortuo=
rum exequias abrogari oportere.

Plures quoq; huius generis leges atq; conditiones ut loquun=
tur, a Vuittenbergeñ. profluxæ, Moguntiam peruenere, studio & *Seditio cõtra clerum Moguntiæ suscitatur.*
uafricia quorundam factiosorum hominum, qui plebeios in clerũ
concitabant. Ac Die D. Marco sacro, post supplicationem cum lita=
nijs per urbem habitam, commotione facta, portas ciuitatis clau=
dunt, clero maximas intentant minas, tres sacerdotes sectarios ma
nu uiolenta secum e carceribus educunt. Cumq; toto iam triduo
in armis & sclopis insanijssent, portis ciuitatis adhuc clausis, omnẽ
animi libidinem & proteruiam explessent, plurimisq; minis clerũ
ibidem primarium anxissent, postulat inducias Dominus Lauren=
tius Truchsus, cleri sive capituli illius primarij Decanus, accipit; sed
iniquis & intolerandis legibus, tanquã medijs a gregarijs illis præ=
scriptis, idq; nomine suo & totius cleri. Sed primo tempore quo
rustici prælio cæsi sunt, induciales literæ dilaceratæ, articuli recanta=
ti sunt, exturbatis & perpetuo mulctatis exilio concitati tumultus
illius authoribus.

Paulo post in ferijs Pentecostes similem fere commotionem
inter ciues aliquot Agrippineñ. pleriq; Lutherizantes, ut ita dicã *Conspiratio aliquot ciuiũ Coloniensiũ.*
uel potius Lutheranici dogmatis asseclæ, moliebantur, hi igitur ar=
mati peruigilia noctu diuque in curijs suis contubernalibus spacio
trium septimanarum habebant. Sed tandem Senatus prudentia fa
ctum est ut omnis controuersiæ ratio sedata & modeste consopita
sit, missis ab eodẽ Senatui Viris exercitatissimis, tum huic tum etiã
populo gratis, ad coniurantes tribules, qui ad concordiam ipsos re=
uocarent, & pacem tranquillitatemq; solitam persuaderent, atque
ita popularis quisq; tædio mox teneri cœpit conuenticulorum. Et
Magistratus articulos aliquot, nõ tamẽ hæreticos, admisit, ac sena
sim domũ ad opificia muniaq; sua singuli rediere securi & indem=
nes. Transacto iam uno propemodum, anno tres seditionis illius
antesignani, palam una dierum capitis pœnam dedere. Cæteri ue=
ro qui Antuerpiam perfugerant, eodem supplicio sunt affecti. Sic=
que pax & concordia recuperata inter ciues illic fuit, cum turbarũ
& commotionum incensores dignas dedere pœnas.

Sleydanus Remp. agrippinen. tradu-cit mēdaciter.

Refert Sleidanus ciues inijsse consilium quo Clerum & Magistratum suffocare possent, &c. Quod sane falsum est. Nam non pauci supersunt adhuc egregij ciues, qui tunc in ædibus Curialibus conuenerant, qui nequaquam hoc ipsum illi concedent. Mirum profecto, quod hic homo tam impudenter ausus sit Rempublicam adeo honestam traducere & obscurare, præsertim quum aliqui euentus rei manifestissimus sit, & non ita pridem acciderit.

Indubitatissimum autem est, quod nullus ciuium (aliquot exceptis, nimirum æditæ factionis authoribus, quales non fuere supra decem uel duodecim) ne semiobolum quidem eripere siue clero siue magistratui decreuerit; nihilo tamen secius tam indecore Sleidanus agit & scribit hic eosdem illos Clerum atque Senatum strangulare uoluisse.

Contentio nouorum dogmatum in Ecclesia noua.

Per id temporis belligeratum est inter Lutherum & Zuinglium de doctrina, & alter ad persus alterum scriptis contendere cepit; Saxones quidem Luthero adhærebant, pars uero Heluetica Zuinglio magis auscultabat. Tam repente, recens illa Ecclesia discordijs & schismatibus patere, & fluctuari cœpit, dum capita laborant. Prisca uero eademque Catholica, ab annis M.D.Lix. in hodiernum usque diem unanimis & concors in fidei atque doctrinæ constantia integre permanet atque consistit.

Sleidanus. Literæ Summi Pontificis ad Senatum Parisiensem.

Hoc idem anno, die xx. mensis Maij, ad Senatum Parisieñ. seu ut uocant Parlamentum, literas mittebat Clemens Pontifex Romanus, quibus significaretur intellexisse se, quod & per Franciam sectæ quædam turbulentæ seuiant; & ob id omni conamine, quo ij qui authenticæ & orthodoxæ fidei ibidem repugnare conuincerentur, pœnas luant. Quin etiam merito quisque in tam grandi commotione (quam diabolus cum impia sua colluuie suscitasset) incumbat, quatenus communis omnium salus salua permanere posset. Ideoque aduigilent & diligenter obseruent, ne Dei gloria seu etiam totius Regni prosperitas hæreticorum ueneno & impia doctrina labefactetur, &c. Porro hæ literæ Romæ conscriptæ xx. Die Maij, redditæ sunt senatui die xvij. Iunij.

Sleidanus. Albertus Marchio Brandeburgensis in hæresin collapsus, ducit Vxorem.

Eodem quoque anno Albertus Marchio Brandeburgeñ. qui trigesimus iiij. in ordine Magistrorum Teuthonicorum extitit in Prussia, euangelij Lutheranici doctrinam amplexus est, ordinique renuncians,

deinceps

deinceps non se Magistrum uel præfectum ordinis Teuthonici compellari patitur, quin potius Dux Prussiæ salutari uoluit, delecta sibi in uxorem Dorothea Regis Daniæ filia. Ac propterea quidem uniuersos ordinis illius proceres aduersum se concitauit, aliumq; in suoipsius gradu collocauit, Vualterum uidelicet Cronbergium, ut is altero repudiato, titulum & statum Magistri primarij inter illos referret. Quemadmodum infra narrabitur.

Vualterus Cronbergius ordinis Theutonici Summas.

ANno datæ salutis M. D. xxvi. tempore autumnali, feruida tempestas turrim quandam Basileæ corripit, quæ capiebat uasa decem pulueris tormentarij. Atq; ita magno fragore in partes illa dissiliens, conuicaneos grauiter afflixit. Nam homines quoq; fere duodecim aut quatuordecim & pecudes aliquot oppressæ perierunt.

An. 1526.

Hoc eodem anno in Apulia passim fruges omnes bis a uermibus siue erucis depastæ consumptæq; sunt.

Interea temporis Viennæ austriæ domus octingentæ una cum cœnobio D. Dorotheæ conflagrata sunt.

Sub idem tempus die uicesimo octauo Augusti, prope Salinum, Vulgo Budam, graue prælium contra Turcos Ludouicus Hungariæ Rex commisit, sed prohdolor ipsi Turcæ uictoria tandem potiti sunt. Nam idem ille Rex completa iam strage, mortuus in loco palustri atq; limoso reperitur, quasi simul cum equo fuisset in fuga illic cōfixus, sicq; in armorum angustijs suffocatus. Arreptum inde cadauer & uehiculo impositum, Albanum deducitur, ubi magno cum luctu nobilium & popularium, honorifico inhumatum est sepulchro. Posthæc die octauo ciuitatem Budam expugnat Turca & exurit, omnemque plebem inibi crudeliter miserandisque modis dilaniat & mactat. Expugnata iam iamq; ciuitate Iudæorum uicum mœnibus suis munitum, uiolenter adoritur, turrimq; globis tormentarijs concutere, inuadere, irruere trucidareque festinat, ita ut ex quatuor milibus Iudæorum, uiginti tantū euaderent. Indeq; recedens huc atque illuc grassatur immaniter, nemine resistente, quia plurima Principum pars in prælio cum Rege suo corruerat. Mulieres quascunque consequi poterant, siue uirgines siue matronas iuniores iugulabant, posteaquam ijs ad libidinem satis essent abusi, & constuprationibus ad necem usque fatigassent.

Ludouici Regis Hungariæ miseranda clades.

Quin-

Quinquetemplani claues Tyranno comportant, eique obuiam duobus miliaribus pergunt, obnixis ardentissimisq; precibus rogantes, quatenus eos clementer suscipere & gratiose tractare uelit. Dat fidem illis, & quum ciuitatem pacifice biduo obtinuisset, omnẽ ad se populum in foro cõuocari iubet, indicans rem sibi cum ipsis tractandam esse. Dum autem uniuersi tanquam edicto suo obsecundantes comparuissent, mox Satrapa qui & Vuascha nominatur, singulos perimi, & membratim dilacerari præcepit.

Ferdinandus Archidux Austriæ defuncto Regi in Hungariæ regno succedit.

Hoc eodem anno Ferdinandus Pannoniæ superioris, uel potius Austriæ Archidux, qui Ludouici Regis defuncti sororem Annam in uxorem duxerat, Hungariæ & Bohemiæ regnis inauguratur.

Ex actis Lutheri, Pannurgia ipsius ponitur.

Inter hæc cernens ipse Lutherus quod iteratis factionibus seu etiam contumeliosis libellis principum quorundam animos in suã sententiam pertrahere non posset, neue doctrinæ suæ semina mentibus ipsorum inserere, aliam tentandi decipiendiq; uiam ingressus est. Nam maledicta atque conuitia pristina in meras conuertere atque redigere studuit blandicias & subdolas adulationes, ita ut ad eos maxime quos acerbissime palam calumniatus fuerat, tanquam uerbi Dei hostes, blande comiterque scriberet. Inprimis igitur ad Georgium Saxoniæ Ducem quem antea tyrannidis & mendaciorum insimularat, in hunc modum scribit:

Epistola Lutheri ad Saxoniæ Ducem Georgium.

Ad te uenio Illustrissime Princeps, ante pedes tuæ clementiæ corde me prosterno, simul ac demisse rogo T. C. uelis remittere tuam animi inclementiam, nec deinceps persequi meam doctrinã. Non quod uerear mihi (si me persequatur T. C.) aliquid periculi oboriturum. Nam habeo nihil quod ipse perdere queam, præterq̃ saccum uermium, qui etiam ad sepulturã quotidie properat. Sunt mihi præterea infensissimi hostes Satan & sui satellites angeli. At uero Deus ipse mihi (licet infœlici & fragili peccatori) uires adhuc suppeditauit, ut securus coram eo perstiterim. Adeoque si proprio commodo deseruire uellem, nihil optabilius euenire ualeat, quam ut uehementer persequar. Quantum enim mihi persecutio conduxerit hactenus, eloqui satis expresse nequeo, ita ut persequentibus inimicis gratias merito debeam. Et si utile foret seu etiam opportunum infortunium ab Illustriss. T. C. accipere, magis sane T. C. aduersum me concitarem, incesserem, & optarem ut incessanter persequatur me T. C. At suffecerit modo. Tua C. strennue illud ipsum

ipsum præstitit. Hoc tempus aliter agendum dictat. Tametsi uero T. Illustriss. Cle. credere detrectat, meam doctrinam Dei uerbum esse (alioqui T. C. semetipsam instituere posset, nec meam admonitionem desideraret) ego autem hoc ipsum mihi certissime persuadeam, per salutem meam teneor uicissim pro animi tui salute satagere, orare, obsecrare, & commonere, si forte quicquam hac in re & promouere, efficereque ualeam. Neque T. C. exiguitatem humilitatemque personæ meæ ponderet, nam Deus quandoque per os Asinæ loqui uoluit, qui etiam Psalmo xiij. eos increpat, qui consilium inopis confundunt. Fieri quoque nequit, ut uel tua Cle. uel alius quisquam hominum, doctrinam meam aboleat uel prohibeat, seu potius impediat. Hanc etenim progredi oportet, iisdem successibus & incrementis quæ adhuc habet, quoniam hæc ipsa minime mea est.

Ex animo sane doleo, quod meis oculis cernere cogar, quam grauiter T. C. ad lapidem angularem Christum impingat, quum tamen Deus inter cætera plurimis uirtutibus & ditionibus præclarissimis te donauerit. Det Deus omnipotens, ut opportune ueniens locum mea scripta commodum in penetralibus tui pectoris inueniant. Quod si uero T. Illustriss. C. mea submissa & obnixa cohortatio sit futura ingrata (quod ipsum DEVS auertat) hanc nihilominus Deo probatam & commendatam relinquere deberem. Interim his uolo conscientiam meam apud Deum, tuamque Illust. Cle. inculpatam manere, & testatum iri me pro uirili, in tuam rem laborasse, ac promptum esse ad ea omnia præstanda, quæ T. C. placere cognouero, saltem ut in mea perseuerem doctrina. Siquidem hanc deserere, conscientia reclamante, nequeo. De cætero supplico & ueniam imploro, meque T. C. submitto in iis omnibus quibus eandem scriptis atque dictis offendi. Indulgeo quoque uicissim animo sincero T. C. quod in me deliquisti. Quinetiam Dominum meum Iesum Christum precibus interpellabo, quo ex integro hoc T. C. peccatum remittat. Quod haud dubie impetrauero, quicquid uidelicet unquam contra sermonem diuinum committis & antea commisisti. Tantum sine quæso T. C. cedat huic articulo, nimirum, Vt uerbum Christi (quod per me in lucem æditum est & manifestatum) liberum sit. Atque ita plana omnia & recta consistent. Qua in re Angeli utique in cœlo tuæ Clementiæ congratulaturi sunt.

Dux

Dux quippe Georgius mendoſam Lutheri translationem in nouum uidelicet Teſtamentum, per uniuerſam ſuam ditionē atq; Imperium interdixerat, uera potius & Chriſtiana D. Hieronymi Empſeri interpretatione unicuiq; ſuorū ſubditorum, qui deſiderio legendi nouum teſtamentum tenebantur, conceſſa & approbata. Nam huic prætereа exordium ſeu prologum quoddam præfixerat, eiuſmodi ſane q̃d taxaret Lutheraſtros & hæreſes ab his ꝑpagatas. Summarium illud ipſum nominabatur. Adhæc obſeruationes aliquot ab eodem Empſero adiectæ fuerant, ex his oſtendens quot loca utriuſq; teſtamenti Lutherus in ſua uerſione (quam uiciſſim ediderat) deprauaſſet. Itaq; Lutherus indignum ratus quod ipſe Dux Georgius reieciſſet trallationem ſuam, eandemq; edicto publico cauiſſet, multis conuitijs & apertiſſimis mendacijs Principem longe integerrimum ſcriptim perſtringere cepit. Sed quum conſtantiam Principe uiro dignam in eo comperiſſet, qui ne ſemel quidem ad ſuas impudentiſſimas cauillationes moueretur, huiuſmodi magnanimitatem pertœſus ipſe Lutherus, epiſtolam ſupramemoratam ad Illuſtriſſ. Ducem mittit, ſi forte peruertere hunc ſeducereq; illecebris ſuis queat.

CAETERVM AD MEMORATAM LVTHEri epiſtolam in hunc modum reſpondit Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Georgius:

Reſponſio Ducis Georgij, q̃ nō ſatis bona fide recenſet Sleidanus.

Redditæ nobis ſunt literæ tuæ ipſo Die natalis D. noſtri Ieſu Chriſti, cuius gratiam & pacem tibi exoptamus, quemadmodum & nobis eam præcatus es, ſimulatq; ut ad mentem & tui ipſius cognitionem redeas. Igitur initio conſtituimus, nobiſq; coram Deo ſeruatore noſtro perſuademus, quod ut ſyncerum ita & liberū erga ipſum affectum geramus. Et cum tuis literis inducti ſumus reſpondere tibi, ne credas id nos iam effecturos animo ſtomachabundo, uerū ſedato atq; beneuolo, nimirum ut candide te ad agnitionem tui ipſius reducamus, neglectis tātum aſſentationibus quibuſcunq; fraudulentis, quantumlibet ipſe perſuaſiſſe tibi uideare diuerſum, quaſi uero illecebrarum fucis ſtipati ac circunſepti, imo referti undiq; ſimus. Inq; huius rei certitudinem & teſtimonium, hoc nunc accipe dicti pro ſymbolo quo nobis ſuccinas. Vinum noſtrum ſui dolij nidorē referre, atque ſpirare, ſi deprehendere queas

quod tibi hoc responso assentari etiamnum studuerimus. Cum ergo nos palpare te minime uelimus, sed cōtrarium potius tentare, inter eos licet palpones seu etiam parasitos conferteris qui te uatem, Danielem aliquem, Apostolum seu Euangelistam Germanorum uocitant. Hic sane, Gnathonem non repereris.

Quorsum tetenderunt ea quibus acriter & impudentissime in nos tanquam diuinis placitis, & Euangelicæ doctrinæ contrarios inuectus es? Scis profecto quid exequendum tibi Deus iusserit, si quando Proximus in te peccarit. Quod quidem studiose prætergressus nos clanculum & a tergo ad Hartmannum Cronbergeñ. detulisti & traduxisti, quasi Tyrannos & coniuratissimos in Sanctum Euangelium hostes, affictisq; ignominiosis agnominibus nostræ personæ; cum execrationibus corporis simulac animi, exquisitæ malignitatis calumnijs maledixisti, cuiusmodi sane sic agis, ut in hoc Sancto tum Euangelio tum scripturæ sacræ aduersari maxime uidearis, quibus nihilominus hæc ipsa tua conuitia accommodare studes, ac si illa te doceant maledicere & non potius benedicere. Satis equidem nos pro ratione causæ benigne ad te scripsimus, certo ac uere inuestigantes num culpandus ipse nobis uenias, an uero culpa careas, qua quidem in re tuam magis innocētiam q̃ culpā cognoscere desiderauimus, tu uero inciuiliori furiosoq; animo perculsus, duriter ualde nobis responsasti, plurimisq; mendacijs nos obruisti, duri & inclementis tibi Domini nomē obiectasti nobis, licet nihil horum siue scriptis, aut alijs sane modis designauerimus, quin & ne occasionem quidem iniuriarum quas nobis impo suisti unquam præbuimus.

Sleydanus uidetur hæc minime legisse quod omnino, non attenderet.

Quod autem tu qui Dominum nostrum clementissimum Romanorum Imperatorem (cui data fide & iureiurando sumus deuincti) tam ignominiose impudenterq; conuellis, & mandatum siue edictum ipsius audaci temeritate contemnis, quod itaque tu deposcas qui talia committere pertentas, ut nos tibi clementissimum Dominum præstemus, quomodo quæso id hoc ipsum nos deceat? His quoque accedit quod Vuittenbergæ asylum quasi erexisti, ut uel sic tutum aliquod apud te perfugium Monachis Monialibusq; apostatis, templorum atque cænobiorum compilatoribus esse queat, ac si Vuittenberga desertorum & uotifragorum receptaculum & munimentum per nostram prouinciam appellari deinceps debeat. Sane nobis extra omnem dubietatis aleam consti-

tutum est, quod nunquam a Sanctissimo Patre nostro Pontifice Maximo tales sint concessæ indulgentiæ, quas tanti facias atque eas profecto quas tuos Vuittenbergeñ. per raptum Monialium (quæ ex nostris passim monasterijs ad te perferuntur) promereri existimas. Sed in quantam miseriam calamitatemq; has præcipites, seu etiã quales sint & habeantur satis claret. Quod uero propterea Diabolus (ut scribis) infensus tibi sit, nequaquam credimus, adeoq; si hic aliquo te damno multaret, ni Diuino permissu potestateq; idipsum facere cogatur, obijci tunc quidem illi posset eum ipsum te simili modo remunerari, quomodo solet Carnifex ipse suum ministrum. Percipis modo te probe commeruisse ut nostra clementia fruaris? Nequaquam uero. Nam si quando rusticorũ infimo clam abreptam alicubi e dominio nostro uaccam scimus, ideoq; commiseratione tœdioq; afficimur, multo sane minus æquo tolerandum nobis animo uidet̃, si a Christo conseruatore (in cuius ministerium sumus asserti) sui ipsius grex abalienet̃ tũ corpore tum aĩo. Insuper intrepido atq; constanti prorsus animo nihili me facere Euangelium tuũ, ꝓnuncio, quũ a primoribus totius orbis Christiani tanq̃ iniquũ illud ipsum nec admittendũ, sed reijciendũ iudicatũ sit. Et in hoc incumbimus ac indies diligentissime cauebimus, ne hoc ipsum a nostris suscipiatur. Adhæc prouentus seu etiã perniciosi fructus ex eo prognati plurimum nos cõmouere, quum neq; tu nec alius quisquam tuorum sodalium uere saltem inficiari possit, quin omnis blasphemia & ignominia in augustissimũ Altaris Sacramentum, Sanctissimam item Virginem Deiparam Mariam, omnes deniq; Deo charissimos sanctos ipsos, ex abominabili tua doctrina ortum, tanquam ex seminario, suum habeant. Adde quod hæreses multis iam seculis refutatæ, per tuam tuorumq; tyronum doctrinam refricentur renouenturq;, cultus quoq; Deo dignus ac decens abrogatur. Olim nunquam plura patrata fuere sacrilegia in sexum promiscuum Deo nuncupatum, atq; mox ut tuum mundo cepit apparere Euangelium. Nam unde maiores unquam seditiones seu etiam rebelliones contra magistratum irruperunt, quam e tuo, si dijs placet, Euangelio? Quando plura aut phana aut cenobia sunt demolita, aut quando prædari & furari a pluribus adeo licenter usurpata fuere?

Celat hæc Sleidanus quod parum certe placerent.

Quando tot Monachi Monialesq; apostatæ Vuittenbergæ uisæ sunt, quot nunc ibidem uersantur? Quando licuit ut Vir ab Vxore solutus,

solutus, aut contra, uni alteri copuletur, sicuti modo iuxta euangelij tui præscriptum uel permissum,

Deniq; quando unq̃ maiora adulteria commissa fuere, quam interea temporis quo scriptis tuis mandasti, nimirum: Si quando mulier deprehenderet se a marito impregnari uel concipere nõ posse, tunc demum licere quatenus alium sibi uirum deligat, a quo impregnetur, prolem tamen per mœchiam enixam educare maritus legitimus teneretur? &c. Hæc nobis emolumenta tuum Euangelium, quod quidem uttuipse scribis quasi sub scamno proiectum extulisti, peperit. Satius utiq; fuisset illud Euangelium retro scamnum reliquisse. Quippe si adhuc huiusmodi Euangelium proferas, nullum deinceps rusticum in officio continere ualebimus. Nam si hoc euangelium Christus unquam probasset eique placuisset, profecto nõ tam crebro discipulis dixisset, Pax uobis. Sic etiam neq; Senatus Apostolici Princeps Petrus, neque Vas electionis Paulus, tantopere iussissent, Potestati sublimiori parendum esse. Quocirca tuũ quod nobis occinis euangelium, & abhorremus, & extimescimus, & fastidimus, magisq; desideramus Iesu Christi Euangelio adhærere, simulac corpus ipsum uitamq;, & quicquid deniq; Deus donauit in iddem illud impendere. Tu quidem nos mortis commonefacis, qua certius nihil euenturum nobis est, quum simus omnes mortales. At quid tandem putas succedat si post Euãgelij tui complexum moriamur? Nunquid dicturus nobis esset Deus: unde nam hic nobis adest: cum suo nouo Euangelio, tot malorum fructum parente? An non dixi: Arborem ex fructibus cognoscito? Quod si uero tum respondeamus. Persuasit tamen Lutherus illud euangelium esse, quod sub scamnõ delituerit. Iterumq; Deus diceret: Aliter tamen sanctam Christi una atq; Catholica Ecclesia te docuit, ut puta qui confitearis indies credere te in eandẽ illam Ecclesiam, quur ergo Luthero potius credere, non autem ipsi Ecclesiæ uoluisti? &c. Nequaquam Luthere, nequaquam hic te auscultare nos decet. Tu retineas licet Euangelium de scamno ad lucem productum, nos uero Euangelio ipsius Christi quemadmodum Catholica Christi Ecclesia hocipsum recepit seruatque stabimus. Quod nobis fœliciter Deus secundare dignetur.

Nulla huius rei mentio apud Sleidanum.

Post ubi uero Lutherus perspectum haberet, nihil penitus se apud Ducem Georgium promouisse, ad Cardinalem & Archiepiscopum Ecclesiæ Moguntinæ, Albertum uidelicet, literas uicissim mittit.

Argumentum epistolæ quam Lutherus ad Moguntinen. præsulẽ dedit.

mittit. Quibus nimirum eum inducat, ut renunciato statu Ecclesiastico, matrimonium amplectatur, suasq; Diœceses in dominia secularia transformet redigatq;, ut uel sic cæteris Episcopis atq; Prælatis exemplo foret unde status Ecclesiasticus funditus aboleatur & dissipetur. Et inter alia phalerata scripta, hæc intulit, nimirum: Perpendere atq; cognoscere T. C. decet Amplissime Præsul, te quidem Virum a Deo creatum esse: Deus autem uoluit fœminæ Virum coniungi uti primo Geneseos capite describitur uidelicet: Nō est bonum hominem esse solum. Quare profecto nemo uirum cœlibem agere uitam absq; irato Deo poterit; nisi fortasse mirabili prærogatiua idem ipse concedat hominem in angelum conuerti.

Cæterum ad hasce literas tam uanas ut impias prorsus nihil respondit Archiepiscopus, quum huiusmodi Sirenum dolosa incantamenta crebrius illi Comites nobilesq; alij prælibassent atq; succinuissent. Quæ sane strenuus, utilis & constans Principis animus, quasi rem nihili, præteruolare sinebat, in suo statu persistens.

Ediderat quoq; Lutherus ipse libellum quendam infamem & ignominiosum aduersus Anglorum Regem Henricum. Quem ut nouit Lutherus nihilosecius huiusce modi cōuitijs & iniurijs quas undiq; spirabat ille libellus, non posse adduci quo prodigiosam suamipsius doctrinam recipiat, epistolium huic concinnat blandū atq; benignum, hoc uerborum fucō:

Literæ Lutheri ad Anglorum Regem.

Tametsi Charissime Rex ac Serenissime Domine, æquissimū esse iudico, quo uerear & totus exhorrescam meis literis T. M. grauare, quum exploratum habeam quin meapte culpa T. M. maxime nec immerito grauiter offensa, nempe propter libellum nuper a me conscriptum. Qui tamen non ex proprio animo mei iudicio uel ausu, sed impulsu eorum qui T. M. iniquiores existunt, temere, stulte & imprudenter a me in lucem prodijt. Nihilominus non tantum tua plane regia clementia (quæ a plurimis quotidie commendatur summopere & prædicatur, ita ut minime confidam perpetuas mihi ab eadem illa ingenita tibi benignitate conflari posse inimicitias, potissime quum se mortalem esse meminerit) in spem me bonam erexit, quin potius non mediocriter id quod a testibus fide dignis accepi exhilarauit, nimirum librum illum (qui sub nomine siue titulo Regiæ tuæ Maiestatis in me nunc editus extat) neutiquam a R. T. M. conditum esse, at uerius a cauillatoribus plerisque R. T. M. titulo abutentibus, huiusmodi aliquem contra

me

me prodijsse. Quorum potissimum censeo Thomam esse Cardinalem uidelicet Eboracensem Dei hominumque præsentissimum & publicum hostem. Lacessitus igitur ego horum scriptis, R. T. M. literis meis occupare tentaui. Cuius etiam rei me pudet, simulac reuereor oculos meos coram R. T. Maiestate collimare, quod cum aliud ego nihil sim quam terra & uermis, nedum uilipendendus, uerum etiam contemptu & exterminio dignus, leuiter adeo permiserim memetipsum adduci, eo uidelicet temeritatis, ut tanto cum Rege in harenam depugnaturus descendere ausus fuerim. Cæterum uel maxima quidem causa cur ad R. T. M. scriberem hæc fuit: Intellexi siquidem Maiestatem T. fauere Euangelio cæpisse, & illius farinæ homines sane atheos fastidire & execrari. Quod equidem nuncium, uerum Euangelium meoq; pectori dulcissimum lætissimumq; fuit. Ob id ad pedes T. M. præsentibus hisce literis me prosterno, pariterq; rogo per Crucem & gloriam Christi, ignoscas quodcunq; in Maiestatem tuam peccaui, quemadmodum & ipse Christus inuicem remittere debita præcepit. Quod si etiam tuæ Maiestati arrideat, ut alium libellum componam, in quo palinodiam prioris in te calumniæ & maledicētiæ meæ palam exhibeam, sicque nominis tui honorem resarciam, animo perlubenti fecero.

Ad hæc Lutheri scripta Rex prolixe satis, præclare accurateque respondit. Nam hæc Regis epistola siue responsum ab Hieronymo Empsero & Ioanne Cochleo in linguam teutonicam traductum infinitis propemodum exemplaribus typographicis in lucē prodijt: Præcipuos tantum hunc iam huiuscemodi articulos subijciemus.

In primis igitur in hæc uerba respondit Rex: Scribis quidem Luthere te tui in me æditi libelli pudere, num uero hæc in re ueris concedas, uidelicet num ita ut scribis, sic & sentias me fugit. Istud tamen unicum scio, permultas occasiones tibi suppetere, cur non modo huiuseiusdem contumeliosi libelli non absre pœnitudine ducaris, sed & omnium quæ dictasti, quum maior eorum pars nihil præter detestandos errores & insanas hæreses cōplectatur, quæ neque rationibus saltem ueris exornatæ sunt, neq; etiam artificio seu etiam eruditione ulla constant. *Cuiusmodi fuerit responsum Regis.*

Præterea nunquam adduci potero ut credam, quod nimirum scribis emulorum & obtrectatorum meorum arte ac suasu contigisse ut calamum in me strinxeris, quandoquidem euidentissimū

 ess

est eorum potius instinctu illudipsum euenisse tibi, qui minus res de tuis successibus consultum iri uolebant, quum libellus tuus ea sorte regatur, ut suo authori multum sane dedecoris, mihi uero honoris conciliet.

Præterit hæc studiose Sleidanus.

Ad id quod etiam asseris librum meo nomine promulgatum ab alijs quibusdam nugonibus, non autem a me conditum fuisse, respondeo: Plures haberi testes fide dignissimos, qui me authorem illius esse libri fatentur & agnoscunt, q̃ sint qui controuertant, & dubitent. Et quo magis te offendit, aut certe minus arridet, eo lubentius meum hunc esse codicem tuebor.

Insuper etiam quo plus Eximium Virum regni nostri Cancellarium, seu potius Archigrammateum Cardinalem, tua uirulenta lingua taxas & cauillaris, eo uicissim amplius singularem suã Prudentiam exploramus, quippe qui non passus sit eius linguæ scurrilibus impudentissimisq; cauillis se uel seduci, imo ne commoueri semel, aut ut cedat aut persuadeatur, quum & hæc impudentissima lingua in uniuersam Christi Ecclesiam scurrari, Sanctos Patres cõsutare, & exterminare, nullum non diuorum abominari, Apostolos Christi Iesu contempnere, nec Sanctissimam Dei Genitricem ignominijs afficere, imo nec Deum deniq; blasphemare ueretur.

Addis te præ nimio pudore oculos tuos ad nos attollere non posse, quod seduci tete permiseris ut in nos etiam scriptis inuehareris: nos uero plus demiramur, quomodo siue in Deum ipsum, siue hominem aliquem probum, uultum leuare audeas, qui instinctu diaboli, & libidine carnis eo te dementiæ pertrahi sinisti, ut tu ipse Monachus existens Augustinianæ professionis, Deo sacratam ac uoto religioni monasticæ deuinctã, incestuosis inhonestisque amoribus constuprasti. Si quondam apud Romanos adhuc ethnicos huiusmodi ignominiosum & animaduersione dignum scelus subijsses, uiuam ipsi sponsam turpissimam cespitibus oppressam inhumassent, teq; morte multassent.

Denique quod subdis te promptum esse modo ipse probarem librum alium in quo palinodiam canas, meumq; nomen toti seculo maximis laudibus, & ut aiunt usq; ad sydera tollas, ecce mihi Luthere hac arte nihil opus est, idcirco opera hac te leuauero lubens. Non enim applausibus & rumusculis intantum delector, nec honoris ita sum appetens. Potius uellem ut agnita ueritate

hæresi

hæreſi tuæ renunciares, & ad ueram fidem hoc quaſi compendio redires, eandemq; bonis operibus excoleres, ut ex his Deus ipſe glorificetur & honoretur. Nec enim adeo ſum auidus tuæ Laudis. Quin potius ſi modo in tua hæreſi uitæ motumque peruerſitate perſeueres, plus obſequij mihi contuleris tuis contumelioſis ſcriptis quam laudibus. Quoniam grauiſſimus & integerrimus inter Ethnicos Seneca dicat, Tam turpe tibi ſit laudari a turpibus quã ſi lauderis ob turpia, &c.

Renuuit Laudari Rex a Luthero.

Hactenus obiter Epiſtolam Regis Anglorum perſtrinximus.

Eodem hoc anno Comitia Spiræ inſtaurantur, ubi & Ferdinandus Auſtriæ Archidux in Imperatoris locum ac uices decernitur. Accerſiti quoq; ſunt proceres illi, qui a partibus Lutheri erant. Vt Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, qui Duci Friderico non ita pridem defuncto ſucceſſerat, & Philippus Haſſiæ Lantgrauius. Hi igitur peculiare ſibi phanum donari poſtularunt, in quo commodius concionatores ipſorum rem ſuam obeant, & Euangelium Lutheranicum ſecurius prædicare poſſent. At Spireñ. Antiſtes ex Ducum Bauariæ ſtemmate natus, ſimulac Rheni Palatinus, permittere nolebant, ut uel in uno templo rerum difformis & odioſa ſeditioſaque ab illis nouitas aut introducatur, aut etiam conſtituatur. Ac tunc quidem illi ipſi ſuis Eccleſiaſtis quotidianas conciones in diuerſorijs ipſorum ad plebem habere conceſſerunt. Factusque est hominum frequens admodum concurſus, qui magnopere nouam huiuſmodi officij diuini permutationem demirabantur, quibus & perplacebat conuitia in Pontificem Max. ſtatumque Eccleſiaſticum auſcultare. Adhæc carnes ferijs ſextis alijsque diebus uetitis & interdictis coqui palamque apponi in cœnaculis ſuis magnates illi iuſſerunt. Quod ſane uiſu nouum erat, & nedum alienum, imo etiam priſcis Eccleſiæ Chriſtianæ ritibus legibusque omnino contrarium. In dextro quoque brachio, miniſtri ipſorum has quinque literas uidelicet V.D.M.I.AE. ac upictas gerebant: quæ idem omnibus prorſus ſignificarent, atque hæc ſcripturæ diuinæ conformia uerba, nimirũ: Verbum Dñi manet inæternũ. Feſtis autem diebus Proceres Catholici cum Epiſcopis & Cæſaris fratre germano ad templũ cathedrale procedebãt, ſacra audituri, ac iuxta Catholicũ in officio diuino modũ pſoluturi. Reliqui uero

Comitia Spiræ ſeruantur.

Narrat iſta quidẽ Sleidanus, ſed more ſuo.

interea temporis in ædibus prophanis utpote diuersorijs suis concíones fieri procurabant, atq; ita demum populus nouitatis cupidissimus, ab officijs ecclesiasticis abducebatur alienabaturque, totique clero (cui alioqui parum sane fauebat) aduersari prorsus eundemque exitiali quodam odio persequi cœpit.

Cæterum Germanus ipse Cæsaris, una cum constituta sibi legatione, Principibus statibusque significauit, Imperatorem nimirum uelle atque mandare, ut prisci Religionis & Ecclesiarum mores usitationesque solitæ in Imperio conseruentur, & perduelliones castigentur. Insuper mandatum aduersus Lutherum ante quinquennium æditum & publicatum exequatur. Ad hoc uero Cæsaris Caroli mandatum quidam ex statibus Imperij proceres Germani respondérunt, equidem sese perlubenter huic submittere uelle edicto, cæterum magis magisq; in negocio religionis pullulare quotidie nouas inimicitias, adeoque uitandæ seditionis gratia & metu intestini mali non potuisse seruari hactenus Vuormatiense interdictum. Propterea rogandus esset Imperator quo Nationale Concilium in Germania celebretur. Quod si uero nec istud quidem permittere uellet, saltem edicti Vuormatieñ. plenam determinationẽ, seu potius exequutionem in œcumenicum aliquod concilium differat.

Tum Archidux Ferdinandus, Richardus Treuirorum Archiepiscopus, cæterique alij conuenere & definierunt, necessarium fore ut generale quoddam Concilium, uel ad minimum Nationale celebretur, cuius etiam exordium mox sumatur. Ideòque sine mora legationem ad Imperatorem ipsum mittendam esse, eidemque supplicari debere, ut quamprimũ in Germaniã redeat, simulac Conciliũ accurare uelit. Interea uero sic omnes quisque in sua prouincia sese componant, tanquam iustam Deo Cæsarique rationem reddituri.

Suo modo rés fert etiam hęc Sleidanus.

Eodem anno nuptum sibi locat Cæsar, Isabellam, Filiam Regis Lusitaniæ.

Sub id quoque temporis quo comitia Spiræ tractabantur, disputatione Badenæ Heluetiorum inter Catholicos & Lutheranos est inita. Nam Vlrichus Zuinghus, & Ioannes Oecolampadius magnam Heluetiorum turbam perniciosa doctrina infecerant seduxerantq;. Hac igitur ratione commoti sunt duodecim illic pagi pedem conferre, uenerunt eo ut Catholicis patrocinarentur Do-

Disputatio Badenensis.

ctor

ctor Ioannes Faber, Regi Ferdinando a Consiliis, qui sane plurimis libris erroneam Lutheri sectam confutauerat, Doctor etiam Ioannes Eccius, qui ante septēnium in disputatione Lypsica Martinum triumphauerat. Insuper Doctor Thomas Murnerus. Quin etiam Constantiensis, Basiliensis, Curiensis, Lausanus Episcopi, quibus Heluetii, quod attinet ad spiritualem Iurisdictionem, obnoxii sunt, Legatos suos destinarant, nimirum Constantiēsis Episcopus Dominum Melchiorem, quem a suffragiis sibi delegerat, Virum plane doctissimum sacrarum literarum, Dominum Othmarum Lucernatem, Virum disertum, Dominum Anthonium Ecclesiastem ædis sanctæ cathedralis cū aliis uiris doctissimis eo mittit. Eadem ratione Episcopus Basileēn. Suffraganeum suum Dominū Augustinum Marlum, Dominum Iacobum Lemp, in Tubingēn. Academia professorem ordinarium, aliosq; uiros literatissimos, legat eodē. Nec defuit huic instituto Lausanus Antistes, nam & ipse legationem confecit, puta Doctorem, Conradum Augustinianorū Prouincialem, cum Domino Ludouico Decano Bernēn. ad Disputationis cōfessorem destinat. Curiēn. denique Præsul, ne prudenti huic proposito sua ex parte quicquam decederet, Doctorem Petrum Speiser, & aliquot ex Canonicis Curiēn. Legatos sibi decernit, ad cōstitutum disputandi locum mittendos, ad quem etiam uiri complures exercitatissimi conuenerant. Attamen Zuinglius illuc accersitus, cōparere neglexit, licet securior certiorq; redditus esset publica fide interposita, liberoq; cōmeatu indulto. Nihilominus Dominus Eccius multis diebus aduersus Oecolampadiū disputabat, præsentibus scribis siue notariis, numero uidelicet Iacobo Imeler, Bertholdo Haller, Vlricho Studer, qui articulatim omnia dictabant, quæcunq; asserebantur. Adeoque strenue themata subiecta Christiana plane atque Catholica contra hostem ipsum Ecclesiæ tuebatur Eccius, ut Heluetii, Tigurinis tantum eorumq; sociis exceptis, singula ea themata siue articulos subiectos reciperent, & gratis interposita multa fidem iis ipsis & obseruationē apud plurimos conciliarent.

Parum fideliter hæc Sleidanus narrat.

A uero Sleidanus aberrat, ut Zuinglii negocium callidius agat.

Nunc igitur accipe præcipua ibidem plena fide authoritateque & efficacissimis argumentis ibidem ab Eccio asserta:

Verum Christi corpus & sanguinem eiusdem uerum in sacramento altaris q̄d nocturnam cœnam Sleidanus appellat, contineri.

Et hic Sleidanus infideliter scribit.

Quod etiam reuera pro uiuis & mortuis inibi offeratur.

Virgi

Virginem Mariam cæterosq; Diuos pro intercessoribus inuocandos esse, Domini nostri Iesu Christi imaginem seu etiam aliorũ diuorum abrogandas non esse.

Post hanc quoq; uitam ignem purgatorium restare.

Omisit ista Historiographus ille.

Christianorum etiã pueros originali peccato obnoxios esse.

Non Ioannis, sed Christi Baptismate peccatum originale remitti, seu etiam deleri.

Adhæc Antiquum illum & Catholicum in dispensatione Sacramentorum ritum obseruari debere, atq; ita cæremonias ecclesiasticas, ieiunare, orare, confiteri, festa celebrare, memoriam Defunctorum & exequias ĳs impendere tolli omnino nõ debere. Et quo diligentius hæc obseruari possent, constituerunt superiores ipsi, inquisitores seu exploratores aliquot, qui in hoc unice intenderent, ut si forte quisquam aliter se gerat quam articuli dictent, in hunc ita animaduertant, ac si omnium reum se effecisset.

Cum uero Zuuinglius ad supra memoratam disputationem comparere detrectasset, quicquid ille controuertere decreuerat, in unum uolumen ab Ioanne Fabro redactum est, ubi plurima loca citat, in quibus Zuuinglius scriptis semetipsum oppugnaret.

Hoc eodem tempore posteaquam Galliæ Rex cum Cæsare (qui ut supra narratum est, eundem ipsum bello uicerat ceperatque) in concordiam redisset, Francisco & Henrico filĳs suis datis obsidibus, & ex Hispania domum esset reuersus, quas depactus fuerat pacis recipiendæ leges tanquam iniustas a se repellit, nec his obligari uoluit. Idcirco cum Pontifice Max. & Venetis fœdus init, ut nimirum copiæ in Italia cõtrahantur, aduersus regnum Neapolitanum educendæ. Quod si expugnari posset, deinceps Romanæ Ecclesiæ inauthoraretur, sic tamen ut annue Regi Francorum septuaginta quinq; milia aureorum solarium inde soluantur. Paulopost Romanus Pontifex Clemens, missis ad Cæsarem literis, sua in ipsum officia enumerat, quoties hostium consilia & machinationes illi aperuisset, imo etiam quod summam quãdam pecuniariam quam tamen nondum persoluisset, mutuam dederit, simulac facile percipi posse quo animo erga eum afficeretur, eo quod ipsum fœderis illius media quibus uidelicet concordia inter illum puta Cæsarem & Galliæ Regem subuenerat, celasset.

Francorum Rex Fœdus initum uiolat, & ad alios deficit.

Epistola Clementis Papæ ad Cæsarem.

His itaq; & plerisq; alĳs rationibus sese commotum esse cum nonnullis qui saluti Italiæ studerent, nouum pactum statuere.

Interim

Interim si etiamnum ipse pacem Cæsar exoptet, recte & bene quidem. Sin secus, ad arma sibi confugiendum esse, quibus Italiam & Romanæ Ecclesiæ salutem protegere ualeat.

Vt igitur ad has literas responderet Cæsar, exponit quo pacto imperium in suam curam prius suscipere noluisset, quam Leo Pontifex electionem approbasset, ac regni Neapolitani dominium sibi annuisset. Posthæc uero ipsum quidem Gallorum partes inito fœdere sequutum, laborasse, quo tandem Neapolim & Siciliam sibi adimerent: Et ita rursus Gallum per Insubriam innouato bello deseuire. Quinetiam si Regnum Neapolitanum clientela Pontificis sit, & hoc nihilominus bello impetat, iam omnem ex eo ditionem siue ius ait amitteres, quibus enim causis beneficium collatum cliens, ijsdem quoque de causis patronus ipse dominium amittit: &c. Compertum item habeo (inquit præterea Cæsar) certo indicio, Gallum iurisiurandi interpositi uinculo te abs, solutū esse, quo se mihi in confederando obnoxium fecerat, & bellum aduersum me concitasse, priusquam literæ quibus iamprimum illud indicis redditæ mihi essent, eoque conatum tuum spectare, quibus modis non tantum me a tota Italia depellas imo, etiam quo pacto Imperij dignitate priues. Quantum uero ad confœderationem ipsam & pacem inter me & Regem Galliæ initam pertinet, nihil penitus tuos Legatos latere nolui. Nam pacis conditiones taliter conceptæ & expressæ nō sunt, ut eas latere uellem, quin potius manifestari, tanquam communi paci & coercendis Christiani nominis aduersarijs, perutiles & accommodas. Quæ cum ita sint, nec ullam indignandi causam dederim, summopere abs te peto, ut a bellandi proposito animum reuoces, idipsum & ego fecero, potissimum cum ipsius Dei numine & prouidentia factum sit, ut nos ambo, tanquam duo luminaria mundo prælucere debeamus, quem alioqui nostris mutuis diffidijs obscurari cōtinget. Decet namq; nos publicæ utilitati consulere, quo nimirū Turcæ nostris limitibus abarceantur, sectæ Lutheranicæ, & si qui alij phanatici errores, in religionē irrumpentes opprimantur. Huiusmodi ad honorem & gloriam haud dubie Dei conducunt, a quo sumendum sane initium est, dein errores corrigendi, & lites componendæ ueniunt. In his me promptissimum semper habueris. Sin autem istud obtinere abs te nequeo, in Concilio agamus lege, ubi omnis controuersiæ finis habeatur, quod etiam quamprimum designari cupio.

Cæsaris Epistola Apologetica ad Pontificem.

Cum

Aliæ ipsius ad Cardinales.

Cum ad hunc modum Clementi Cæsar respondisset, Cardinalium quoq; senatui scribit Octobris die sexto, Magnum se dolorem animo concepisse, audiens Clementem Galliæ Regi confœderatum esse, bellum in se redintegranti, literas ab illo plenas inimicitiarum accepisse, putare autem se hoc unanimi ipsorum omniū uoluntate atq; consilio contigisse, q̄d sane minime sperasset. Quoniam nullus Regum tanto honore Romanam Ecclesiam prosequeretur, ac ipse. Propterea summam illi iniuriam a Pontifice illatam esse. Petere proinde sese ut eum officij sui memorem reddant, magisq; ad pacem quam inimicitias & bella hortentur. Quod si uero recusaret, unde etiam Respublica Christiana periclitari posset, nequaquam imputandum esse sibi.

Status Imperij ad Francorum Regem scribunt.

Nuper Spiræ, ut antea memoratum est, quo legatio ad Cæsarē in Hispanijs agentem, mittatur, definitum erat. Cum autem breui post Vngarorū strages nunciaretur, tum Imperij Duces intellexere opus esse maiori hac in re acceleratione, utq; citius ad Cæsarem Legatio expediatur, literis ad Francorum Regem datis, postulant ab eo legatis per Franciam securum atq; tranquillum iter. Cui Rex annuit ac certum tempus quo id commodius fiat, ipsis præscribit, pariterq; literas ad illos mittit, testaturq; ex pectore dolere se Vngariam a Turcis occupatam esse, Ludouicum Regem perijsse, & ita Germaniam in magnum uenisse discrimen, nec minori uicissim dolore percelli, eo quod publicum commodum intestinis bellis funditus interiret. Sua nihil interesse, quod paci nullus locus esset, sed ad Imperatorem potius pertinere, quippe qui nonnullas iustissimas pacis recuperendæ leges siue media refelleret. Quocirca eos recte & quidem pro officio acturos, si ad concordiam illum inuitent atque commoneant, ut nimirum cum uicinis Regibus amicitiam ineat. Maiores suos Francorum scilicet Reges bellis sæpius Christiani nominis hostes oppressisse, quod etiam fieri & nunc posset, si modo uires coniungere ualerent, nec resisteret Cæsar. Itaq; si hæc impetrentur a Cæsare obseruenturq;, uelle omnes suas uires, imo semetipsum ad debellandos Turcas obijcere. Alias non ægre ferrent, si recuperare studeat armis, quod alioqui beneuolentia nō posset. Cæsar ipse merito paci studeret, tanquam Turcarum tyrannidi uicinior, & cui magis ab eodem cauendum sit quam sibi.

Quamprimum autem Imperator harum literarum certior factus esset, ad Primores Imperij, die uicesimo nono Nouembris literas

teras quoq; destinat. Et cum primis quidem narrat quanta beneuolentia & amicitia captum Regem affecisset, quemadmodum liberum a se dimisisset, sororemq; germanam regni consortem sibi proximam in coniugem illi dedisset. Cum autem ipse nuper in Italiam iter (rebus pacifice compositis, nec sinistrum aliquid suspicatus) instauraret, conatus omnes in religionis Christianæ perpetuos hostes explicaturus, Regem interea a fide data defecisse ad perfidiam, atq; ita pactum cum Papa Clemente, & alijs nonnullis pepegisse. Necnon ex fiducia quadam regnum Neapolitanum inuadendi & subiugandi numerosum exercitum collegisse. Ea re factum esse ne Vngaros a tyrannide Turcarum liberaret, quum illius potius subuentione atq; protectione teneatur.

Quod insuper Francus ita se fingat ac si neci Lodouici Regis grauiter indoleret, & Vngarorum infortunio, meram imposturam esse & astutiam, ac eo fieri ut illis aliquo modo obturet os, qui cõfidẽter asserũt interceptis literis, adhortatione illius, Turcã hoc cõmisisse bellum. Quando in uinculis adhuc detinebatur, & posthæc cum libertati restitutus esset, & domum redisset, datis literis illum sibi confirmasse pactorum obseruationem, quod itidem fecisset cũ ex Hispanijs discederet; uerum ex quo in mediterraneis Europæ locis regnum possideat, ocioso prorsus animo concitare Reipub. statum, & in suis tropheis referre, Turcarum in Vngaria uictoriã. Cur ergo minus in Germaniam uenerit, illum esse in causa, nihilominus tamen diligentiam se adhibiturum, ut quo citius posset, copias auxiliares in Turcam expediat. Deniq; se minime dubitare, quin hoc familiare & ingenitum Gallis sit, ut passim seminent discordias, atq; adeo ex inimicitijs aliorum uindemiam ipsos agere, id est, lucrum consectari alieno periculo.

Sub id temporis Friderici Ducis Saxoniæ filius, Ioannes, Sybillam Cliuensium Principis filiã duxit in Vxorem. Desponsata fuerat ei Catharina Imperatoris soror natu inter cæteras minor. Sed propter Religionis mutationem & hæreticam quandam innouationem, irrita facta fuit huiuscemodi stipulatio.

Nuptiæ Ioannis Ducis Saxoniæ.

Fatetur Sleidanus in Cõcilio Constantiensi definitũ esse, Ne uidelicet fides hæreticis seruetur.

Quidam enim aperte & ingenue edixerant: Non fidendum esse Hæreticis.

An. 1527.

ANno ab Incarnato Verbo M.D.xxvij. horrendus quidam cometes in plaga Occidentali uisus est, undiq; scintillis cinctus,

Sebastianus Franck. Horrendus Cometa.

mense uidelicet Octobri, die undecimo, mane circiter horã quartam. Apparuitq; unius & quartę partis horæ spacio, post uero dissparuit. Ortus ab oriente ad meridiem & occidentem ascendit, uerumtamen circiter noctis medium iterum fere semper uidebatur. Cauda per immensum serpebat, colore quasi sanguine mixto uel croceo. Caput siue initium illius instar cubiti arcuati, qui ensem uibrabat miræ magnitudinis, ac si ferire uellet. In cuius mucrone lateribusq; magnæ satis stellæ, sed in cuspide maiores refulgebant, irisq; magna ex his astris efficiebatur, cauda bibicibus diffusa, cuius longitudo cætera omnia excedebat.

Status siue forma Cometæ. Conradus Lycosthenes.

Eodem hoc tempore multi radij scintillantes in aere apparuere, longitudinis instar hastarum, ac his intermixti gladij colore sanguinolento rubere uidebantur, continebantq; uel ambibant potius ingentes flammas nimio feruore candentes. In quarum medio hic atq; illic facies horribiles uisu, permixtim cernebantur, pilosæ prorsus ac Hispidæ tum capite tum barba, nubesq; erat quasi colore subcinericio respersa. Gerebantur autem hæc omnia multum hostiliter quasi sanguinolento rapidoq; flumini innatarent, sicque inuoluebantur & contra se mutuo nitebantur, quod sane aspectu tam erat difficile, ut nonnulli spectatorum nimio metu exanimati sint.

Ferdinandus Bohemorum Rex creatur.

Hoc insuper anno, die Diuo Matthiæ sacro, Ferdinandus Vngariæ Rex, Bohemico inaugurabatur regno. Postero dein die suaipsius coniunx in Reginam Bohæmiæ assumitur. Non multum post e Vueuuoda secedens Rex Ferdinandus, in Vngariam proficiscitur aduersum transsyluanos, ubi plures Ciuitates, arces, ac uicos expugnat. Præerat autem huic expeditioni Marchio Casimirus Brandeburgeñ. post non ita diu defunctus, mense octobri. Rex Ferdinandus Budæ Diætam indixit, in qua Rex Vngariæ creatus est, diesque inaugurationis suæ dictus est in festo Symonis & Iudæ, quando & inchoatus est & consummatus in ciuitate uidelicet quæ Alba Græcia nominatur,

Victoria Ferdinandi. Regno Vngarico Ferdinandus inauguratur.

Eodemq; anno mense Ianuario, Ventus quidam acerrimus ac horridus ex Turcarum phalange siue cohorte in Regnum Poloniæ, multas locustas emisit. Vnde plurimum detrimenti perpessi sunt homines & pecudes.

Mense

Mense Februario eiusdem anni, die scilicet decimo septimo tres in aere soles ab iride complexi, ante montem secus apparuere. Nam illi qui extremum tenebant locum uersus medium solem rubebant, at uero ad iridem flaui, per cuius medium iubar aut potius radius erat diffusus. Interior quoq; pars iridis tam splendida ac rutila fuit, ut eam intueri egrius fuerit, quam solem ipsum. Ac præter hanc iridem alius adhuc splendor ex aduerso oppositus reluxit, priori nimirum iridi concolor, sed qui hanc eandem multis partibus superare uideretur. Quid autem præsagiret, soli Deo cogni tum est, ac illi cui reuelare uoluit. *Tres uisi soles.*

Anno eodem, uicesimo primo Maij, Serenissimus Princeps Philippus, Hispaniarum & Angliæ Rex, Caroli quinti Cæsaris filius, nascitur. *Philippus Hispaniæ Rex nascitur.*

Quo etiamnum anno, Haga Comitis Hollandiæ a Gelris occupata & depredata fuit. *Haga comitis a Gelris diripitur.*

Hoc insuper anno bellum inter Cæsarem & Galliæ Regem restauratum, magna ui prorupit. Et exercitus quidem Cæsaris Romam uersus perrexit, ac in monasterium Diuo Onofrio nuncupatum diuertit, ubi uini modicum nactus, lassa membra ac squalida corpora refecta sunt. Resumptis itaq; uiribus, hostē uicinum fortiter ferebant. Nam hi castra in medijs hostium cuneis fixerant, nempe in prospectu Pontificem, Vrsines, totamq; Romanensium potestatem obiectam sibi habebant, aciemq; ualidissimam a tergo. Dux belli Princeps Orvuinen. cum militibus summi Pontificis aduersus illos eduxerat, quorum numerus erat triginta milia, Francis, Venetis, & Italis, imo etiam prouincijs circumniacentibus arma contra Cæsarianos mouentibus, Senensibus tantum exceptis. Erat tunc Cæsarianæ militiæ Dux primarius, Carolus Borboniæ Princeps, qui Tubicines ad se uocatos, Romam secundo mittit, postulatum nomine Cæsareæ Maiestatis Primo, iter securum concedatur, facultas quoque longius proficiscendi, secundum constitutum ipsorum, adhæc alimonia pecunijs numeratis præstetur. Quæ quidem uerbis contumeliosis denegabantur. Deinde Borbonius iterum nomine Cæsareæ Maiestatis Romam ingredi postulat. At Dominus Rentz primarius summi Pontificis, gerendo bello Antesignanus, tubicinibus edici iubet ut discedant confestim, nec ultra redeant, alias patibulis suspendendos esse. *Bellum inter Cæsarem ac Regem renouatur.* *Carolus Borboniæ Dux, Exercitus Cæsariani primarius Antesignanus.*

Dux igitur Borbonius, electiſſimis ad ſe conuocatis militibus & ſatrapis totius agminis, ueteranos & expertiſſimos milites accedit conſultandi cauſa, quid nempe facto opus foret. Quoniam neceſſitas urgebat, circuncirca ab aduerſarijs quoq; concluſi erant. Quare conſultum uideatur, ut cras primo mane, ſuburbium (quod Burgum nouum appellabatur) depugnent. Multum etiam illis ipſis ſolatio eſſet, in urbe ſubortum inter militem Germanum & Francum diſſidium. Inſuper imminens alimentorum ægeſtas propter aduerſariorum uicinitatem (qui ſane huiuſce inopiæ cauſa gratularentur) non mediocriter urgeret. Quamobrem definitum eſt ſatius fore Vrbem mature & concitatius ſub ortum ſolis oppugnare, admotis omnibus machinis ac uiribus, priuſquam uidelicet Dux belli Princeps Orvuineñ. partium Pontificis cum legionibus appropinquet. Igitur ſub diluculum quando etiam nebula denſior Vrbem circundedit, oppugnationem adoriuntur, ſchalas cuneatim applicare, foſſas congeſta terra opplere, muros aſcendere, irruptionem facere, ſimulac armamentarium Papæ inuadere, ubi ingens multitudo ſcloporum inuentus eſt.

Irruptio in Vrbem.

Milites uero protelarij & audaciſſimi, irruebant in Portam a Sancto ſpiritu nuncupatam, ſuburbiumque uulgo Burga noua dictum demoliebantur, quos cohors robuſtior fortiter & intrepide ſubſecuta mox eſt. Hoc pacto curia Pontificis ante meridiem magno impetu occupata fuit, in qua quinque fere milia Francorum, qui ſub Clemente Pontifice meruerant, perempti ſunt. In hac quoque expugnatione ex Cæſarianis bene trecenti Hiſpani occubuere. quin & Dux ipſe Borbonius totius exercitus Cæſarij Præfectus, ſclopo extinctus eſt. Sic celerrima quadam ac uiolenta incurſione ſuburbium illud depopulatum direptumque fuit, paucis ſane carceribus mancipatis. Tunc Pontifex una cum Cardinalibus, Florentinis, Epiſcopis alijsque magnatibus, in arcem Angelicanam confugit.

Curia Pontificis a milite ueſtatur.

Borbonius ſclopo interfectus.

Raptim itaque per pontem Angelicanum plurimis fugitantibus, mulierum ac puerorum ingens multitudo partim peſſundata, & ab equis conculcata, partim oppreſſa, expirauit. Quapropter plebs ibidem promiſcua nimijs terroribus conſternata atque perculſa, fugiendi in tantis anguſtijs locum conſequi nequiuit, quidam quaſi amentes hoſtibus inter fugiendum occurſarunt. Hunc

Fuga Romanenſium tumultuaria, & multis pernicioſa.

itaq;

itaque confusum profugorum numerum cernens ipse hostis, repente centuriæ Hispanicæ aduolantes persequuntur & trucidant. Hi uero qui ex arce stragem & seuitiam hostium maximam spectabant, sclopis eosdem ferire non audebant, timentes ne tumultuantem suorum conciuium & subditorum turbam simul prosternant.

Eodem animi feruore atque furore hostes sub meridiem, in alteram Vrbis partem transtyberitanam ultra D. Pancratij pontem incursionem fecere, & agminatim uiolento impetu proruentes quodcunque oblatum erat, destruxerunt, expilarunt, uinxerunt, aut denique peremerunt, adeo ut in tota urbe supra triennium paucissimi essent, qui a censu forēt immunes. Quidam enim ad tertiam exactionem usque cogebātur libertatem redimere censu, imo multo plus quam per se possent censebantur, & si quandoque per inopiam non sufficeret impositæ mulctæ aut censui, ilico confodiebatur, aut in exilium relegabatur. Nullus plane excusabatur, hic neque sexui, neque ulli conditioni, imo fere nec ætati parcebatur, sicque eodem ipso die ultra pontem D. Sixti amplius progressi omine satis dextro in mediam Vrbis partem irruerunt, quā etiamnum uiolenter occuparunt, ac penitus deuastarunt, omnes fere ibidem relictos interemerunt, alios corripuerunt, & quencunque aggressi sunt e cœtu siue Cardinalium, siue Episcoporum, siue Monialium aut cænobitarum, conprehenderunt, censuq; multarunt, uirginibusque sacro uelamine tectis stuprum obtulere, magnam librorum, literarum & rationariorum, uulgo registra uocant, copiam, antiquissima quæque priuilegia ab Imperatoribus uidelicet, Pontificibus, atque magistratibus concessa & rata, uulcano tradidere. Lacerauerunt, unguibus discerpserunt, pedibusque contriuerunt, quæ profecto mercatoribus & trapezitis siue nummularijs multum detrimenti peperunt, quæuis alia potius amittere paratis. Hinc uici, domus ac stabula, scriptis passim dissipatis scatebant, & sternebantur. Omnia pariter templa, nullo postposito, prorsus spoliarunt, sacratos calices, sacras item uestes, reliquiarū sacrarū thecas, omnem deniq; ibidem ornatum armis scrutabantur, rapiebant, & quicquid tandem reliquiarum argento auroue inclusum erat uel tectum, abstulerunt, excussis nudis sanctorum reliquijs. Adhæc in Basilica D. Petri & ad pedes inibi altaris prope ducenti

Nemo tunc a censu Romæ potuit immunis haberi.

Bullæ pessundantur ac pedibus equorū substernūtur.

hominès occiſi ſunt inter quos complures Heluetij ſummi Pontificis ſtipatores fuere. Hoc itaq; modo inſaniendi, capiendi, cenſendi, expilandi, trucidandique, dierum quatuordecim ſpacio a Germano Hiſpanoque milite Roma ubique depopulata, ſpoliata, miſerrimeque afflicta fuit. Vtque omnia ſummo compendio dicam, omnis natio, Iudæi, Ethnici, Chriſtiani, tum pauperes, tum diuites, quicunque pecuniam ſuppetere poterant cenſebantur, affligebantur, loro, enſibus, haſtis, fuſtibusque impetebantur, ij uero qui præ inopia exactionibus impares erant & ob id numerare ſe non poſſe aſſererent, uerendis ſuſpenſi ſunt a militibus, aut alio ſupplicio affecti.

Calamitas magna Virginum decem annorum. Præterea reperti ſunt ganeones nonnulli, qui Virgines uix decem annos egreſſas circumuenerant, cum quibus libidinem ſuam explere poſſent, uerum præ teneritudine compreſſæ quædam ſunt & extinctæ, unde ſtrennui quidam milites ſummum concepere dolorem, ac tandem ex nimia illa animi perturbatione, proprijs ſeſe manibus peremerunt.

Super his Epiſcopi quidam, alijq; nonnulli Eccleſiarum præfecti, duriſſime manibus ad tergum ligatis (quod ſolet maleficis euenire) ex uno ad aliud diuerſorium, ſiue manſionem deducebantur, ludibrijs plusquam ſatyricis paſſim excipiebantur, donec impoſitum cenſum numeraſſent.

Violatio Virginum Veſtalium, earumdemq; raptus. Inſuper complures Venuſta ac liberali forma, ingenuæq; Virgines, ueſtales e monaſterijs, ab improbis militibus abductæ ſunt. Quidam aut Romanenſium proprias filias ære redemerunt, & poſt nefarium ipſarum abuſum, e manibus illorum numeratis pecunijs eripuerunt. Nonnullis uiginti, alijs triginta Ducatis huiuſcemodi redemptio conſtitit. Hi uero qui crebris exactionibus opes conſumpſerant, pecuniam pro redimendis filiabus inter milites querulosa uoce erogarunt. Adeoq; ſæuitum eſt in quoſuis ciues, ut abſq; ullo delectu & moderamine, diebus quindecim unicui pro libitu Romæ agera permitteretur. Contigit adhæc ut unus aliquis e ciuibus bis atque tertio cenſeretur, unde plurimi Romanenſes perterriti, clam aſſumptis tantum Vxoribus ac natis, omnibusque prædijs hoſti relictis, alij Venetias, quidam uero Anconam, nonnulli denique Neapolim, numerato prius cenſu fugerunt, ut uel ſic uulnera maiusq; ſupplicium, imo & mortem quam ſepius intentarant illis

illis hostes, euadere possent. Atq; ita Vrbs illa ab omnibus pariter honoribus maximis, summa itidem religione prosequuta, in summam desolationem & direptionem redacta fuit, ut uix ullum integrum ibidem ædificium extare reperias.

Quidam magni nominis uir, Romanus Dominicus Maximus uocatus, arreptus est, cuius duo filij annos nati circiter uiginti sex trucidati sunt, quod uim hostibus intulissent in tutelam ac libertatem parentis.

Interea Hispani quod notiores essent, domos splendidiores alio milite neglecto inuaserunt, magnates ibidem ui capiunt ac censent, posthæc libertati immunitatiq; restituunt & domum & hærum, pace, saluo conductu atq; tutela compromissis. Hinc inter alios pedestres milites & Hispanos facta contentione, post dies quatuor uel quinq;, in easdem domos irruunt, Hispanicas ibidem cohortes opprimunt, & quicquid raptu consequi potuerunt, secum asportarunt. Vnde profecto tam opulentus miles quisq; euasit, ut describi nequeat. Similem prædam tanq; preciosa spolia nullus militum intra millenos annos adipisci potuit. Nulla demum historia rapinam sic opulentam usq; commemorat.

Iurgium inter Hispanos & Germanos.

Vilissimi quiq; milites edebant quotidie spectacula ludosque Principibus dignos ad Basilicam D. Petri, & locum illum quem Campoflorum nominant, unde omnis calamitas inter ipsos & Hispanos originem sumpsit. Nam lucri gratia ac spe, alius alium circumuenire ad uulnera studebat, ita ut pleriq; in eodem illo loco uulneribus confossi conciderint. Prostabant quoq; tunc Romæ apud milites preciosissimi annuli, brabia, ornamenta, monilia, uniones, byssi ac serici magnus aceruus optimo ac uili satis precio. Nempe quod decem uel quindecim ducatis comparatum erat, non pluris quam unico licebatur miles ducato. Vici undique ornamentis direptis atque reuulsis abundabant, utpote thoris, culcitris, storeis, puluinis, lodicibus, linteaminibus, cortinis, auleis, uestimentisque prætiosissimis, alijsque rebus magnatum industria, tum impensis elaboratis.

Crucis imago quæ ad portam auream Basilicæ D. Petri fuerat magna cum religione erecta, inde fuit ablata, & in sancto D. Petri sepulchro pecunias quoq; quærebat auara ac dira militum manus.

Centuriæ aliquot, & procax militum turba, equis ac mulis insidentes urbem uicatim obequitabant quotidie, maxime secus arcem

Miles Papam sibi creat.

arcem Angelicanam. Inter quos unus in ludibrium & contemptū Pontificis Max. triplici corona refulgēs sacerdotali pallio eodem-que ornatu seu pompa quo solent Pontifices uti, adæquitauit, qui militibus undiq; in modum Cardinalium, Episcoporum uestitis, atq; mitratis stipatus erat, alijs tanquam pedissequis & ministris subsequentibus, cum tympanis ac fistulis. Vbi iam ad arcem tanq̃ asylum Pontificis, uel ubicunq; detineretur aliquis Cardinalium aut Episcoporum aliorumue Præpositorum, porrectis sanguine plenis manibus, benedictionem ut Pontifex præstabat. Subinde confictus ille & astu seu etiam sponte propria creatus Papa gestari sefecit, simulac cantharo uini recreari ante arcem uidelicet Angeli-canam, arrepto igitur Cantharo poculentum benedicit, & Pontifi-ci intra septa arcis illius abdito, bibit. Posthæc Castrensis hic Ponti fex uociferabatur: En inquit Lutherum ego successorem mihi ex-hibebo, & Papatu donabo. Cui placeret propositum tale, extenso erectoq; digito significaret uicissim. Sic Cardinales ipsius ac omnes fere Episcopi circunstantes suo confidto Pontifici digito appro-bant, uocem huiusmodi in aera ferentes: Sit Papa Lutherus. Luthe-rus sit Papa. Alius præterea miles Grunvuald appellatus, ex aduer-so arcis, personabat, Se quidem optare frustum ex corpore Ponti-ficis dentibus lacerare ac deglutire, quo sibi concederetur id nun-ciare Luthero. Similiter plurima inter se conferebant milites, quæ non adeo scriptu peregrina seu etiam absurda forent.

Sacratum & perantiquum Summi Pontificis Sacellum in Pa-latio situm, ubi cuncta Ecclesiastica munia siue officia, Missa uide-licet, uesperæ aliæq; præces eidem persoluebantur, in stabulum a mi-litibus redactum est, literas Pontificias quas Bullas uocant, equis loco stramenti substernebant. Principem exercitus Ducem Barbo nium qui in appulsu seu oppugnatione Vrbis sclopo extinctus fue rat, in Sacello D. Sixto nuncupato (in quo missarum solennia fre-quentare consueuerat Pontifex præsente Cardinale) deposuerūt. Proprium ensem (more Principum) suo pectori applicuerunt, & in hunc modum tumularunt.

Inter alia uero damna quibus urbem truculentus sæuissimus-que miles afflictauerat, istud maximum nec minus deplorandum est, quod uidelicet splendidissimum archiuū siue bibliothecam ad S. Petrum in Vaticano, demoliti sunt, amplissimam inde secum in-signium maxime uoluminum rapientes dissiparunt, minutatim conci-

conciderunt, ac demum ignominiosissime destruxerunt.

Omnis autem hæc tragœdia, calamitas, & abominatio militum atrocitate & insolentia patrata, Cæsarem omnino latebat. Nam posteaq̃ cladem hanc resciuit, plurimum condoluit. Vt enim hoc triste nuncium Cæsar in Hispanijs degens accepit (teste Sleidano) omnem e uestigio animi oblectationem, iubilum & tripudia, omnem deniq; ouationem, quam in congratulationem nati Philippi Cæsaris filio instaurabant, interdixit. Sleidanus.

Curauit igitur Imperator Carolus quamprimum potuit, ut Pontifex Max. cum uniuerso Cardinalium ibidem cætu pristinæ libertati ac gradui restitueretur. Quod equidem Luterastros pessime habuit, ex quo Euangelico ipsorum prouentui diutius inuigilare inhiareq; non concederetur. Ex actis Lutheri.

Homo quidam senex circa Senonas natus, Ioannes Baptista nomine, qui annis aliquot Romæ ad cingulum usq; nudatus, quandoq; lintheo amictus, domos mendicatum circuierat, ipso die Iouis ante Parasceuen Paschæ, cum cœnæ dominicæ solennitas recoleretur, & Bulla quæ tunc legi consueuerat, pronunciaretur, in Basilica Diui Petri magno cum eiulatu sedens, & ad imaginem ibidẽ Diui Petri magnæ molis ascẽdens, in hunc modum ad Pontificem, Cardinalium quoq;, Antistitum, & Præpositorum gremium uerba facere exorsus est: Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, Ecce modò tempus, a maligno uestro discedite proposito, peccatis renunciate, uitam emendate. Quod nisi confestim fiat, totam hanc urbem concitabitis. Conuertimini, temporis urget necessitas, furor Domini Dei uobis impendet. Sermonem hominis illius refutarũt, quasi deliri cuiusdam senis. Alij ex Principibus stultitiæ ascribebant, quæ multum garrula est & loquax, liberrima ad enunciandum quiduis. E contra mendicus ipsorum sententiæ sic occurrit: Ego inquit delirus non sum, quin potius Dei iussum uobis enuncio, & coram testatum iri nunc uolo, quod tempori seu tempestiue pœnitentiam indixerim. Nihilominus pauperis illius oratio tanq̃ stulta habita est, & explosa. Breui post, ipso sacratissimo Paschæ festo, ad eundem locum comparuit, & clara uoce palam dixit; Conuertimini, conuertimini, alias per uniuersam Romam, innocens cum impio periturus est. Præsagium hominis senis

Super hæc uerba ad carceres miser quasi phanaticus rapitur. respondit autem homo ille; Non ita dudum captiuum me habebitis, at

tis, at uestra in me potestas finietur ocius.

Post breue dierum curriculum hostes urbem concito ac uiolento appulsu opprimunt, ac mendacium illum uatem e carceribus liberant. Qui deuastationem considerans, & huc illucq; spolia deferri ac distrahi, milites sic est affatus: Charissimi sodales en tempus uobis exoptatissimum adest, expoliate, compilate omne quod præ manibus est, cæterum uos hæc omnia oportet euomere. Vaticiniū istius hominis expletum sic est. Nam pestis hostium castra inuasit, quam si quis alioquin euasisset, spolia tamen extra gallias efferre secum nequiuit, simulac corporis & uitæ solicitare debebat incolumitatem. Hinc plurima militum pars est extincta, Domino eminus in Cœlo contra eos pugnante.

Milites a Deo castigantur. Sicq; euenire oportuit, uti mendicus ille præsagierat. Restituere & quasi euomere quod abstulerant, debebant. Quoniam iniquitas nec diuturna est, nec solida, neq; militando feruido ac sanguinolento marti quisquam ditescit. Sanguis nempe uiduarum ac pupillorum uindictam a Deo requirit, ualido ac iugi clamore.

Sleidanus. Sub id temporis suscitabat procreabatq; Lutheri dogma uarias sectas, & fidei noua monstra, Anabaptistæ nimirum qui paruulorum baptisma confutant & abnuunt, Catabaptistisma subintroducentes, rerumq; omnium absq; delectu communitatem profitentes, extitere præcipui. Horum unus collega ad Sanctum Gallum Heluetiorum coram patre atq; matre fratrem Germanum ense suo decollauit, quibus ille persuaserat, huiusce generis homicidij a Deo sibi impositum esse.

Accidit interea magnam passim fieri per Heluetiam promiscuæ plebis conuentionem ad trecentos usq; qui sane ausu temerario atq; lymphato eminentiorem montis portem conscenderunt, ac si corpore animoque in cœlum euolare uellent. Hos malignus ille Dæmon intantum dementarat, ut omni humano pudore exuti, congrederentur, concurrerent belluarum more, huiusce modi con*Acta Lutheri.* gressum esse necessarium existimantes. Quoniam librum prodiderat Lutherus, in quo scribit. Non minus Vir mulieris congressu, uel econtra carere queat, quam poculento somnoq;, nisi forsitan secius aliquid singulari ac rara Dei solius beneficentia contingat. Huius autem generis Lutheranicum deliramentum, pluribus usq; *In libro de uita coniugali.* probissimis mercatoribus graue fuit, quippe qui annis ac diebus aliquot a thoro coniugali abstinere non aliter queant, quam quotidiana

tidiana refectione siue per somnum siue per escam uidelicet carere, atq; adeo aut sane maritum aut uxorem protinus mechati oporteret.

In Sueuia quidam extitit, qui diceret Christianam nostram fidem terminari, ac aliam deinceps legem successuram. Quia quemadmodum lex ipsa Mosaica mille & quingentis annis durasset, sic etiam nunc legem Christi terminandam abrogandamque fore. Quamobrem subinferri nouam & legem & fidem debere. *Impostoris per Sueuiam exitialis ac diabolica plane doctrina.*

Plura huiusce farinæ stulta ac impia quotidie succrescebant dogmata, tamq; uaria, ut etiam magistratus cogeretur tales hominum peruersores tum carceribus, tum gladijs, tum ignibus castigare.

Rottenburgi ad Nicerum fluuium Monachus quidam apostata, Michael Sellerus uel Sedlerus nomine, uulgum passim illic seducebat, docens, In augustissimo Altaris Sacramento ueritatem Corporis ac sanguinis Christi Iesu nequaquam inesse.

Infantes temere baptizari. Iuramentum non esse præstandum, etiamsi hoc ipsum a superiori potestate exigeretur. Turcis non esse resistendum, nec inuocandos Diuos &c. Hic igitur Michael die decimo septimo Maij morti adiudicatus, & a lictore comprehensus, primum blasphema lingua priuatur. Dein sæpius ignitis forcipibus discerpitur, ac tandem flammis ad cineres usq; consumptus est. *Blasphemus Apostata Sacramentarius, dignas pœnas suo scelere dedit.*

Quum ergo Lutherus exploratum haberet tam prodigiosas & peregrinas e sua Doctrina sectas exoriri, stilo in anabaptistas, Zuuinglium & Oecolampadium cohæreticos inuehi cœpit, & contra, Zuuinglius, Oecolampadius cum asseclis ipsorum in Lutherū, sicque mutuam inter se uelitationem exercebant, unde quotidie recentes sectæ & scriptores succedebant, qui tamen omnes sibimet inuicem aduersantur, nisi quod insimul pari uoto, eademq; sententia, ijsdemque machinis Christicolam Ecclesiam persequantur; in quo sane primum ac maxime consentiunt, alias inimicissimi. *Dissensio inter Hæreticos, ex pugna dogmatum.* *Eorundem cōsensus in persecutione Ecclesiæ.*

ANno a Christo nato millesimo, quingentesimo, xxviij. Traiectum Hollandiæ, omnia uidelicet loca, ac dominia huic competentia atque subiecta, potestati Burgundicæ fuere adiecta. Videlicet Henricus Comes Palatinus, idemque Præsul Traiecteñ. plurimis angustijs a Carolo Gelriæ duce sæpius attritus, quemadmodū *An. 1528.* *Munsterus.*

 antea

antea quoque sui Præcessores, suppetias perquirit, quas cum ab Imperatore Carolo quinto Duce Brabantiæ nactus esset, & opportuna præsidia obtinuisset, consilio & unanimi assensu utriusq; status seu primorum totius suæ Diœceseos, tam Ecclesiasticorum quam Laicorum, annuit, ut Traiectum una cum toto sibi competente iure, & quicquid inibi dominiorum esset, deinceps Carolo Cæsari ac hæredibus, Brabantiæ nimirum Ducibus, & Hollandiæ comitibus cederet. Spiritualem tantum Iurisdictionem sibi suisq; successoribus idem Antistes reseruabat. Huic autem stipulationi ac donationi Pontifex Maximus subsignauit, approbauit, & corroborauit.

Traiectum Inferius Domui Burgundicæ adijcitur, eiusque paret ut nunc imperio.

Sebastianus Franck.

Anno eodem, ipsi Diui Petri & Pauli festo, circa Vespertinum officium, grando maxima ex improuiso tempestate exorta, Augustæ Vindeliciæ oboritur, tanto cum impetu atq; procella, ut multi iam ruinam totius Ciuitatis timerent. Nam coegerat seseq; ingesserat coaceruatim ipsa grando, quasi lapides & bellica tormenta, quæ magnum in obiectos aggeres fragorem & ictum per aera referunt. Vnde nouum ac inauditum detrimentum circumcirca euenit, Seges omnis ibidē, fruges, arbores ac robora, passim & uitreæ, fenestræ, dissipata & comminuta sunt.

Conradus Lycosthenes.

Tempestate Augusta funditus fere collapsa.

Tres soles Tiguri hoc eodem anno uisi sunt, triplici circino cincti, præsagia utiq; caritatis annonæ. Nam post breue homines illic tam graui annona, præsertim autem pœnuria carnis sunt conflictati, ut etiam boues ex Vngaria eo deduci opportuerit.

Prognosticum famis Tiguri uisum.

Sub huius autem anni initium, Zvuinglij, Oecolampadij, Buceri, & asseclarum instinctu, sed Monachorum quorundam peruersorum suasu, Bernis est instituta Disceptatio, qua huiusmodi aliquid definiebatur, quod sane Catholicis & religioni Christianæ nouum & inauditum erat, nimirum, nihil ibidem asserendum esse, nisi quod manifeste uel expresse, sacris Biblijs contineatur, atque adeo nemo Catholicorum recipiatur, dempto ibidem Augustinianorum Prouinciale.

Acta Lutheri.

Hæc tibi Sleidanus at parū fideliter narrat.

Bernensis disputatio quomodo Catholica, quæ uiros Catholicos excludit?

Episcopi quoque huiusmodi rem adornarunt, nullis e suis illuc destinatis, quum nuper ad Disputationem Badensem (cui tamen intererant Viri complures longe doctissimi, qui & omnem sinistram opinionem & controuersiam inter se conciliarant & explicarant) Zvuinglius & eius sequaces cōparere noluissent, quemadmodum

admodum paulo superius memoratum fuit.

Adhæc themata de quibus apud Bernates tum temporis disceptandum foret, adeo impia & erronea, quinet Catholicæ Christi Ecclesiæ consuetudini a temporibus Apostolorum promulgatæ & ad nos deuolutæ in tantum aduersa, ut ne unum quidem hominem sine œcomenico concilio deceat addubitare, aut sane quod maius est, in controuersiam rapere. *Qualia Bernensium themata.*

Propterea Heluetiorum pars alia Catholica & fidelis adhuc, Lucernates uidelicet, Vrani, Suicij, Vntervualdij, Tugiani, Glareani, Friburgen. Solothurnij, ad Bernates literas destinant, grauissimisque uerbis, ut a proposito suo desistant hortantur, a quo fœdus & pacta non ita pridem inita reuocarent, adducta in medium Disputatione Baden. quam illi tanquam præcipui probassent & commendassent, simulac nullam Rempublicam aut nationem decere, religionem aut etiam disciplinam immutare, sed hoc ipsum potius ad Vniuersale concilium referendum esse. Sicque rogabant eos, ne tale facinus committant, nec a paucis extraneis in errorem se præcipitari sinant, quin potius in ea fide quam ipsi, ipsorumque parentes atque maiores obseruassent, in qua tantam nominis gloriam essent consecuti, in qua suos limites in eum modum amplificassent, in qua tot trophea tulissent ac statuissent, constanter perseuerent. Equum fore, ut huiusmodi ab illisipsis obtineant. His igitur qui antea ad Disputationem Badensem accersiti non comparuissent, & quadam ex parte præ contemptu & fastidio emansissent, non credant nec auscultent, adhæc neque se quenquam eo mittere, neque suis ut eo proficiscantur uelle permittere.

At nihil his omnibus Bernates commoti pergunt, & ad præstitutum diem (qui erat septimus Ianuarij) institutam actionem prosequuntur, quam cum ad effectum illi perduxissent, non solum ipsi, uerumetiam quidam alij Missæ sacrificium, imagines, omnes præterea Ecclesiæ Christi cærimonias passim abrogant. Quos sequuti Genuenses & Allobroges, non modo Lutheri dogma, quinetiam cæterorum Sacramenta Christi nefarie cōtaminantium & deuastantium, quibus alioqui Lutherus ipse refragabatur, susceperunt. *Bernatum cōtumacia.* *Genuensium apostasia ab Ecclesia & fide Catholica.*

Cæterum ubi animaduerteret Cæsar ut etiam supra dictum

eſt Gallum uidelicet nihil eorum quæ in captiuitate ſibi ſanctè promiſerat, præſtare, iniuriam hanc Cæſar ipſe pertæſus, ad alios Principes & Heroes, Galliæ Regem defert & querelam deponit: Quapropter Rex uiceſimo octauo die Martij, in hanc ſententiam ad Cæſarem ſcribit: Intelligo te quædam machinari quæ damnum & ignominiam mihi generent. Si quippiam eſt quod ex me ægre feras, locum certaminis mihi uelim deſignes, ubi duelliū inter nos ſolum cominus ineamus, quia hoc genere pugnæ, diſſidijs finem imponemus.

Gallorū Rex duellium Cæſari denūciat.

Hoc ſcriptum Cæſar menſe Iunio acceperat, & die uiceſimo quarto menſis eiuſdem, reſponſum per caduceatorē ſuum ad Regem legat, ubi in hunc fere modum ſic agit Cæſar:

Non te propterea accuſo, nec ideo tecum expoſtulo, quod domum ſis reuerſus, quoniam id meapte ſponte contigit, quin potius ob id reprehenſione te dignum iudicaui, eo quod non redieris in meam poteſtatem captiuus, ſicuti interpoſita fide ipſe mihi addixiſti te facturum, niſi leges pacis exequereris, ut quidem idiographo, & obligationis literis tua manu ſcriptis doceri manifeſte poteſt. Hoc autem ſi præſtitiſſes, utiq; quod probum uirum & generoſum Principem decet, feciſſes. At uero cū in iſto fidem uiolaris, & initum fœdus trangreſſus ſis, bene ac ueraciter enuncio, te ipſum turpiter ac improbe geſſiſſe. Et quoniam bellum mihi denuncias, ſimulac locum ſtratagemati opportunum per me ſignificari tibi uelis, non diſplicet nec tergiuerſari uolo, ſed ad flumen illud quod inter Fonterabiam & Andæam labitur, locum pugnæ conſtituo, quem profecto nullatenus reſpuere debes, ſiquidem ſi ante biennij ſpatium ei tuamipſius ac liberorum tuorum ſalutem credidiſti, tum uidelicet quum libertati reſtitutus domumque reuertens, illos mihi obſides poſuiſti, poteris & nunc te ibidem ſecure continere. Porro ne multo tempore poſtulatum negocium plus æquo diutius differatur, placet utrinque Viros generoſos & huic negocio aptos eo mitti, qui ad locum deſtinatum conueniant, luſtrent, & quem uelint ibi deligant, & quibus denique armis quoue die integrum uideatur congredi conſultent atque definiant. Quod ſi intra dierum quatuordecim curriculum, poſt acceptum hoc ſcriptum, animi tui ſupra hac re ſententiam reſponſione non exprimas, omnis tunc culpa dilationis in caput tuum redun-

Cæſar Francorum Regi locum præliādo non ineptū aut incōmodū aut deniq; ſuſpectum aſſignat.

red[illegible] uerit, omnem ipsuper ignominiam, & ad illud prius irritæ fidei crimen referetur. Han[illegible] p[illegible]tolam[illegible] tradebat Cæsar suo præconi, ut Legatione fungatur in [illegible]rancia, mandat Regi epistolam dilucide prælegat. Quod si Rex non admittat, sed auscultare legentem recuset, ipsi potius legendas exhibeat, præcipit. Vbi uero præco talibus mandatis dimissus a Cæsare Parisios appulisset, & Rex magna caterua procerum ac dynastarum st[illegible]patus consedisset, accedentem Præconem interrogat, si Duellij formam nunciatum uenisset, respondit, ita simul etiam habere, se quod ipsi ex nomine Cæsaris significet, sibiq; impositum, ut coram Epistolam reciter, aut illā ipsi exhibeat, proinde postulat hoc ut sibi Rex permittat. Qui cum nō ignoraret quodnam Cæsar in eo requireret, nec uellet scriptum Cæsaris palam enunciari, communicatis aliquot cum Præcone uerbis, diu loquentem præconem nec audire, nec epistolam recipere uoluit.

Antea quidem enarrauimus quomodo Religio post disceptationem Bernensem passim in diuersum, & plane contrarium redacta sit statum. Nunc uero occurrit quod Argentorati euenisse constat. Nam Argentoratenses nouitatis quoq; cupidi, catholicis concionatoribus munus & authoritatem in Ecclesia prædicandi auferunt. Tunc cauit Episcopus obsecrans crebris literis & internuncijs ipsum magistratum, ut in Religione quā maiores coluissent, perd[illegible], nec falsis apud eos concionatoribus acquiescant, contestatur quoq; qd periculi alias inde queat emergere. Rogabat præterea idem ille Præsul Senatum Cameræ Imperialis manētem tunc Spiræ, ut sese Argentoratensibus opponant. Nuncium itaq; constans & graue circa finem Decembris Senatus ipse legat, & cupit ne Sacrificium Missæ abrogent, quia ne ad Cæsarem quidem aut etiā ordines Imperij attineret in aliquo autenticam religionem, & a Patribus sanctissime deriuatam immutare, sed ad œcumænicum aut ad minus nationale concilium. Quod si uero concilij huiusmodi contationem ægre ferrent, saltem proxima Comitia expectarent, ubi petitionem exhiberent, se minime addubitare, quin iustam illic responsionem obtinerent. Porro Ius ipsum uetera ne singularis aut priuatus alicubi magistratus tollat, quod communi totius orbis consensu & applausu definitum sit.

Permutatio nem Religionis Argentoratenses cum cæteris inse recusant.

Haud ita longa, anteaq̄ hæc gererent, intercedēte mora Episcopus Hildesheimeñ. adfuerat, q̄ noīe Cæsaris uicissim idē rogabat.

Nam

Nam Cæſar ipſe Concilium nationale in Germania coge[illegible]uiſſet. Magiſtratus autem poſtquam duobus annis & ulti[illegible] ambiguo ſtatu permanſiſſet, concionatores quoq; nouorū [illegible]g[illegible]atum conſtanter ipſis prædicarent, & pertinaciter adhærerent, ita ut illorū nomine Ciues ſupplices offerrent libellos, pro antiqua conſuetudine omnes illos ad ſe conuocat, in rebus adeo magni ponderis atq; momenti aliquid promouendi gratia, aut exequendi. Omne igitur negocium præſentibus exponit, & cum in utranq; partem multa ac uaria in medium attuliſſet, ſignificauit inſuper etiam Magiſtratus ipſe, quidnam metuendum a Cæſare reſtaret, ſi priſcos Eccleſiæ ritus pergant abolere. Dies igitur ac certum deliberandi ciuibus illis tempus præſcribitur, roganturq; ut in contribules domos diuertant, & conſilium ineant, quo deinceps quando nimirū requireretur, poſſet tunc ex unanimi eorumipſorum uoluntate atq; conſilio aliquid determinare. Præfixo itaq; iam tempore, auitæ pietatis cultus ſeu religio refellitur & exploditur die uiceſimo Februarij, Bucero cæteriſq; Monachis apoſtatis concionandi munere tributo atq; commiſſo.

Argentorenſes indurati contemptis omnibus, Bucerum inimicum Eccleſiæ ſequuntur.

Hoc etiam anno, pridie nonas Auguſti horrenda & deploranda Baſileæ oborta fuit tragœdia. Inſignis quippe ac opulentus ibidem ciuis Chriſtophorus Bomgartnerus uocatus, Eliſabetham coniugem uehementius deperire famulum quam ſeſe ſuſpicatus eſt. Hac itaq; periculoſa ſuſpicione & proprie zelotypia laborans maritus ille, miniſtrum ſuum quaſi corriualem ratus in oppidum mittit debita repetitum. Qui cum abijſſet, cubiculum ipſius herus ingreditur, ad indagandum, ſi forte ſuſpicionis ſuæ ac zelotypiæ indicia certa repereat. Ligamina tandem ſerica uidet quæ ad eum pertinerent, uxorem confeſtim aduocat, interrogat ubinam miniſter ſerica huiuſmodi ligacula, & ſericas faſcias crurules aut alias nactus eſſet. Fatebatur mulier quod ipſa dediſſet illi. Tunc arreptum pugionem pectori mulieris obijcit, ac minatus dicens, modo ueritatem ipſam fateatur, nihil eſſe periculi, ſin autem neget, & rei ipſius ueritatem diffiteatur, manibus illius interficiendam eſſe. Et quo audactius mulier rem ut erat confiteretur, ſic inquit: Et ego adulter ſum, teq; adulteram ſuſpicor, ſed ſuſpicionis huius nullum certum ſaltem argumentum habeo. Licet autem infœlix iſta mulier multum eſſet perturbata tanti flagitij ſibi conſcia, & admodum ægre fateri uellet, minis tandem atq; inſtantia ſui mariti ſuperata, ceſſit, ſeſe

Ex actis Lutheri.

Horrenda tragœdia.

prodit,

prodit,ac ministrum riualem suum agnoscit. Maritus ergo illæsam a se dimittit,quæ in Pagum Prattelen appellatum,ocius fugit ad ædes suæ sororis. Affines & consanguinei cognito negocio cum marito transigunt,& uindictam deprecantur,obtestantes ut indulta gratia commisereatur atq; remittat. Maritus simulat quasi iam remisisset.Bene hinc inde persuasa coniunx domum reuertitur,comitata ac fulta amicorum præsentia, qui pariter a Viro humanissime excepti, hilarius inde domum discesserunt. Eadem nocte se talem uxori præstabat,ac si iniuriæ oblitus,omnem quoq; culpam integre remisisset. Similiter & die sequenti prandium cum reconciliata quasi,sua coniuge,sumpsit.Quo peracto pedissequã ad templum mittit,concionem auscultandi causa,proles emptum pira foras emittit.Clauso & obserato iam ostio,uxorem multum grauidam arripit,& exempto gladio eam transuerberat, & puellam uix quadrimulam trucidat.Tunc epistolam ad Senatum parat, his uerbis conscriptam:Se adulteram quidẽ ut ipsa quoq; fuerat ante confessa,digna morte castigasse, Puellam filiolam interemisse, propterea,ne uiuenti quis matris adulterium ac patris homicidium exprobraret.Semetipsum uero proprijs manibus in præcipitium egisse, ut miseriæ suæ finem daret. Hoc desperati hominis sæuissimi hostis in coniugem natamq;,deniq; & in seipsum,scriptum,subligaculo cruruli,idem ipse illigarat,moxq; ad summam domus suæ partem cum peruenisset,tertio nomen Iesu exclamat,simulac sese præcipitat,tantoq; cum impetu in terram collapsus est ut cerebrum per plateam dispergeretur.Quæ cum Iudici innotuissent, quod uidelicet propriam coniugem,filiam,ac tandem miser ille seipsum occidisset, cadauer adiudicat ac damnat crurifragio ut ita dicam. Hoc est, ut sic membratim ipsius ossa rotæ imposita comminuantur, quemadmodum latronibus fieri consuetum est. Posthæc cadauer undiq; mutilatum,ac dolio iniectum, in Rhenum ibidem mergitur.

Vltione diuina latrociniũ tyranni uindicatum.

Sub idem istud tempus Saxoniæ Princeps, & Hassiæ Lantgrauius Philippus,contraxere militum copias & ad pugnam uires instruunt, quia Doctor Otto Pack iurisperitus,Georgio Saxoniæ Duci a consilijs,at Luthero deuotissimus fautor,ipsum Lantgrauiũ nuper cum ab eodẽ ad colloquium esset admissus,ut sibi caueret, monuisset, eo quod breui Rex Ferdinandus, Marchio Brandeburgicus,Saxoniæ Dux Georgius, Vuilhelmus ac Ludouuicus fratres

Ex sola suspicione confœderationis ab Ottone Pack cõposita, Duo Principes Saxoniæ ac Hassiæ manu ingẽti bellũ in Catholicos proceres admoliuntur.

tres Bauariæ nimirũ Duces, deniq; & Moguntinus, Saltzburgensis, Bambergeñ. & Herpibolensis Episcopi, fœdus iniissent, ut & illum, & Saxoniæ Ducem Electorem persequantur atq; disperdant, una cum iis omnibus qui nouam sectarentur Religionem. Et quo fidem uerbis suis adhibeat, confœderationis formulam ostendit, imo uero ipsissimas literas spondet se exhibiturum.

Interea uero quod exercitum illi conscriberent, unusquisque quid tandem fieret considerabat. Nam huc atque illuc fama diuersa ferebatur, ut solitum est fieri.

Rebus itaq; omnibus ad militiam necessariis & accõmodis præparatis, literas ac nuncia passim ad omnes dirigunt, confícti fœderis exemplar quale nacti fuerant, circumcirca promulgant, datis insimul literis, quibus significabãt, ipsos uicissim pactum iniisse, quod etiam per internuncios declarassent, atque hoc equidem modo propositum ipsorum uicinis prouinciis communicabant. Cæterum hi quos insimularat Otto ille, coniurationis in Pincipes istos ab hac suspicione & obiecto crimine purgabant, quisq; per literas palam æditas, & productis rationibus liquido demonstrabant, omnem hanc tragœdiam ementitam esse, nec aliquo diuersum indicio posse doceri. Sed horum omnium maxime Georgius Saxoniæ Dux, Socer Lantgrauii molestius ferebat. Ob id Lantgrauium urget, ut impulsorem designet, alioquin uellet illum tanquam authorem incusare & habere, quo nimirum Germaniam perturbare, lacessere & doloribus atterrere queat. Primo autẽm assultu adiacentes Episcopos inuadere decreuerant, qui propterea summa qua poterant celeritate militum manum contra hostium occursantes turmas colligunt.

D Pack dolosus impostor, et mendax zoilus.

Postea uero quam Otto Pacf. autographum seu originales illas literas ut Lantgrauio promiserat reddere non ualeret, cepit is nonnihil remissius agere.

Ad extremum uero interuentu Ludouici Comitis Palatini, & Richardi Episcopi Treuirensis dimissi sunt exercitus, ea tamen lege, ut Episcopi (quantumuis etiam se ab illa iniqua & falso conficta confœderatione abunde satis excusauerant) Lantgrauio ad subleuamen impensarum pro collecto & authorato exercitu, centum & uiginti florenorum milia numerarent.

Moguntia

Moguntinus quippe sexaginta, Herpibolensis quadraginta, Bambergeñ. deniq; uiginti milia florenorum contribuit. Cum autem posthæc ad diem præscriptum legationes Principum (quæ non parum sane memoratæ causæ conducebant) iam conuenissent, fidefragus Otto sistitur, doli atq; præfidiæ plane conuictus, patrocinio Lantgrauij illæsus dimittitur. Et posteaquam proscriptione damnatus, nusquã requiem securitatemq; consequi posset, uagus & exul in Flandriam secessit, ubi tandem capite plexus, in quatuor partes discerpitur.

Pax Episcoporũ thesauro recuperata, quã Otto legis doctor & Lutheraster confictã formula quadam cõspirationis perturbarat.

Quod autem memoratus Otto cum Luthero, eadem sententia, & coniunctim inter se, principes ad stratagemata & contentiones instigarint, aliosq; Catholicos proceres falso detulerint, ac si conspirassent in perniciem eorum quos ante memorauimus, facile perspici potest, ex literis quas ipse Lutherus, ad suum dedit asseclam Vuencesalaum Linc uidelicet, Monachum etiam Augustinianum Apostatam. Et quo istius rei ueritas magis, et euidentius elucescat, rem ut gesta est describere uolumus, ex literis procerum Catholicorum apologeticis, quæ tunc typis excusæ fuere, sigillo gloriosæ memoriæ Georgij Ducis Saxoniæ communitæ, quarum exemplar unum in rei perpetuum testimonium penes nos conseruauimus, hoc ordine uerborum constantium.

Acta Lutheri.

Sleidanus hic conniuet.

QVA FORMA NOS GEORGIVS
Dux Saxoniæ, Duringiæ Lantgrauius, Marchio Misniæ, propter confictam nuper à Luthero conspirationem siue confœderationem temere, scripto sumus traducti. Cui nostra uicissim, subijcitur responsio.



VONIAM nos antea quasi primi ac præcipui huius ementitæ conspirationis, quæ in generosissimum Principem, charissimum nostrum affinem, Patruelem & filium D. Ioannem Saxoniæ Ducem ac Electorem &c. Dñm item Philippũ Hassiæ Lantgrauium &c. esset suscepta, simus delati & accusati, idcirco apologiam prorsus hæc res desiderare uidebatur typis exprimendam, simul ac defensionem contra memoratum illius eiusdem conspirationis temerarium ac falsum delatorem, Ottonem Pac uidelicet, atq; adeo nostra integritas seu potius innocentia cunctis innotescat, ut nemo probus aliq̃

Apologia Ducis Georgij pro conficta cõspiratione.

 rationem

rationem fide dignam habeat, aut etiam habuerit ad minimum asscribendi nobis seu obijciendi, quod nosipsi interdum de eo proposito, cuius mentionem facit, confictum foedus, consultauerimus aut deniq; tractauerimus. Vt interim sileamus quod ne quidem illud in aliquod symbolum uel exemplarem formulam ea de re redegerimus.

Idcirco non immerito sane apud quoscunq; excusari debemus a suspicione criminis admentiti, impositiq; nobis a multis, aut etiā detractione, deniq; a prolixiori defensione quam solum breuiter absoluimus.

Nihilominus quum Martinus Lutherus nostram integritatem & candorem equanimiter tolerare nequiuerit, contumaci laborans aduersum nos inuidia, nec uelit omnino ueritatem nostræ sinceritatis fateri, quin potius scripto iniquam hanc confœderationem passim nobis adhuc obijciat, atq; ita laboret populo persuadere ac inculcare, considerantes quoq; hunc uirum absq; omni delectu ac suæ dubiæ & ancipitis professionis respectu, in offendiculū profecto multorū agere, quū inquam hisce incōmodis urgeamur, necessitudo rei nos cogit, huiusmodi nihil dissimulare, aut tacere, nulla responsione annexa, uerum plurimis significare, quo in statu seu etiam nixu Lutherus ipse in suo proposito sese gesserit.

Scribit igitur ille in præfatione libelli super Mandato Reuerendissimi in Christo amici nostri singulariter dilecti D. Ioannis Episcopi Misnieñ. in hunc modum: Oportet autem Principes nostros Lutheranicos non comparere, imo unumquenq; hominum, ipsis se præbere hostem, ac præterea nouas proditiones ac confœderationes in eos ipsos moliri, quorum post modum eosdem illos pudere debebit. Quemadmodum etiam alias Moguntiæ determinarant.

Ex quibus uerbis facile quiuis intelligit, eum hanc confictam tragœdiam succendere & inflammare, atq; ita populo perlibenter suadere, ut credat, saltem adumbrate ac tecte, & in genere, ut si forte rationem redditurus esset uerborum istorum, dicere posset, Se quidem hanc confœderationē non censuisse aut designasse. Quamobrem neq; nos uerba ipsius prius assequi potuimus.

Deinceps uero & paucos ante dies, epistola Latino sermone cōscripta nobis est tradita, ubi Lutherus ipse ad Vuenceslaum suum, Nurenberge desidentem, non tantum ea tractat, quæ somniatam

illam

illam conspirationem concernunt, sed insuper etiam in nostram apologiam & personam conuitiatur, quod sane uehementius eandem nostram Apologiam adoriri coegit. Epistola sic sonat:

Optimo ac pio Viro Vuenceslao Lincko, in Euangelio Christi seruo, suo fratri Nurenbergæ degenti.

[illegible] & Pax. Nouarum rerum plus accepisti, quam ipse scr[illegible] tibi ualeam. Confœderatio impiorum Principum, quam per[illegible]t, uides quantam commotionem fecerit? Verum ego pro ag[illegible]e, frigidissimã Ducis Georgij excusationẽ accipio. Nunc uer[illegible]ciantur factum, excusant, uel fingunt. Scio tamen certissime quod fœdus illud inane nihil sit aut aliqua Chimera, licet mirũ sit, & satis dimirandum. Toti orbi manifestum est, eos proposito, ipso et iam facto, mandato, pertinaci studio atq; labore hactenus illud ipsum aperte tentasse, fecisse, etiam num facere. Quod enim Euangelium extirpare funditus atq; delere, uelint, nemo potest negare. Quid tua interest? qui haud dubie omnia hæc certissime tenes. Saltem hæc refero ut intelligas, neq; nos impijs fidẽ adhibere, quanquam nos ipsi pacem illis offeramus. Disperdat Deus, Morotaton Moron, q in morẽ Moab audet supra q̃ ualeat, & suis uiribus maiorem superbiam edit, quemadmodum semper fecit. Rogabimus contra istos Homicidas, hactenus saltem remissionem dignentur. Si uero aliquid ausint denuo tentare, Deum inprimis orabimus, ac dein Principes hortabimur, ut absq; ulla commiseratione tractentur atq; perdantur. Nam insatiabiles illi sanguisugæ quiescere nolunt, donec Germaniam cruore commadere cernant & experiantur. Nos modo in uertendis Prophetis uigilamus. Ah Deus, quam ardua & tœdiosa res ista est, nimirum, Hebræos scriptores cogere theutonicum idioma sonare. Eos urgemus, nec tamen indolem Hebraismi deserere uolunt, aut Germanos rudiores imitari. Quemadmodum non si philomelæ siue lusciniæ modulanti suauiter, Cuculus inamœna & crassa uoce obstreperat, cõtinuo naturale melos deserat, ut cuculum imitetur. Vale, Deo nos tuis precibus cõmenda. Dominica post Barnabæ Anno M.D.xxviij.

Martinus Lutherus.

Tametsi modo ex ipsa dictatione, alijsq; circunstantijs, inuestigare sit hoc scriptum ab eo profectum esse, nihilominus tamen

intermittere noluimus, quin huiusmodi penitus illi communica-remus, si fortasse statuisset in eiusmodi scripto perseuerare & mor-dicus persequi. Cui aliam interprætationem, & excusationem ex-hibeat, & quid eum ad id impulerit, exponat, literis ad ipsum mis-sis desiderauimus, in hæc uerba quæ subiecta sequuntur.

Dei gratia Georgius Saxoniæ Dux &c.

Ad manus nostras literæ, quas tu ad Vuenceslaum Linckum Nurenbergam uersus non ita pridem transmisisses, die hesterno pro dato, deuenerunt, quemadmodum hoc ex inclusis potes disce-re. Quamuis autem nunc his credere possemus, necessitas tamen no-stra exigit, quærere abs te num res se ita habeat ut ex istimamus. Cu-pimus igitur, uelis per præsentem ueredarium perspicue scripto testari, utrum tale scriptum, tenore inclusi illius ad supra memora-tum Linckum dederis, ut sciamus qualiter decernere in causa hac debeamus. Datũ Dresdæ feria quarta Simonis & Iudæ An. &c. 28.

Martino Luthero Vuittembergæ moranti
tradantur in manus.

Existimabamus eum ad minus iuste magis (quia merã ipsam ueritatem resciscere optabamus) responsurum, adiecta simplici ali-qua affirmatione, uel negatione, ita uidelicet uel non. Cæterum re-sponsionem accepimus uagam atq; prolixam, ad seriem sequentiũ.

ILLVSTRISSIMO, MAXIMISQVE PRO-
gnato heroibus, Principi ac Domino, Domino Georgio
Saxoniæ Duci, Duringiæ Lantgrauio, ac Misniæ
Marchioni, Domino meo Cle-
mentissimo.

GRatia & pax in Christo, Literas tuæ Illustrissimæ Clementiæ accepi, quibus tua Illustriss. Cle. exigit a me propter epistolã quoddam, responderi sibi, nimirum, an ego istius scripti conscius sim. Breuiter itaq; respondeo. Posteaquam T. Il. C. patientiam & longanimitatem in me compertam habeat, quam usq; nunc inte-gram mihi seruaui super prohæmio in nouum testamentum Em-pseri, ubi uehementius acerbiusq; scripta nostra conuelluntur ac refelluntur, & statuerim etiãnunc patienter agere in huiuscemodi

negocijs,

negocijs, habita ratione maxime grauissimeq; tribulationis & impugnationis, qua T. Illust. C. propemodum obruitur, obnixe rogo T. Illust. C. desiste quæso hoc exemplari scripto me probare uel tentare. Siquidem dubio procul, T. Illust. C. facili negocio ab iis potius qui tale scriptum ad tuam C. perferunt & pertulerūt, etiam absq; Lutheri opera percipere poterit, qui T. C. magis sunt deuincti addictique quam ego ipse. Nihil in præsentiarum durius aut grauius dictum uelim in probos illos Viros. Verum Christiano more propensissimus essem ad commiserandum & orandum pro angustijs Illust. T. C. modo hoc per me fieri sustineret. His Deo breuiter commendatus Vale. Amen. Vuittembergæ sabbato, ultima Octobris. Anno M. D. xxviij.

T. Illust. C. obsequentissimus Martinus Lutherus.

Ex his nihil perspicue cognoscere potuimus aut certi aliquid statuere, num uidelicet hoc scriptum ut suum agnoscere, uel negare uellet. Ob hæc igitur coacti sumus amplius & accuratius discutere, hoc negocij, & ad Senatum Nurenbergeñ. deferre. Apud quē tandem comperimus Vuenceslaum Linckum asseruisse & adhuc asserere, se uidelicet huiusmodi epistolam Latino sermone conscriptam, ab ipso Martino Luthero recepisse.

Quam autem istud, honestum & eum præsertim qui se iactitat Euangelicum Virum, deceat, atque concernat, ob tale scriptum, in quo nos plus cæteris, uerbis ignominiosis excipit, ueritatem fugere, eundemque (ut ita dicam) per ambages quasdam latibula sectantem in hoc nolle manifestari, cuius expendendum relinquimus. Num etiam hoc modo Christi doctrinam nobis commendatam, ut plane ac simpliciter dicamus ita uel non, seruet, aut imitetur, quilibet uiderit.

Sane hinc citius peruestigare liceat & explorare, quid boni ab homine illo expectandum sit, potissimum quum huic necdum sufficiat, quin potius præter id quod sibi haud dubie constat, quam nimirum constanter nostram apologiam contra superius memoratum delatorem, propter confictam illam confœderationem, exhibuerimus, denuo uerba superius ex libello de utraq; specie citata uulgo proposuit, quo omnino crederetur tale fœdus ad minimū fuisse conceptum ac initum, ac proinde aliquid de eo præ manibus extitisse. Nobis autem (Deo Laus) longe certissimum est

& com-

tis, at uestra in me potestas finietur ocius.

Post breue dierum curriculum hostes urbem concito ac uiolento appulsu opprimunt, ac mendacium illum uatem e carceribus liberant. Qui deuastationem considerans, & huc illucque spolia deferri ac distrahi, milites sic est affatus: Charissimi sodales en tempus uobis exoptatissimum adest, expoliate, compilate omne quod præ manibus est, cæterum uos hæc omnia oportet euomere. Vaticinium istius hominis expletum sic est. Nam pestis hostium castra inuasit, quam si quis alioquin euasisset, spolia tamen extra gallias efferre secum nequiuit, simulac corporis & uitæ solicitare debebat incolumitatem. Hinc plurima militum pars est extincta, Domino eminus in Cœlo contra eos pugnante.

Milites a Deo castigantur. Sicque euenire oportuit, uti mendicus ille præsagierat. Restituere & quasi euomere quod abstulerant, debebant. Quoniam iniquitas nec diuturna est, nec solida, neque militando feruido ac sanguinolento marti quisquam ditescit. Sanguis nempe uiduarum ac pupillorum uindictam a Deo requirit, ualido ac iugi clamore.

Sleidanus. Sub id temporis suscitabat procreabatque Lutheri dogma uarias sectas, & fidei noua monstra, Anabaptistæ nimirum qui paruulorum baptisma confutant & abnuunt, Catabaptisima subintroducentes, rerumque omnium absque delectu communitatem profitentes, extitere præcipui. Horum unus collega ad Sanctum Gallum Heluetiorum coram patre atque matre fratrem Germanum ense suo decollauit, quibus ille persuaserat, huiusce generis homicidij a Deo sibi impositum esse.

Accidit interea magnam passim fieri per Heluetiam promiscuæ plebis conuentionem ad trecentos usque, qui sane ausu temerario atque lymphato eminentiorem montis portem conscenderunt, ac si corpore animoque in cœlum euolare uellent. Hos malignus ille Dæmon intantum dementarat, ut omni humano pudore exuti, congrederentur, concurrerent belluarum more, huiuscemodi congressum esse necessarium existimantes. Quoniam librum prodiderat Lutherus, in quo scribit. Non minus Vir mulieris congressu, uel econtra carere queat, quam poculento somnoque, nisi forsitan secius aliquid singulari ac rara Dei solius beneficentia contingat. Huius autem generis Lutheranicum deliramentum, pluribus usque probissimis mercatoribus graue fuit, quippe qui annis ac diebus aliquot a thoro coniugali abstinere non aliter queant, quam quo-

Acta Lutheri.

In libro de uita coniugali.

tidiana

tidiana refectione siue per somnum siue per escam uidelicet carere, atq; adeo aut sane maritum aut uxorem protinus mechari oporteret.

In Sueuia quidam extitit, qui diceret Christianam nostram fidem terminari, ac aliam deinceps legem successuram. Quia quemadmodum lex ipsa Mosaica mille & quingentis annis durasset, sic etiam nunc legem Christi terminandam abrogandamque fore. Quamobrem subinferri nouam & legem & fidem debere.

Impostoris per Sueuiam exitialis ac diabolica plane doctrina.

Plura huiusce farinæ stulta ac impia quotidie succrescebant dogmata, tamq; uaria, ut etiam magistratus cogeretur tales hominum peruersores tum carceribus, tum gladijs, tum ignibus castigare.

Rottenburgi ad Nicerum fluuium Monachus quidam apostata, Michael Sellerus uel Sedlerus nomine, uulgum passim illic seducebat, docens, In augustissimo Altaris Sacramento ueritatem Corporis ac sanguinis Christi Iesu nequaquam inesse.

Infantes temere baptizari. Iuramentum non esse præstandum, etiamsi hocipsum a superiori potestate exigeretur. Turcis non esse resistendum, nec inuocandos Diuos &c. Hic igitur Michael die decimo septimo Maij morti adiudicatus, & a lictore comprehensus, primum blasphema lingua priuatur. Dein sæpius ignitis forcipibus discerpitur, ac tandem flammis ad cineres usq; consumptus est.

Blasphemus Apostata Sacramētarius, dignas pœnas suo scelere dedit.

Quum ergo Lutherus exploratum haberet tam prodigiosas & peregrinas e sua Doctrina sectas exoriri, stilo in anabaptistas, Zvuinglium & Oecolampadium cohæreticos inuehi cœpit, & contra, Zvuinglius, Oecolampadius cum asseclis ipsorum in Lutherū, sicque mutuam inter se uelitationem exercebant, unde quotidie recentes sectæ & scriptores succedebant, qui tamen omnes sibimet inuicem aduersantur, nisi quod insimul pari uoto, eademq; sententia, ijsdemque machinis Christicolam Ecclesiam persequantur: in quo sane primum ac maxime consentiunt, alias inimicissimi.

Dissensio inter Hæreticos, ex pugna dogmatum.

Eorundem consensus in persecutione Ecclesiæ.

ANno a Christo nato millesimo, quingentesimo, xxviij. Traiectum Hollandiæ, omnia uidelicet loca, ac dominia huic competentia atque subiecta, potestati Burgundicæ fuere adiecta. Videlicet Henricus Comes Palatinus, idemque Præsul Traiecteñ. plurimis angustijs a Carolo Gelriæ duce sæpius attritus, quemadmodū

An. 1528.

Munsterus.

antea quoque sui Præcessores, suppetias perquirit, quas cum ab Imperatore Carolo quinto Duce Brabantiæ nactus esset, & opportuna præsidia obtinuisset, consilio & unanimi assensu utriusq; status seu primorum totius suæ Diœceseos, tam Ecclesiasticorum quam Laicorum, annuit, ut Traiectum una cum toto sibi competente iure, & quicquid inibi dominiorum esset, deinceps Carolo Cæsari ac hæredibus, Brabantiæ nimirum Ducibus, & Hollandiæ comitibus cederet. Spiritualem tantum Iurisdictionem sibi suisq; successoribus idem Antistes reseruabat. Huic autem stipulationi ac donationi Pontifex Maximus subsignauit, approbauit, & corroborauit.

Traiectum inferius Domui Burgundicæ adijcitur, eiusque paret ut nunc imperio.

Sebastianus Franck.

Anno eodem, ipsi Diui Petri & Pauli festo, circa Vespertinum officium, grando maxima ex improuiso tempestate exorta, Augustæ Vindeliciæ oboritur, tanto cum impetu atq; procella, ut multi iam ruinam totius Ciuitatis timerent. Nam coegerat sese; ingesserat coaceruatim ipsa grandō, quasi lapides & bellica tormenta, quæ magnum in obiectos aggeres fragorem & ictum per aera referunt. Vnde nouum ac inauditum detrimentum circumcirca euenit, Seges omnis ibidē, fruges, arbores ac robora, passim & uitreæ, fenestræ, dissipata & comminuta sunt.

Conradus Lycosthenes.

Tempestate Augusta funditus fere collapsa.

Tres soles Tiguri hoc eodem anno uisi sunt, triplici circino cincti, præsagia utiq; caritatis annonæ. Nam post breue homines illic tam graui annona, præsertim autem pœnuria carnis sunt conflictati, ut etiam boues ex Vngaria eo deduci opportuerit.

Prognosticum famis Tiguri uisum.

Sub huius autem anni initium, Zvuinglij, Oecolampadij, Buceri, & asseclarum instinctu, sed Monachorum quorundam peruersorum suasu, Bernis est instituta Disceptatio, qua huiusmodi aliquid definiebatur, quod sane Catholicis & religioni Christianæ nouum & inauditum erat, nimirum, nihil ibidem asserendum esse, nisi quod manifeste uel expresse, sacris Biblijs contineatur, atque adeo nemo Catholicorum recipiatur, dempto ibidem Augustinianorum Prouinciale.

Acta Lutheri.

Hæc tibi Sleidanus at parū fideliter narrat.

Bernensis disputatio quomodo Catholica, quæ uiros Catholicos excludit?

Episcopi quoque huiusmodi rem adornarunt, nullis e suis illuc destinatis, quum nuper ad Disputationem Badensem (cui tamen intererant Viri complures longe doctissimi, qui & omnem sinistram opinionem & controuersiam inter se conciliarant & explicarant) Zvuinglius & eius sequaces cōparere noluissent, quemadmodum

admodum paulo superius memoratum fuit.

Adhæc themata de quibus apud Bernates tum temporis disceptandum foret, adeo impia & erronea, quinet Catholicæ Christi Ecclesiæ consuetudini a temporibus Apostolorum promulgatæ & ad nos deuolutæ in tantum aduersa, ut ne unum quidem hominem sine œcomenico concilio deceat addubitare, aut sane quod maius est, in controuersiam rapere.

Qualia Bernensium themata.

Propterea Heluetiorum pars alia Catholica & fidelis adhuc, Lucernates uidelicet, Vrani, Suicij, Vntervualdij, Tugiani, Glareani, Friburgen. Solothurnij, ad Bernates literas destinant, grauissimisque uerbis, ut a proposito suo desistant hortantur, a quo fœdus & pacta non ita pridem inita reuocarent, adducta in medium Disputatione Baden. quam illi tanquam præcipui probassent & commendassent, simulac nullam Rempublicam aut nationem decere, religionem aut etiam disciplinam immutare, sed hoc ipsum potius ad Vniuersale concilium referendum esse. Sicque rogabant eos, ne tale facinus committant, nec a paucis extraneis in errorem se præcipitari sinant, quin potius in ea fide quam ipsi, ipsorumque parentes atque maiores obseruassent, in qua tantam nominis gloriam essent consecuti, in qua suos limites in eum modum amplificassent, in qua tot trophea tulissent ac statuissent, constanter perseuerent. Equum fore, ut huiusmodi ab illis ipsis obtineant. His igitur qui antea ad Disputationem Badensem accersiti non comparuissent, & quadam ex parte præ contemptu & fastidio emansissent, non credant nec auscultent, adhæc neque se quenquam eo mittere, neque suis ut eo proficiscantur uelle permittere.

At nihil his omnibus Bernates commoti pergunt, & ad præstitutum diem (qui erat septimus Ianuarij) institutam actionem prosequuntur, quam cum ad effectum illi perduxissent, non solum ipsi, uerum etiam quidam alij Missæ sacrificium, imagines, omnes præterea Ecclesiæ Christi cærimonias passim abrogant. Quos sequuti Genuenses & Allobroges, non modo Lutheri dogma, quinetiam cæterorum Sacramenta Christi nefarie cōtaminantium & deuastantium, quibus alioqui Lutherus ipse refragabatur, susceperunt.

Bernatum contumacia.

Genuensium apostasia ab Ecclesia & fide Catholica.

Cæterum ubi animaduerteret Cæsar ut etiam supra dictum

 est, Gab

est Gallum uidelicet nihil eorum quæ in captiuitate sibi sanctè promiserat, præstare, iniuriam hanc Cæsar ipse pertesus, ad alios Principes & Heroes, Galliæ Regem defert & querelam deponit. Quapropter Rex uicesimo octauo die Martij, in hanc sententiam ad Cæsarem scribit: Intelligo te quædam machinari quæ damnum & ignominiam mihi generent. Si quippiam est quod ex me ægre feras, locum certaminis mihi uelim designes, ubi duelliũ inter nos solum cominus ineamus, quia hoc genere pugnæ, diffidijs finem imponemus.

Gallorũ Rex duellium Cæsari denũciat.

Hoc scriptum Cæsar mense Iunio acceperat, & die uicesimo quarto mensis eiusdem, responsum per caduceatorẽ suum ad Regem legat, ubi in hunc fere modum sic agit Cæsar:

Non te propterea accuso, nec ideo tecum expostulo, quod domum sis reuersus, quoniam id meapte sponte contigit, quin potius ob id reprahensione te dignum iudicaui, eo quod non redieris in meam potestatem captiuus, sicuti interposita fide ipse mihi addixisti te facturum, nisi leges pacis exequereris, ut quidem idiographo, & obligationis literis tua manu scriptis doceri manifeste potest. Hoc autem si præstitisses, utiq; quod probum uirum & generosum Principem decet, fecisses. At uero cũ in isto fidem uiolaris, & initum fœdus trangressus sis, bene ac ueraciter enuncio, te ipsum turpiter ac improbe gessisse. Et quoniam bellum mihi denuncias, simulac locum stratagemati opportunum per me significari tibi uelis, non displicet nec tergiuersari uolo, sed ad flumen illud quod inter Fonterabiam & Andæam labitur, locum pugnæ constituo, quem profecto nullatenus respuere debes, siquidem si ante biennij spatium ei tuamipsius ac liberorum tuorum salutem credidisti, tum uidelicet quum libertati restitutus domumque reuertens, illos mihi obsides posuisti, poteris & nunc te ibidem secure continere. Porro ne multo tempore postulatum negocium plus æquo diutius differatur, placet utrinque Viros generosos & huic negocio aptos eo mitti, qui ad locum destinatum conueniant, lustrent, & quem uelint ibi deligant, & quibus denique armis quoue die integrum uideatur congredi consultent atque definiant. Quod si intra dierum quatuordecim curriculum, post acceptum hoc scriptum, animi tui supra hac re sententiam responsione non exprimas, omnis tunc culpa dilationis in caput tuum redun-

Cæsar Francorum Regi locum præliãdo non ineptũ aut incõmodũ aut deniq; suspectum assignat.

re[illegible]erit, omnem ipsuper ignominiam, & ad illud prius irritæ fidei crimen referetur. Hanc epistolam tradebat Cæsar suo præconi, ut Legatione fungatur in Francia, mandat Regi epistolam dilucide prælegat. Quod si Rex non admittat, sed auscultare legentem recuset, ipsi potius legendas exhibeat, præcipit. Vbi uero præco talibus mandatis dimissus a Cæsare Parisios appulisset, & Rex magna caterua procerum ac dynastarum stipatus consedisset, accedentem Præconem interrogat, si Duelli formam nunciatum uenisset, respondit, ita simul etiam habere, se quod ipsi ex nomine Cæsaris significet, sibiq; impositum, ut coram Epistolam reciter, aut illi ipsi exhibeat, proinde postulat, hoc ut sibi Rex permittat. Qui cum nō ignoraret quodnam Cæsar in eo requireret, nec uellet scriptum Cæsaris palam enunciari, communicatis aliquot cum Præcone uerbis, diu loquentem præconem nec audire, nec epistolam recipere uoluit.

Antea quidem enarrauimus quomodo Religio post disceptationem Bernensem passim in diuersum, & plane contrarium redacta sit statum. Nunc uero occurrit quod Argentorati euenisse constat. Nam Argentoratenses nouitatis quoq; cupidi, catholicis concionatoribus munus & authoritatem in Ecclesia prædicandi auferunt. Tunc cauit Episcopus obsecrans crebris literis & internunciis ipsum magistratum, ut in Religione quā maiores coluissent, perdurent, nec alijs apud eos concionatoribus acquiescant, contestatur quoq; qd periculi alias inde queat emergere. Rogabat præterea idem ille Præsul Senatum Cameræ Imperialis manētem tunc Spiræ, ut sese Argentoratensibus opponant. Nuncium itaq; constans & graue circa finem Decembris Senatus ipse legat, & cupit ne Sacrificium Missæ abrogent, quia ne ad Cæsarem quidem aut etiā ordines Imperij attineret in aliquo autenticam religionem, & a Patribus sanctissime deriuatam immutare, sed ad œcumænicum aut ad minus nationale concilium. Quod si uero concilij huiusmodi contationem ægre ferrent, saltem proxima Comitia expectarent, ubi petitionem exhiberent, se minime addubitare, quin iustam illic responsionem obtinerent. Porro Ius ipsum uetera ne singularis aut priuatus alicubi magistratus tollat, quod communi totius orbis consensu & applausu definitum sit.

Permutatio nem Religionis Argentoratenses cum cæteris insectantur.

Haud ita longa, anteaq̄ hæc gererent, intercedēte mora Episcopus Hildesheimeñ. adfuerat, q̄ noīe Cæsaris uicissim idē rogabat.

Nam

prodit, ac ministrum riualem suum agnoscit. Maritus ergo illæsam a se dimittit, quæ in Pagum Prattelen appellatum, ocius fugit ad ædes suæ sororis. Affines & consanguinei cognito negocio cum marito transigunt, & uindictam deprecantur, obtestantes ut indulta gratia commisereatur atq; remittat. Maritus simulat quasi iam remisisset. Bene hinc inde persuasa coniunx domum reuertitur, comitata ac fulta amicorum præsentia, qui pariter a Viro humanissime excepti, hilarius inde domum discesserunt. Eadem nocte se talem uxori præstabat, ac si iniuriæ oblitus, omnem quoq; culpam integre remisisset. Similiter & die sequenti prandium cum reconciliata quasi, sua coniuge, sumpsit. Quo peracto pedissequã ad templum mittit, concionem auscultandi causa, proles emptum pira foras emittit. Clauso & obserato iam ostio, uxorem multum grauidam arripit, & exempto gladio eam transuerberat, & puellam uix quadrimulam trucidat. Tunc epistolam ad Senatum parat, his uerbis conscriptam; Se adulteram quidẽ ut ipsa quoq; fuerat ante confessa, digna morte castigasse, Puellam filiolam interemisse, propterea, ne uiuenti quis matris adulterium ac patris homicidium exprobraret. Semetipsum uero proprijs manibus in præcipitium egisse, ut miseriæ suæ finem daret. Hoc desperati hominis sæuissimi hostis in coniugem natamq;, deniq; & in seipsum, scriptum, subligaculo cruruli, idem ipse illigarat, moxq; ad summam domus suæ partem cum peruenisset, tertio nomen Iesu exclamat, simulac sese præcipitat, tantoq; cum impetu in terram collapsus est ut cerebrum per plateam dispergeretur. Quæ cum Iudici innotuissent, quod uidelicet propriam coniugem, filiam, ac tandem miser ille seipsum occidisset, cadauer adiudicat ac damnat crurifragio ut ita dicam. Hoc est, ut sic membratim ipsius ossa rotæ imposita comminuantur, quemadmodum latronibus fieri consuetum est. Posthæc cadauer undiq; mutilatum, ac dolio iniectum, in Rhenum ibidem mergitur.

Vltione diuina latrocinium tyranni uindicatum.

Sub idem istud tempus Saxoniæ Princeps, & Hassiæ Lantgrauius Philippus, contraxere militum copias & ad pugnam uires instruunt, quia Doctor Otto Pack iurisperitus, Georgio Saxoniæ Duci a consilijs, at Luthero deuotissimus fautor, ipsum Lantgrauiũ nuper cum ab eodẽ ad colloquium esset admissus, ut sibi caueret, monuisset, eo quod breui Rex Ferdinandus, Marchio Brandeburgicus, Saxoniæ Dux Georgius, Vuilhelmus ac Ludovuicus fra-

Ex sola suspicione confœderationis ab Ottone Pack cõposita, Duo Principes Saxoniæ ac Hassiæ manu ingẽti bellũ in Catholicos proceres admoliuntur.

tres Bauariæ nimirũ Duces, deniq; & Moguntinus, Saltzburgensis, Bambergeñ. & Herpibolensis Episcopi, fœdus iniissent, ut & illum, & Saxoniæ Ducem Electorem persequantur atq; disperdant, una cum iis omnibus qui nouam sectarentur Religionem. Et quo fidem uerbis suis adhibeat, confœderationis formulam ostendit, imo uero ipsissimas literas spondet se exhibiturum.

Interea uero quod exercitum illi conscriberent, unusquisque quid tandem fieret considerabat. Nam huc atque illuc fama diuersa ferebatur, ut solitum est fieri.

Rebus itaq; omnibus ad militiam necessariis & accõmodis præparatis, literas ac nuncia passim ad omnes dirigunt, confícti fœderis exemplar quale nacti fuerant, circumcirca promulgant, datis insimul literis, quibus significabãt, ipsos uicissim pactum iniisse, quod etiam per internuncios declarassent, atque hoc equidem modo propositum ipsorum uicinis prouinciis communicabant. Cæterum hi quos insimularat Otto ille, coniurationis in Principes istos ab hac suspicione & obiecto crimine purgabant, quisq; per literas palam æditas, & productis rationibus liquido demonstrabant, omnem hanc tragœdiam ementitam esse, nec aliquo diuersum indicio posse doceri. Sed horum omnium maxime Georgius Saxoniæ Dux, Socer Lantgrauii molestius ferebat. Ob id Lantgrauium urget, ut impulsorem designet, alioquin uellet illum tanquam authorem incusare & habere, quo nimirum Germaniam perturbare, lacessere & doloribus atterrere queat. Primo autem assultu adiacentes Episcopos inuadere decreuerant, qui propterea summa qua poterant celeritate militum manum contra hostium occursantes turmas colligunt.

D Pacf dolosus impostor, et mendax zoilus.

Postea uero quam Otto Pacf, autographum seu originales illas literas ut Lantgrauio promiserat reddere non ualeret, cepit is nonnihil remissius agere.

Ad extremum uero interuentu Ludouici Comitis Palatini, & Richardi Episcopi Treuirensis dimissi sunt exercitus, ea tamen lege, ut Episcopi (quantumuis etiam se ab illa iniqua & falso confícta confœderatione abunde satis excusauerant) Lantgrauio ad subleuamen impensarum pro collecto & authorato exercitu, centum & uiginti florenorum milia numerarent.

Moguntis

Moguntinus quippe sexaginta, Herpibolensis quadraginta, Bambergeñ. deniq; uiginti milia florenorum contribuit. Cum autem posthæc ad diem præscriptum legationes Principum (quæ non parum sane memoratæ causæ conducebant) iam conuenissent, fidefragus Otto sistitur, doli atq; prædiæ plane conuictus, patrocinio Lantgrauij illæsus dimittitur. Et posteaquam proscriptione damnatus, nusquã requiem securitatemq; consequi posset, uagus & exul in Flandriam secessit, ubi tandem capite plexus, in quatuor partes discerpitur.

Pax Episcoporũ thesauro recuperata, quã Otto legis doctor & Luthera ster conficta formula quadam cõspirationis perturbarat.

Quod autem memoratus Otto cum Luthero, eadem sententia, & coniunctim inter se, principes ad stratagemata & contentiones instigarint, aliosq; Catholicos proceres falso detulerint, ac si conspirassent in perniciem eorum quos ante memorauimus, facile perspici potest, ex literis quas ipse Lutherus, ad suum dedit asseclam Vuenceslaum Linc uidelicet, Monachum etiam Augustinianum Apostatam. Et quo istius rei ueritas magis, et euidentius elucescat, rem ut gesta est describere uolumus, ex literis procerum Catholicorum apologeticis, quæ tunc typis excusæ fuere, sigillo gloriosæ memoriæ Georgij Ducis Saxoniæ communitæ, quarum exemplar unum in rei perpetuum testimonium penes nos conseruauimus, hoc ordine uerborum constantium.

Acta Lutherĩ.

Sleidanus hic conniuet.

QVA FORMA NOS GEORGIVS *Dux Saxoniæ, Duringiæ Lantgrauius, Marchio Misniæ, propter confictam nuper à Luthero conspirationem siue confœderationem temere, scripto sumus traducti. Cui nostra uicissim, subijcitur responsio.*



VONIAM nos antea quasi primi ac præcipui huius ementitæ conspirationis, quæ in generosissimum Principem, charissimum nostrum affinem, Patruelem & filium D. Ioannem Saxoniæ Ducem ac Electorem &c. Dñm item Philippũ Hassiæ Lantgrauium &c. esset suscepta, simus delati & accusati, idcirco apologiam prorsus hæc res desiderare uidebatur typis exprimendam, simulac defensionem contra memoratum illius eiusdem conspirationis temerarium ac falsum delatorem, Ottonem Pac uidelicet, atq; adeo nostra integritas seu potius innocentia cunctis innotescat, ut nemo probus aliq̃

Apologia Ducis Georgij pro conficta cõspiratione.

 rationem

rationem fide dignam habeat, aut etiam habuerit ad minimum ascribendi nobis seu obijciendi, quod nosipsi interdum de eo proposito, cuius mentionem facit, confictum fœdus, consultauerimus aut deniq; tractauerimus. Vt interim sileamus quod ne quidem illud in aliquod symbolum uel exemplarem formulam ea de re redegerimus.

Idcirco non immerito sane apud quoscunq; excusari debemus a suspicione criminis admentiti, impositiq; nobis a multis, aut etiã detractione, deniq; a prolixiori defensione quam solum breuiter absolumus.

Nihil minus quum Martinus Lutherus nostram integritatem & candorem equanimiter tolerare nequiuerit, contumacia laborans aduersum nos inuidia, nec uelit omnino ueritatem nostræ sinceritatis fateri, quin potius scripto iniquam hanc confœderationem passim nobis adhuc obijciat, atq; ita laboret populo persuadere ac inculcare, considerantes quoq; hunc uirum absq; omni delectu ac suæ dubiæ & ancipitis professionis respectu, in offendiculũ profecto multorũ agere, quũ inquam hisce incõmodis urgeamur, necessitudo rei nos cogit, huiusmodi nihil dissimulare, aut tacere, nulla responsione annexa, uerum plurimis significare, quo in statu seu etiam nixu Lutherus ipse in suo proposito sese gesserit.

Scribit igitur ille in præfatione libelli super Mandato Reuerendissimi in Christo amici nostri singulariter dilecti D. Ioannis Episcopi Misnien. in hunc modum: Oportet autem Principes nostros L[illegible] non c[illegible] m[illegible] a[illegible]e, imo unumquenq; hominum, ipsis se præ[illegible]ere hostem, ac præterea nouas proditiones ac confœderationes in eos ipsos moliri, quorum postmodum eosdem illos pudere debebit. Quemadmodum etiam alias Moguntiæ determinarant.

Ex quibus uerbis facile quiuis intelligit, eum hanc confictam tragœdiam succendere & inflammare, atq; ita populo perlibenter suadere, ut credat, saltem adumbrate ac tecte, & in genere, ut si forte ratione redditurus esset uerborum istorum, dicere posset, Se quidem hanc confœderationẽ non censuisse aut designasse. Quamobrem neq; nos uerba ipsius prius assequi potuimus.

Deinceps uero & paucos ante dies, epistola Latino sermone cõscripta nobis est tradita, ubi Lutherus ipse ad Vuenceslaum suum, Nurenberge desidentem, non tantum ea tractat, quæ somniatam

illam

illam conſpirationem concernunt, ſed inſuper etiam in noſtram apologiam & perſonam conuitiatur, quod ſane uehementius eandem noſtram Apologiam adoriri coegit. Epiſtola ſic ſonat:

Optimo ac pio Viro Vuenceſlao Lincko, in Euangelio Chriſti ſeruo, ſuo fratri Nurenbergæ degenti.

[illegible]la & Pax. Nouarum rerum plus accepiſti, quam ipſe perſcr[illegible] ualeam. Confœderatio impiorum Principum, quam per[illegible]t, uides quantam commotionem fecerit. Verum ego pro ag[illegible]e [illegible]rigidiſſimã Ducis Georgij excuſationẽ accipio. Nunc uer[illegible] ciantur factum, excuſant, uel fingunt. Scio tamen certiſſimè qu[illegible] fœdus illud inane nihil ſit aut aliqua Chimera, licet mirũ ſit, & ſatis dimirandum. Toti orbi manifeſtum eſt, eos propoſito, ipſo etiam facto, mandato, pertinaci ſtudio atq; labore hactenus illud ipſum aperte tentaſſe, feciſſe, etiam num facere. Quod enim Euangelium extirpare funditus atq; delere, uelint, nemo poteſt negare. Quid tua intereſt? qui haud dubie omnia hæc certiſſime tenes. Saltem hæc refero ut intelligas, neq; nos impijs fidẽ adhibere, quanquam nos ipſi pacem illis offeramus. Diſperdat Deus, Morotaton Moron, q in morẽ Moab audet ſupra q̃ ualeat, & ſuis uiribus maiorem ſuperbiam edit, quemadmodum ſemper fecit. Rogabimus contra iſtos Homicidas, hactenus ſaltem remiſſionem dignentur. Si uero aliquid auſint denuo tentare, Deum inprimis orabimus, ac dein Principes hortabimur, ut abſq; ulla commiſeratione tractentur atq; perdantur. Nam inſatiabiles illi ſanguiſugæ quieſcere nolunt, donec Germaniam cruore commadere cernant & experiantur. Nos modo in uertendis Prophetis uigilamus. Ah Deus, quam ardua & tœdioſa res iſta eſt, nimirum, Hebræos ſcriptores cogere t[illegible]eutonicum idioma ſonare. Eos urgemus, nec tamen indolem He[illegible]raiſmi deſerere uolunt, aut Germanos rudiores imitari. Quem[illegible]odum non ſi philomelæ ſiue luſciniæ modulanti ſuauiter, Cuculus inamœna & craſſa uoce obſtreperat, cõtinuo naturale melos deſerat, ut cuculum imitetur. Vale, Deo nos tuis præcibus cõmenda. Dominica poſt Barnabæ Anno M.D.xxviij.

Martinus Lutherus.

Tametſi modo ex ipſa dictatione, alijsq; circunſtantijs, inueſtigare ſit hoc ſcriptum ab eo profectum eſſe, nihilominus tamen

 inter-

intermittere noluimus, quin huiusmodi penitus illi communica-remus, si fortasse statuisset in eiusmodi scripto perseuerare & moi-dicus persequi. Cui aliam interpretationem, & excusationem ex-hibeat, & quid eum ad id impulerit, exponat, literis ad ipsum ... sis desiderauimus, in hæc uerba quæ subiecta sequuntur.

Dei gratia Georgius Saxoniæ Dux &c.

Ad manus nostras literæ, quas tu ad Vuenceslaum L... Nurenbergam uersus non ita pridem transmisisses, ... pro dato, deuenerunt, quemadmodum hoc ex inclusis potes disce-re. Quamuis autem nunc his credere possemus, necessitas tamen no-stra exigit, quærere abs te num res se ita habeat ut ex ... C... pimus igitur, uelis per præsentem ueredarium perspicue scripto testari, utrum tale scriptum, tenore inclusi illius ad supra memora-tum Linckum dederis, ut sciamus qualiter decernere in causa hac debeamus. Datū Dresdæ feria quarta Simonis & Iudæ An. &c. 28.

Martino Luthero Vuittembergæ moranti tradantur in manus.

Existimabamus eum ad minus iuste magis (quia merā ipsam ueritatem rescíscere optabamus) responsurum, adiecta simplici ali-qua affirmatione, uel negatione, ita uidelicet uel non. Cæterum re-sponsionem accepimus uagam atq; prolixam, ad seriem sequentiū.

ILLVSTRISSIMO, MAXIMISQVE PRO-gnato heroibus, Principi ac Domino, Domino Georgio Saxoniæ Duci, Duringiæ Lantgrauio, ac Misniæ Marchioni, Domino meo Cle-mentissimo.

GRatia & pax in Christo, Literas tuæ Illustrissimæ Clementiæ accepi, quibus tua Illustriss. Cle. exigit a me propter epistolam quoddam, responderi sibi, nimirum, an ego istius scripti conscius sim. Breuiter itaq; respondeo. Posteaquam T. Il. C. patientiam & longanimitatem in me compertam habeat, quam usq; nunc inte-gram mihi seruaui super prohæmio in nouum testamentum Em-pseri, ubi uehementius acerbiusq; scripta nostra conuelluntur ac refelluntur, & statuerim etiānunc patienter agere in huiuscemodi

negocijs,

negocijs,habita ratione maxime grauissimecp tribulationis & impugnationis,qua T.Illust.C.propemodum obruitur, obnixe rogo T.Illust.C.desiste quæso hoc exemplari scripto me probare uel tentare. Siquidem dubio procul, T.Illust.C. facili negocio ab ijs potius qui tale scriptum ad tuam C. perferunt & pertulerũt,etiam absq; Lutheri opera percipere poterit,qui T.C. magis sunt deuincti addictique quam egoipse. Nihil in præsentiarum durius aut grauius dictum uelim in probos illos Viros. Verum Christiano more propensissimus essem ad commiserandum & orandum pro angustijs Illust.T.C.modo hoc per me fieri sustineret. His Deo breuiter commendatus Vale.Amen. Vuittembergæ sabbato,ultima Octobris.Anno M.D.xxviij.

T.Illust.C.obsequentissimus Martinus Lutherus.

Ex his nihil perspicue cognoscere potuimus aut certi aliquid statuere,num uidelicet hoc scriptum ut suum agnoscere, uel negare uellet.Ob hæc igitur coacti sumus amplius & accuratius discutere,hoc negocij,& ad Senatum Nurenbergeñ.deferre. Apud quẽ tandem comperimus Vuenceslaum Lincκum asseruisse & adhuc asserere,se uidelicet huiusmodi epistolam Latino sermone conscriptam,ab ipso Martino Luthero recepisse.

Quam autem istud, honestum & eum præsertim qui se iactitat Euangelicum Virum,deceat, atque concernat,ob tale scriptum,in quo nos plus cæteris,uerbis ignominiosis excipit, ueritatem fugere, eundemque (ut ita dicam) per ambages quasdam latibula sectantem in hoc nolle manifestari, cuius expendendum relinquimus.Num etiam hoc modo Christi doctrinam nobis commendatam,ut plane ac simpliciter dicamus ita uel non, seruet,aut imitetur,quilibet uiderit.

Sane hinc citius peruestigare liceat & explorare, quid boni ab homine illo expectandum sit,potissimum quum huic necdum sufficiat,quin potius præter id quod sibi haud dubie constat, quam nimirum constanter nostram apologiam contra superius memoratum delatorem,propter confictam illam confœderationem,exhibuerimus,denuo uerba superius ex libello de utraq; specie citata uulgo proposuit, quo omnino crederetur tale fœdus ad minimũ fuisse conceptum ac initum, ac proinde aliquid de eo præ manibus extitisse. Nobis autem (Deo Laus) longe certissimum est

& com-

& compertissimum, huiusmodi Lutheri ad Lintkum suum literas, meras esse præstigias atq; mendacia. Nam Martinus Lutherus cum tota asseclarum turba ne minimum quidem argumentum sciet aut poterit prætexere, quo efficiatur, ut constanter nos conuincat aut alioquin uerisimile credibileq; faciat, seu dignum fide habeatur, quod nos aliquando, ea de re quæ admentitum fœdus concernit, consuluerimus, aut tractauerimus, imo etiam cogitauerimus.

Nihilominus tamen Vir iste Euangelicus, tam audax & impudens est, ut non uereatur eiusmodi aliquod mendacium petulantissimum, non modo ac si relatu aliorum accepisset, uerum præterquam omnes quotquot hanc confictam cōfœderationem iniquius tulerunt, plana negatione se excusarint, nihilominus pro ipsissima ueritate promulgat, & scripto nos traducit in hanc formam;

Apologiam Ducis Saxoniæ seu excusationem prorsus frigidam, quasi agnitionem uel confessionem interpretor.

Quam autem frigida fuerit nostra purgatio, stilus ipse testatur, neq; adhuc didicimus aliam uehementiorē feruentioremq; huic calumniæ negationem accommodare. Si uero tam languida & iners nostra fuerit excusatio, ut fere & quasi nullam cōfessionem extorqueat nimirum ab aduersario, seu confutationem præstet, iuxta Lutheri sententiam, profecto non iam ipsum criminatorem huiusce fœderis ementiti conscium prodidisset. Quare plus certe uigoris & efficaciæ habeat illa, quam aut Lutheri, aut Ottonis Pack criminatio, & arrogantia. Quæ nullis alijs nisi apertissimis frigidissimis, mendacissimisq; nugis cōstant, nec unum quidem habent aut etiam sciunt in testem proferre, qui tempus ipsum quando excogitatum huiusmodi fœdus, Bresslæ contractum sit, uere queat definire, aut alium qui ipsis inde significasset aut nunciasset, designare, a quo mentionem talis propositi audissent, aut etiam exemplarem formulam uidissent. Præsentes eos omnes habemus qui tunc temporis Bresslæ manserunt, inter quos nullus omnino tale quid cum certitudine ac firmitate propositi, & qui manifestus huius suæ asseuerationis testis haberi uelit, nobis obijciat, uel culpando accuset. Otto quidem primum, quatenus mendacium corroborare posset, Principē Illustrissimum Dn̄m, D. Henricum Iuniorē, Brunsuicen̄. ac Luneburgicum Ducem, nostrum dilectissimū affinem appellauit, quasi sua D. exemplar excogitatæ conspirationis apud nos uidisset. Sed ipso die quo ipsum susurro, seu potius calumniator ille mendosæ

dosæ confœderationis appellauit, non solum non gloriatus est, quinetiam ubi nunc illi concepta ab ipso iactantia, & appellatio, proponeretur, tacitus præterijt, concedens aliquid sibi hac de re cõstare nihil? Cæterum ipsi nos dedidimus uel submisimus ac propterea rogatum uolumus, quatenus Henricus Dux ipse Brunsuicen. super hac re interrogetur, si sua D. uere queat effari, aut alius quisquam fide dignus testari, nobis haud inscijs aliquid literarum uel minimam illius fictæ conspirationis partem apud nos uel circa nos compertam esse, priusquam huc atq; illuc exemplar factiosi ac falsi fœderis ab alienis uidelicet in periculum nostrum atq; infamiã adinuenti uel excogitati, mitteretur? si inquã hoc fiat dicturi tum sumus fatebimurq; ingenue Lutherum in nos nihil indignum cõmisisse, quod nostram excusationem frigidissimam appellari uoluerit. Sin autem, honoris nostri ratio & necessitudo tunc edicere cogit, Lutherum frigidissimum uanissimumq; potius nugonem esse, qualem nunquam uidimus, & qui suis mendacijs calorem aut uigorem & soliditatem suppeditare nequeat, qui deniq; temere & absq; ulla ratione seu etiam necessitate ijsdem ubiq; permixtim uti uelit. Quoniam uero de genio quodam sibi familiari uel spiritu glorietur, quem etiam consecranei sui attribuunt, uerissimum esto hunc non esse aliquem cuius inspiratu ueritatem a mendacio internoscere, & uicissim edoctus sit, quin potius e diuerso. Et idcirco uerissimam nostram excusationem interpretari debuit ac nominare mendacium & imposturam. Declarat nempe Apologiam, quasi confessionem initi fœderis. Ex quo sane indagatu facile est, quam multis huiusmodi mendosis & in alium sensum a genuino detortis & deprauatis interpretationibus sacrorum bibliorum, maxime uero simpliciores defraudauerit, inculcando & persuadendo quasi ipsissimæ ueritati consonas. Cumq; pollicitus sit, Historiam Ecclesiasticam contexere de rebus mirabilibus sub Euangelium suum gestis, sane poterit hoc suum figmentum illis inserere & adijcere, quippe quod istiusmodi sit ut nouum sit & mirabile satis splendidiusq; mendacium, quod etiam ornamentum non exiguum nec uulgare, imo maximum carissimumq; addet historiæ? Adhæc si ueridici spiritus ductu regeretur, is utique multis indicijs uerisimilioribus, quæ etiamnum naturali sagacitate quadã cognoscuntur, ipsum instruxisset, unde discere uicissim potuisset fœdus illud confictum merum esse fucum, fallaciam atque mendacium.

Lutherus frigidißimus nugo.

Præsertim ex ipso stilo, sicuti ius, & cumprimis Canonicum siue diuinum clarissime docebit. Fieri tamen potest, ut ex quo Lutherus omne ius promiscue exussit, eidem quoq; donum discretionis & prudentiæ merito sit ablatum.

Etsi uero multis modis falsum huiusmodi sæpe memoratum fœdus esse animaduerti liceat, uiolat tamen illud ipsum præcipue, regiæ Maiestatis per Hungariam & Bohemiam titulum primariũ, quæ se iam pridem Regem Hungariæ scriptis ediderat. Nunc autem in isto figmento titulus tantum in Bohemos ditionem significans, ei tributus est. Præterea inclyta Regis Maiestas non consueuit maiores suos Hungariæ Bohemiæq; Reges ijsdem titulis condecorare, quibus solent proceres alij, uerum ipsa potius Serenissimum ac Regem Ludouicum fratrem nominare solita est. Quod non modo circa Regiam Maiestatem non obseruatum uidemus, uerumetiam & in cæteris omnium Electorum principumq; recen seudis titulis, ac perinde Inclytæ recordationis, Rex Ludouicus, Clementissimus Dominus, cæterorum Principum more nuncupatus, contra leges archigrammatæi siue ut loquuntur Cancellariæ.

Tertio in hisce uerbis ac titulis uidelicet, Clementissimo simul ac Dilecto Domino nostro, fratri, ac gratioso Domino &c. Ordo legitimus scrinij ipsius neutiquam sibi constat, quin si iuxta personarum statum Cæsarea Maiestas compellari debuisset, multo aliter in nostris archiuis scriptum fuisset, ad hunc modũ nimirum: Nostro dilecto Domino fratri, gratioso ac Clementissimo Domino.

Quarto Saxoniæ Principes Duringiam ipsam Misniæ anteponere solent, quod nõ modo neglectum uidemus, quinetiam nonnunquam immutatum.

Quinto propter incursiones & inuasiones militares plus insimulati sumus quam alioqui duo uel tres alij, unde facili negocio quiuis commentum explorare potuit falsum esse.

Sexto, Regia Maiestas per Hungariam atq; Bohemiam, nunquã arrogauit sibi, ut nostram personam suum Principem quasi subditum nominaret, quemadmodum in prodito nuper figmento factũ uidemus. Ex quo rursus manifestariæ falsitatis illud conuincitur.

Septimo cunctis manifestissimum est, Storckauiam & Baskauiam non esse principatus, at duo tantum esse dominia, in quæ nullam maiores nostri Electores Saxoniæ, iurisdictionem intra annos uiginti habuere. Quæ tamen sic posita sunt, ut & cætera mendacia.

Octauo,

Octauo, Cum ambobus Brunsuicorum Ducibus tractaremus &c. Qum tamen liquidum sit Erichum Ducem Brunsuiceñ. eodem tempore, quo nos, Breslæ fuisse. Idcirco si quippiam transigendum nobis superfuisset, ipse utiq; nobiscum profectionem confecisset.

Ex his itaq; singulis (tum uero maxime quod incerto nomine res quasi gestæ conscriptæ sint, nec secus exhibitæ quam si ipsi exhibitores uel collatores coram fuissent) quam plurimis diuinandi pariterq; statuendi ratio data est, quod nimirum hæc nobis obiecta & imposita confœderatio, nihil prorsum sit quam uanissimum quoddam figmentum.

Nihilominus Lutherus ipse, instinctu genij sui scribere non ueretur huiusmodi quid, in Principem suum tentatum esse, sed ut illos (quos scilicet fœderis incusat) pudeat, oportere.

Negetur licet, excusetur, uel fingatur, ipsum tamen certissime scire, hæc fœdus non esse uanum aliquid aut chimæram poeticam.

Quicunq; gloriatur quicquam se scire, præsertim cum ipse sibi illius rei certam scientiam attribuit, deberet sane is rationem euidentem assignare, unde talem cognitionē accepisset, nempe quod ipse proprijs oculis uidisset, uel audisset, aut deniq; ad minus, a duobus fide sincera narrantibus, qui uel audissent, uel uidissent. Nunc autem fieri potest, ut Lutherus huiusmodi commentum uiderit, uel audierit componi, fortasse ut etiam quadam ex parte ipsemet composuerit, aut ad hoc consilium dederit, ac sic quidem credibile fore eum his quasi medijs in cognitionem initæ conspirationis uenisse. Nec tamen ideo dicimus mox concedendum esse, hoc nisi prius tributam sibi hac de re cognitionem uel etiam experientiā, firmis fideq; multā dignis rationibus probarit, quæ ununquenque ad aliquod istiusmodi testimonium æquanimiter permouere deberent, quodq; uel sic in rei fidem ut gesta erat, hanc scripto mandare coactus sit. Vel alioqui huiusce rei gratia redargutionem uel contradictionem efficiat, ipsamq; ueritatem tam aperte profiteatur & diffuse explicet, quam suum ipsius mendacium, quod etiam cōficti fœderis causa ipse nos falso detulerit, non coacte, sed suapte sponte, non errore, sed destinata uoluntate, compertumque habuerit, uanissimum esse, chimeram confictam, & unum mendaciorum maximum, neq; nominatum neque auditum antea. Quod nisi fecerit, nō possumus etiam ipsius animum plus incendere, quam in nostra factum est excusatione, licet ut ait frigidissima, simulac

Ratio sane satis euidens conuincit Lutherum mendacij.

O ij deeo

deeo dicendum scribendumq; nobis restat, quod impudens ille Monachus admentiatur nobis, tanquam peruersus aliquis, infamis & perfidus nebulo, quemadmodum eadem illa nostra uidelicet excusatio (ab ipso sic æstimata ac si frigidissima foret) complures qui huius fœderis causa, rationibus nos uacuos dimittere nolint, percellit, & conscios reddit.

Peregrino titulo Dux Georgius Lutherum cõpellat.

Nec unquam Deo uolente comperietur qui hanc obliteret aut tollat, quo confictum fœdus uerum esse demonstret, aut ut nostri causa aliquando in eo componendo laboratum esse comprobet, futurus est nemo.

Et cum Lutherus ipse deinceps portentum satis mirabile dicat fœdus illud esse, decuisset magis ac satius illi fuisset, si penitius negocium discussisset, quam quod tam audacter, prætergressa omniũ nostrũ constanti & inuicta negatione, mendacium manifestissimũ nobis affingeret. Nam certo sciens rem aliter se habere ac ipse suis persuadeat, falsum nihilominus ac irritum plane absurdumq; testimonium in nos proferre libuit. Quod etiam insolida plane & indiscussa ratione confirmare nititur, dicens: Toti orbi manifestum esse, quod nos cæteriq; in conficto fœdere promulgati, rem huiusmodi palam, ex proposito, consilio, mandato, omniq; diligentia hactenus commisissemus, & adhuc committimus.

Cæterum cum in hac dictione (Tale uel huiusmodi) significetur, quasi per relationem quandam, ratio confœderationis, quo modo & utitur, nihil minus est, quam quod illa confœderatio nimirum ei affingatur, aut non nisi ut clarius dicam, iniuste possit ascribi.

Nec aliquis mortalium est in uniuerso terrarum orbe, qui libere atq; constanter effari & proferre possit, quod ipsi nostris cognatis siue Electori Saxoniæ, siue Hassiæ Lantgrauio, maleuolum animum aut etiam amarum affectum, sicuti confœderatio nobis ascribere uidetur, uel in minimo quidem exhibuerimus, aut aliquam occasionem præbuerimus quæ nos eisdem suspectos redderet.

Neq; propterea quod non passi fuerimus sectas Lutheranicas fines nostros inuadere, quin potius tanquam pro aris & focis dimicaturi, ut habet adagium, fortiter restiterimus, idcirco hinc continuo efficitur aliquos tanquam conficti fœderis conscios notari, atque redargui. Ac merito quidem Lutherum tam puerilis cõsequentiæ pudere debeat.

Demirandum utiq; a tam lijncæo hæc præter missa esse historiographo, qualẽ se uenditat Sleidanus.

Superiꝰ

Superius quoq; ipsimet Luthero satis multas & efficaces ratio-nes dedimus, propter quas hactenus peruersam suam doctrinam pro uero Christi Euangelio, uel quod hoc etiam illi debeatur, exi-stimare minime obseruareq; potuimus: Cui sane maiorem nobis ansam supradictũ suum mendaciũ prabuit, ut nimirum priori no-stræ sententiæ insistamus ac inhæreamus. Nam usq; modo ex scri-ptura sacra assequi neutiquam potuimus Christum conseruatorẽ nostrum aliquo tam publico & insigni halophanta ad apostolicũ munus usum esse, aut etiam per hunc decreuisse Euangelium an-nunciare, & diuulgare populo. Quare si Lutherus deinceps in sua Epistola Euangelium Christi putet, æque uerum est & credibile q̃d nobis attribuit, quasi nos uidelicet abolitionẽ illius Euangelij sua-uiter ferre queamus, atq; aliud, quo nobis confictum fœdus impu tat, aut nos istius reos decernit. Simili quoq; procacia confictisque mendacijs antea nobis impegit Euangelij renunciationem, ac alias sæpe uarijs conuitijs nos traduxit. Arbitrabamur autẽ eum semel cupiditate ac desiderio malignandi satiandum fore, & cessaturum quandoq; a cauillis & satyricis illis morsibus. Verum cauillandi fi-nem facere non uult. Deinde uero quod in eadem illa epistola, græ ca quædam contumeliosa satis ut accepimus, admiscuerit, tantun-dem rationis habet, ac si his ipse nos taxarit, uindictam a Deo exi-gens, qui sic in nos tanq̃ stultissimos omniũ desæuiat: Cuiusmodi soler et iã esse Euangelij sui gratia, indulgentia, & benedictio. Por-ro ex Euangelio Christi aut etiam ex actis Apostolorum talem ominandi siue præcandi consuetudinem nondũ didicimus. Aliud sane præstantius & salubrius Deo committere Lutherus debuisset. Nam uulgo dicimus Deus neminem perdere uult, quare nec in ali-quem furorem exercere, hoc enim est sæuire. Neq; uero ipsi nobis singularem aliq̃ sapientiam quandoq; arrogauimus aut ostentaui-mus. In stultitiam autem Lutherus nunq̃ Deo uolente, nos præci-pites dabit, nec committet ut mendacium cuius nos insimulat, sinẽ protestatione feramus, quando maius aliquid pignerari tentat, quã sua testetur cõscientia, aut ratio ꝑscribat. Quæ cũ sit hominis ipsius carissimũ pignus & ornamentũ optimũ, quale iam in Luthero mẽ-dax inuentum est, sic ut præ nimio fastu, inuidia, & emulatione, uel potius amaro quodã zelo, non possit nõ mendaciũ internoscere, quin potius quam primũ suo ꝓposito accommodũ uidet, ꝑ ipsissi-ma ueritate dimulgat, quo modo nõ nisi citra ultraq; rationis suæ dictamen pignerari uelit?

Præterea mouet nos quod ipse orationes suas iactitet, & inijs cum fastu quodam glorietur. Certe si pro nutu suo atque renutu ageretur, plus sane uirium periuria ipsius, litigia, maledictiones, & orationes usque nunc accepissent, & maiores sane operationes edidissent atque ædiderunt.

Alios itidem & nos in sua epistola homicidas & insatiabiles sanguisugas appellitat, qui desiderent in Germania uidere sanguinolentam cladem.

Sitit Catholicorũ Principũ necem Lutherus.

Fauori quorũdam plus concedit Lutherus quam suis supplicationibus.

Quibus sane uerbis necdum potuimus pacificum illud Euangelium Christi apud eum consequi, sed quod nostrum magis sanguinem & perniciem sitiat. Quia uero se imbecilliorẽ Deo gratia huic extinguendæ siti experitur, non tamen præcibus ipse suis confidit, licet trasonice easdem uenditet, quinpotius Principibus quibusdã, quos sibi deputat suis molitionibus præsidium allaturos. Hi qui sint, & quos posse iudicat, compertum ipse habet. Speramus aliquando futurum quod hi ipsi discent, cuius ingenij sit ille, & quod mendacium ipsius rectius experientur. Nec interea tamen horrebimus, aut metu expallescemus ne deserto nostro proposito, sectæ ipsius adhæreamus. Pro indubitato autem habemus, ac firmam de omnibus ac singulis principibus spem promittimus, quod ipsorũ nemo ab homine iniquo & doloso ad res nefarias tranferri atque seduci leuiter se permittet. Efficiemus Deo fauente, ne forte ipsis occasionem suggeramus machinandi huiuscemodi aliquid, quale futurum ab illis sperat Lutherus, sed ut nos quibusuis sic accommodemus, ne quod nobis obgannit, exprobretur aut uerum esse iudicetur, adeoque ipsa rei ueritate ab accusatione nos uicissim excusare ualeamus. Eo prorsus nostra obsequiosa & benigna tendit deprecatio, clemens insinuatio ac blanda petitio, citra omnem uidelicet assentationẽ, cupientes & obtestantes omnes & singulos, unumquenq; pro suo statu, ne Martino Luthero saltem in eo quod nobis mentitam cõspirationem impingit, acquiescat, nec fidem ullam adhibeat, sed omni contentione ac suspicione uacuos dimittere uelit, Lutherum quoq; talem censere, ut decet eum censeri, qui oppignorata conscientiæ suæ certitudine huiusmodi manifestissimũ figmentum, falsumque testimonium, absque omni ratione uera atque firma protulit ac scripto porrexit. De quo officiose ac perlibenter benemereri de omnibus cupimus cum gratia, omnique bona compensatione, & agnitione. In quorum fidem & testimonium, sigillũ nostrum

nostrum imprimi permisimus. Datū Dresdæ Sabbato post Luciæ, Anno Domini &c. xxviij.

Quoniam uero tam confuse, obiterq; hanc rem uti narratum est, ge[t]tam recenseat quoq; Sleidanus ipse, studeatq; populo inculcare ac persuadere, quasi in pacto illo ementito actum aliquid a nobis esset, ea propter hāc apologiā eo tēpore passim ac publice typis excusam enucleādæ defensandæq; ueritatis gratia, hic inseruimus. *Non satis bene hæc narrat Sleidanus.*

Nec tamen credibile est Sleidanū ueram & inuictam illam apologiam seu excusationem nō legisse, ex quo alioquin omne id q̄d Catholicis aduersari uideret, tam diligenter & ornate descripserit.

ANno instauratæ salutis humanæ, M.D.xxix. tanta aquarum Romæ in Campo floro, xisto uidelicet eiusdem Vrbis inundantia facta est, ut aqua ultra xxx. pedes accresceret, ac Romanensibus circunquaq; rerum multarum iacturam inferret. *An. 1529.* *Naucler us.*

Eodem anno exundans Oceanus, multas & ciuitates & pagos ac magnam deniq; Hollandiæ partem, itemque Zelandiæ & Flandriæ loca non exigua diluuio submersit.

Exoriebantur etiam hoc eodem anno magnæ cōtentiones Basileæ & religionis permutatio. Die nempe octauo Februarij, multi ciuium in Cænobio Franciscanorum conuenerunt, Senatū adeunt postulatū ut quotquot ex Senatorio ordine priscæ religioni dediti essent, exauthorentur. Publicū ibidem locū siue forum in suū cōmodum occupant. Sub uesperā Senatus illis respondit, placere quidem ut hi quos submoueri postulant, deinceps cū nimirū de negocijs religionis consultandū definiendumq; foret, in consiliū nō adhibeantur nec admittātur, in cæteris uero, locū gradumq; pristinū seruent. Tunc magis congregata plebs irritatur ac reluctat, portas ac turres armis inuadit, uallū obijcit, excubias statas agunt, more castrensi. Postero dein die pars ciuium in ædem primariā se recipit, oēs imagines humi sternit, indeq; p̄cedens simili modo in alijs templis sese gerit. Mittunt itaq; aliquot e Senatu ad cōpescendam & sedandā ipsorum proteruiā, q̄bus plebei obijciūt: Hoc de quo uos iamdiu deliberastis, nos una hora sumus exequuti. Pleriq; uero e Magistratu in oibus plebi assentiunt. Duodecim senatoresq primas tenebant, de gradu ut in p̄uerbio deijciunt, in Ciuitate & circūquaq; p territoriū Basilieñ. antiqua & Catholica religio abrogat. Quibus iā trāsactis læti domū q̄libet suā rediere ciues, qa uotis potiti essent. *Eadem quidē tibi refert Sleidanus, at nō satis candide.*

Tertio

Tertio post hæc die quando cineres benedici in Ecclesia ac populo in fronte ad signum crucis interi consuetum est, imagines e ligno fabricatas arripiunt, ac pauperibus distribuunt, in usum coquendi cibos. Ilico ingens murmur & commotio inter egenos suscitatur, quisq; ad pugnos rapere certabat. Qua ex re factum est, ut omnes illæ imagines ligneæ in fasces nouem redactæ, ante Basilicam ad cineres usq; exurerentur.

Comitiorum Dies Spiræ celebratur.

Insuper hoc anno sub initium Ianuarij Cæsar comitiorū diem Spiræ indixit, quæ tamē nō prius q̃ circiter calēdas Aprileis inchoantur. Principes ac ordines Imperij aderāt frequentes admodum, & Saxoniæ Dux Elector, Philippum Melanchtonem eo secum perduxerat. Hoc igitur pacto de religionis causa tractari ceptum est. Ferdinandus quoq; & collegæ, oppidanas legationes die quinto Aprilis seorsum ad se accersiri iubet: quas grauiter reprehendit, eo quod contra mandatum Cæsareæ Maiestatis plura commutassent, tamen cum adhortatione, quo uidelicet sese reliquis Regni statibus conforment, ne per ipsorum subductionē dies comitialis impediatur. Illi uero testabantur se concordiæ teneri desiderio, ac uelle Cæsaris causa quæuis præstare, deniq; iudicio œcumenici Cōcilij perlibenter se submittere uelle.

Postea uero quam illæ duæ nationis Heluetica ciuitates, Tigurum uidelicet, & Berna, a religione, ut dictū est, defecissent, inierunt Lucernates, Vrani, Suicij, Vnteruualdij, & Tugiani, fœdus cū Rege Ferdinando. His nempe nouitas dogmatum exosa erat.

Clemens Pontifex Maximus, hortatur Principes idibus Aprilis misso ad hoc Legato Ioanne Thoma Mirandulano, ad Bellum Turcicum. Licet autem superioribus annis multum damni accepisset, pollicebatur nihilominus subsidia omnemque conatum ut Cæsare Franciæq; Rege conciliatis, quam primum generale Concilium instauretur, quo tandem Germania, rursus eandem cū alijs orbis Christiani regnis amplectatur.

Porro Senatus Imperij ante menses aliquot Eslinga Spiram dimittitur. Cunq; eo Argentinenses Danielem Miegium Legatum suum destinassent, repulsam is passus est, nouæ religionis causa quā sustinebat, tum etiam propterea quod finem Comitiorum nō expectasset. Quod ubi rescissent aliæ ciuitates, pro Argentinensibus intercedebant, & Imperij morem obseruari cupiunt. Post hæc Iacobus Sturmius, qui ad eum Cōuentum nomine ciuitatis aderat,

Si ait

Si ait hoc modo repudientur Argentinenses, non est quod ullum deinceps subsidium Imperium ab ipsis expectet. Cæterum his omnibus nihil promouerunt intercessores, nam ipsemet Rex Ferdinandus ipsis respondit, quamuis aliam ciuitatem huic non dissimilem, quæ Cæsaris etiamnum edicto pareret, summitti debere.

Post longam autem de Religione controuersiam, superioris comitij Spirensis actio paucis repetitur. Decretũ enim ibidem erat ut quisq; in eo quod edictum a Cæsarea Maiestate Vuormatiæ cõstitutum concerneret, sic sese gerat, quo facti rationem Deo & Cæsari reddere posset. At uero plurimos esse qui hoc ipso abuterentur, & undiq; horrenda nouaq; dogmata sub hoc ueluti prætextu defenderent & excusarent. Quare nouum fit decretum in hanc sententiam. Quicunq; Cæsaris mandatum hactenus obseruassent, deinceps ad Concilium usque obseruent, de quo spem certam Imperator concedat, & populum etiam huc astringant. *Repudiantur Argentinens sese comitiali consessu.*

Qui uero alienam doctrinam accepissent, quam metu seditionis deserere nõ possent, se in posterum abstineant, nec aliquid amplius renouent, quousque Concilium habeatur. Similiter caueretur ne doctrina eorum qui secus atque Ecclesia Christi profitentur, recipiatur, neque aboleatur Missæ sacrificium, nec illic ubi nouæ doctrinæ semina sparsa essent, ullum impedimentum ijs præstent, qui officium Missæ frequentare uellent. Catabaptistis etiam qui tetanice & mordicus sua dogmata tuerentur, capitis pœna decernitur, ac bonorum publicatio.

Ministris quoque Ecclesiæ iniungitur ut iuxta receptam ab Ecclesia interpretationem, Christi fidelibus uerbum Dei annuncient, omissis articulis quæ in utranque partem rapi possent, & dubitationem ingerere, quin potius Concilij decreta patienter expectent. Adhæc ut concordiam omnes odines inter se mutuo confoueant, nec religionis gratia iniuriam in inuicem exerceant. Postremo ne alter alterius subditos in suam fidem atque tutelam recipiant. Qui diuersum attentarent, proscriptionis reos haberi. Huic decreto, se opposuere Saxoniæ Dux Elector, Georgius Marchio Brandeburgicus. Ernestus & Franciscus Duces Luneburgeñ. fratres, Lantgrauius Hassiæ, & Princeps Anhaldius, desiderantes potius in suscepta nupera ipsorum religione perseuerare, donec nationale Conciliũ inchoetur aut etiam celebretur, interea tamẽ se nolle aliquid quod illic reprehensione dignum iudicetur, aggredi promittunt. Verum

P ut ipsi

ut ipsi Decreto subscribant, non decreuisse, quia negocium hoc ad salutem singulorum spectaret. Palam protestantur, se propterea nõ posse consentire.

Huic autem principum Protestationi, communicato prius cõsilio, ciuitates primariæ aliquot sese adiungũt, utputa Argentina, Norenberga, Vlma, Constantia, Rutelinga, Vuinshemium, Meminga, Lindauia, Campidunum, Hailbrunum, Isna, Vuisseburgũ, Norlinga, Sangallum. Hinc auspicium nominis Protestantium, non equidem ita celebre ut peruulgatum, ueluti existimat Sleidanus, sed obscurum, quia formidabile, quippe posteaquam hoc nomen enixum est, Germania in grauissimas commotiones & calamitates est quoq; collapsa.

Vnde Protestantium nomen.

Discesserat iam e Comitijs Rex Ferdinandus anteaquam Protestationem suscepissent illi. Posthæc formam quandam Appellationis Protestantes conficiunt, in qua rem omnem ordine recitant Decreti comitialis, a quo ad Cæsarem prouocant, simulac legationem ad ipsum constituunt.

Postea uero quam Rex Galliæ filiorũ causa quos in Hispanijs obsides reliquerat, tristitia conficeretur, nec satis fœliciter in Italia pugnaret, mutata sententia, paci studere cœpit. Cuius rei gratia Cameraci Arthesiæ, Domina Margareta Cæsaris amita, & Aloisia Regis mater, multiq; alij Principes, inter quos etiam Erhardus a Marca, Cardinalis & Præsul Leodiensis, conuentum celebrem agunt, mensec; Augusto fœdera pacis ineunt, redintegrantes & statuentes etiam interdictum de Hereticis: ne uidelicet ijs permittatur in erronea ipsorum doctrina progredi.

Cõciliata pax inter Cæsarẽ & Gallum.

Cæsar etiam Regem Inferiori Burgundia donat, modo filium ex illius sorore Leonora procreet: Rex autem pro libertate filiorum obsidum uigesies centena milia aureorum numerat.

Sub idem tempus Turcarum Imperator Solimannus a Ioanne Vayuoda per Hieronymum Lascum Polonum solicitatus, infinito cum exercitu per Vngariam in Austriam perrexit, & Viennam illius Prouinciæ metropolim, obsidione cingit, die xiij. Septembris. Conaturque suffossionibus mœnia funditus subuertere, & sicubi ea subuertisset, collatis signis & uersis gladijs depugnat. Verum cum Germani milites illic præsidiarij Philippo cõmite Palatino Duce & Antesignano uiriliter ac strenue arma uiresque hostium a se depellerent, postridie idus Octobris,

Viennam Austriæ Turca obsidet.

re infecta

re infecta & inglorius abijt,non absq; ingenti & immani tyrannide. Nam in discessu multa Christianorum milia partim suffocauit, partim in miserrimam seruitutem uinctos abduxit, a quo tandē Vayuoda, Hungariæ Rex Budæ constituitur.

Eodem anno noua & inaudita morbi species in Germania grassari cepit. Etenim sudor quidam pestilentialis homines arripuit, & intra uiginti quatuor horas ita consumpsit, ut aut spiritum exhalārent, aut certe post difficilem ueneni exudationem, sensim pristinā recuperarent sospitatem. Anteaquam uero huic contagioni opportunum haberi poterat antidotum, multæ hominum miriades passim ac subita hac lue e medio rapiebantur. Genus hoc calamitosissimi morbi ab Oceano tendens, totam peruagabatur Germaniā, deglutiens paruo temporis spacio cum incredibili quadam celeritate homines circunquaq; ut solet incendium, quod admodū ægrē sistitur. Vulgo dicitur Anglicus languor. Quandoquidem anno primo Henrici septimi Regis Anglorum, qui erat annus a Christo nato 1486. cepit hæc infirmitas Insulanos ibidem grauiter diuexāte, & quoniam remedium incognitum erat, plurimos incunctanter tollebat. *Sudor Anglicus.*

Hoc etiam tempore, parum uini frumentiq; natum est, sic genus humanum dum a Deo retrocedunt, & ipsius iussa cōtemnunt, multis plagis affligitur, ut alias solet iratus, nempe pestilentia, bellis, & fame: Quibus sane tunc temporis Germania his omnibus obnoxia fuit.

Præterea eodem tempore duo tetanici & pertinaces hæretici, Petrus Flistedius, & Adolphus Clarebachius, Coloniæ Agrippinæ cōprehensi, post longam atq; maturam Virorum doctorum deliberationem & examinationem, ad tribunal supremi iudicij perducuntur, & secundum iura damnantur tanquam contumaces hæretici, tandem ad patibulum in fauillas rediguntur. Nam cum errorum conuincerentur & perfidiæ, cedere ueritati Ecclesiasticæ noluerunt. *Clarebach Coloniæ exustus.*

Superius a nobis memoratum est dissidium illud & simultas quæ inter Lutherū & Zvuinglium intercesserat. Vbi uero hæc diutius quam toto triennio durasset, Lantgrauius inito cum socijs cōsilio, studuit alterum alteri reconciliare. Heluetios quoq; idem ille requirit, diemq; præscribit, quo doctiores utriusq; partis Marpurgi conueniant, ac negocium controuersum sedate & amice transi- *Colloquium Marpurgēse.*

gant. Igitur ex Saxonia mittuntur Lutherus, Melanchton, & Iustus Ionas, ex Heluetia Oecolampadius & Zvuinglius. Argentinenses quoq; Bucerum & Hedionem legant, Noribergeñ. denique Osiandrum destinant. Cum autem inter se consentire non possent in articulum augustissimi Sacramenti altaris, positiones aliquot Ecclesiæ Catholicæ contrarias paribus uotis ediderunt, quatenus uel sic quippiam determinasse crederentur. Alias isthinc discordes abiere, quemadmodũ ccc. argumenta quæ Zvuinglius Luthero obiecit, & econtra super ea dilutiones defensionesq; declarant.

Mense uero octobri anni eiusdem, proceres nonnulli & oppidanæ uel ciuitatum legationes Zvuabachi comparuere.

Tunc nomine Saxoniæ Ducis Electoris & Marchionis Brandeburgici nouorum dogmatum themata in epitomen congesta sunt, ĳsdemq; exhibita seu prælecta, quo insimul omnia amplecti, eademque tueri & protegere se obligent atq; deuoueant.

Et quum non satis inter ipsos de fide conueniret, diuersasq; & quidem contrarias opiniones de Eucharistico sacramento haberent, responderunt Argentinenses cum Vlmicis huiusmodi nihil in mandatis sese habere. Ac propterea idibus Decembris aliam Smalcaldiæ Diætam indicunt.

Hoc etiam anno Erasmus Roterodamus, qui Basilea relicta propter religionis difformitatem, Friburgum secesserat, opusculum edit, cuius titulus erat: Contra quosdam qui sese falso iactant Euangelicos. in quo liquido testatur se nullum horum nouisse, qui non euasisset insolentior uel deterior. Quod profecto Argentinensium & Basiliensium pseudeuangelistas grauiter tulerunt, maxime uero eo quod plurima in Bucerum, qui desertor erat instituti D. Dominici, scripsisset.

Caroli V. in Bononiam aduentatio, eiusdemq; coronatio.

Eodem anno ex Hispanĳs Cæsar mari traiecto Genuam appulit. Indeq; nonis Nouembris Bononiam est profectus.

Ad cuius occursum uiginti quinq; Cardinales ornatissimo equitatu obuiam processerunt. Cumq; uix unius bombardæ iactu Cæsarem obuium ipsis haberent, mulis descendunt, eumq; pedes reuerenter excipiunt. Bononienses quoq; aggratulaturi tanto Principi comitantur quatuor milibus equitum. Bononiam igitur hoc apparatu, honorificentia & pompa deducitur Cæsar, quæ tam magnifica extitit, & gloriosa, qualem antea non uidit Italia. Vehebantur

Catapultæ,

Catapultæ,centumq; gerræ,omnes ex ramusculis Lauri, extantibus quoque frondibus, contextæ, manibus gestabantur, duodecim uexilla Germanorum instructissima sequebantur. Multi quoque proceres cataphracti, quibus duo signa præferebantur, unum candidum plane ex purpura damascena,cui inerat crux rubicunda. Hoc enim Ecclesiæ uexillum erat,alterum uero ex auro fuluo & in medio biceps aquila cernebatur. Numerus cataphractorum fere septingentos habebat, qui omnes aut sane maiori ex parte præciosissime ianthinis,coccinis,aureis, argenteisque uestibus, alij uillosa purpura croceo colore tincta ornati fulgebant, cristas insurgentes nitenti rutiloque conohabebant. Quos sexcenti fere stipatores Cæsareæ Maiestatis subsequebantur,omnes flauis indumentis ornati, glauco cæruleoque colore uariegatis. Inter quos Cæsarea Maiestas inequitabat sub aureo throno seu conopeo desuper extenso, candido & robusto conscenso caballo, cuius camus, frenum, & stapedes cæteræque phaleræ deauratæ erant. Cæsar quoque a capite adusque pedes armatus huic insidebat,paludamento siue thorace aureo amictus sindone superinducta, fœmorali denique e purpura, pariter carmasino, bysso & sindone fulto ac eminente hinc inde. Hoc inquam ornatu, hac gloria, tot denique nobilium equitum procerum & Cardinalium preciosissima fulgentissima corona undique stipatus, ad locum palatij peruenit.

Quo cum peruenisset ab equo descendit, ac pedes templum ingreditur sub aureo illo conopeo. Pontifex Maximus dum subingreditur,honorifice assurgens, sese tertio ad ipsius conspectum inclinat. Occurrit Cæsar sic inclinanti Pontifici, geniculatur, pedes, manus & faciem eiusdem reuerenter exosculatur,simulac Pontificem Maximũ sic affatur sermone latino: Sanctitati tuæ nunc adsum, Pater sanctissime, cuius præsentiam gratulabundo mihi desiderio dudum exoptaui, meque tuæ Sanctitati filium deuoueo, patrem autem fidei Christianæ futurum, operibusque promissa uerba præstabo. Tunc Pontifex iterum assurgens, uicissim tertio adosculatur, ueniam obtestatur, & ne pedum exosculationem abominetur postulat, neque enim istud sua sponte factum, quin ceremonijs ita sancitum esse dicit, quum Imperator aliquis corona insigniendus est. Tunc tantus personuit tubarum, cithararum, tympanorum, aliorumque instrumentorum

Popularis ovalis præcatio. & Cæsaris hostimentum.

clangor, ac si in iudicium totus orbis euocandus esset. Quocunque diducebatur ouantium uoces ad sidera tolluntur, bene precantes, in hæc uerba: Viuat Imperator terra mariq;. Multi promiscue, Viri & mulieres tanto triumpho atq; melodia præ lætitia illachrimati sunt. Cæsarea Maiestas Sacculum aureum Pontifici Maximo donat, in quo magnæ auri partes, uulgo Medaijen appellant, continebantur effigiem habentes Cæsaris, quarum præcium census erat 4000. ducatorum.

Posthæc sclopi & serpentinæ, omnes machinæ ad tria milia exonerantur, Campanæ pulsantur, ac pyræ triumphales summo artificio in hypetrio ac loco plano extruuntur.

Protestantiũ ad Cæsarem nuncium.

Paulo ante memorauimus protestantes solenne nuncium ad Cæsarem instituisse, hi igitur qui in id uacabant, quum Genuam appulissent, Cæsarisq; reditum ex Hispanijs comperissent, modis aditum sibi procurabant. Cæsar illis diem duodecimum Septembris præscribit, mandans, ut petitionem scripto communicent omissis ambagibus quibuscunq;, quandoquidem uarijs grauissimisq; causis occupatus esset. Cum igitur ad prestitutum diem comparuissent, per interpretem illos hortabatur, ut breuiter absoluant. Tum ordine cuncta referunt, quæ in Comitijs determinata essent, asserentes si hæc confirmentur, magnam inde perturbationẽ exorituram. Idcirco Saxoniæ Dux Elector pronunciasset, nec se nec suos subscripsisse. Deprecabantur interim Cæsarem ipsum ne propterea indignetur, quin potius suam ipsorum causam suscipiat tanquam rem necessariam, illos autem donec Concilium cogatur nihil aliud esse cõmissuros, quam, quod Deo suæq; Maiestati gratum fore sperarent. Orabant præterea, si fortasse causa ad ipsum secus delata sit ne credat, sed hanc narrationem potius fide prosequi dignetur, nec eis succẽseat, quousq; ad plenum seipsos purgassent. Quoniam uero non satis hæc res uerbis explicari posset, ad uberiorem istius rei cognitionem calamo cætera perstrinxissent, quemadmodum etiam libellis ipsorum supplicibus cum omni modestia & submissione, suæ Maiestati iam exhiberent.

Cæsaris per interpretem responsum.

Ad hæc per oratorem respondit Cæsar. Quod nimirum petitionem ipsorum intellexisset, simulac decreuisset huius rei gratia consilium inire cum suis, & respondere quod rectum uideretur.

Respondet præterea scripto.

Posthæc die uidelicet xiij. Octobris respondit scripto Cæsar, de actione tota Spirensi, & decreto ibidem definito a fratre Ferdinando Re-

do Rege, eiusque socijs, prius se percepisse, quam ipsi aduenissent testatur. At uero non mediocriter discordiam sibi dolere, quippe quæ multum malorum incommodorumq; peperisset, cunq; interea muneris sui sit huiuscemodi præcauere, ne horum quippiam eueniat, uel sane si eueniat, corrigere, idcirco multum grauiterq; cum suis consiliarijs se deliberasse, atque ita compertum habere, decretum illud eo deuergere, ne quid deinceps innouetur, nec ullis postmodum sectis locus sit, cuiusmodi nunc subintroductæ sint complures, & quidem oppido diræ, insuper ut pax & concordia per Imperium recuperetur, & ob id Saxoniæ principem & congerrones merito debuisse his omnibus consentire, quoniam & sibi alijsque principibus salutem animæ & conscientiæ serenitatem non minus esse cordi quam illis, neq; minus cupere se concilium quam illi, ordinandæ reipublicæ causa, quod alioqui concilium non admodum necessarium uideri posset, saltem si ea quæ unanimi assensu definita sunt, ualerent, si denique illud omnium ordinum calculo Vuormatiæ superioribus annis confirmatũ decretum & huic per se adiunctum mandatum obseruaretur, quemadmodum & ipsi pariter confiteantur eiusmodi decreta firma esse debere atque adeo rata. Quæ cum ita sint, tum quia consuetudine receptum sit, ut quod sanior maiorque pars ordinum Imperij sancijt, ne paucioribus aliquot conuellere liceat. Quocirca se datis ad Saxoniæ Ducem Electorem sociosque literis, mandasse, quo constitutum Decretum seruent, nec uiolent, sed huic pro ea fide qua & sibi & Imperio astricti sunt, modis omnibus obsecundent, alias namque futurum, ut ad indicium authoritatis & exemplum aliorum, grauiter in eos ipsos animaduertat: existimare autem has suas literas illis redditas esse, uel propediem reddendas, & opere præstituros, quod fieri mandauerit, id sane quam gratissimum sibi fore, equidem hoc maxime tempore, quum certissime denuncietur, Turcam Christiani nominis infensissimum aduersarium, iam in Vngariam progressum, omnibus uiribus petere Germaniam, hac uidelicet de causa ualde opus esse domestica illa concordia, quoniamquidem ut pro Turcico bello alijsque usibus Imperij pecuniam & suppetias illi conferant, nisi tamen unanimes existant, nisi pax & beneuolentia inter omnes Imperij gradus habeatur, nihil quicquam utiliter contra tantum hostem posse expendi aut geri; nec enim agi

de una

de una saltem aliaq; prouincia, sed totum hunc Christianum orbem, potissimũ autem Germaniam, neq; coniuges solum, uxores atq; fortunas uniuscuiusque, sed fidem, religionem, sed leges omnes, & quicquid denique charum prorsus esse potest, in præsentissimum periculum arripi, iam ergo resistendum illi, cōiunctis animis uiribusq;, aut hæc tam horrēda, tam dira, tamq; periculosa pariter, incontanter expectanda: quod si nulla restaret causa alia, tamen hanc præsertim ob causam, illos debere omnem suum conatum ad sanioris maiorisque partis ordinum Imperij uoluntatem referre, ac proinde petere se denuo atque mandare, quatenus constituto decreto obtemperent, sicut & cæteri status imperij, qui sane non minus atque ipsi religionem uitamque suam approbare Deo desiderent, simultate quoque omni seposita, & dissensione, deliberent inter se cum alijs atq; decernant, quo pacto fratri Ferdinando Regi subsidia destinentur, quibusue modis Turcarum immanitas retundi queat, & ita cohiberi, ne latius atque diutius grassetur. His itidem de rebus se coram cum Pontifice tractaturum, quo nimirum & truculentissimus ille hostis abigatur, totumq; religionis negocium ad gloriam Dei, & communem omnium prosperitatem dirigatur, simulac rebus per Italiam sedatis, primo etiamnum tempore uim omnem omnesq; copias in Turcam uelle se cōferre. Itaque sperare, illos periculorũ amplitudine ponderata, præstituros, quod alias pro officio debeant.

Eo igitur dato responso, legati, cum legissent appellationem, sicut erat conscripta, tradunt Alexandro Schueissio; testibus in eam rem, ut fieri solitum est, assumptis. Ille uero primum renuit, at tandem recipit, & Cæsari exhibet, eodemq; die post meridiem redit, & reliquo sermone absoluto, Cæsarem mandare ait, ne diuersorium egrediantur, ne quicquam suis scripto communicent, ne quem e suis aliquo dimittant, donec aliud renunciet, pœna capitis & bonorum indicta, si secus faciant. Huius rei Michael Cadenus ilico factus certior, rem omnem Senatui Norenbergensi transcribit, & literas summa festinantia perferri curat. Ad extremum autem, die trigesimo Octobris, Parmæ quo etiam dimissi fuerant, a Nicolao Granuellano nunciatur eis: Etsi exhibitam sibi appellationem Cæsar ægre ferat, tamen concedere ut domum ad suos repetant.

Sub istud tempus Cæsar missis in Germaniam literis die xxi. Ianuarij, diem Comitialē Augustæ ad diem octauum Aprilis præscribit, religionis præcipue, & belli Turcici gratia. Sexto posthæc calendas Martij, summa magnificētia atq; gloria a Pontifice maximo imperiali corona fuit insignitus. Nam ex ipsius Palatio præferebatur eidē in gladius uagina ornatissima margaritis & alijs unionibus preciosissimis auro inclusis perpolita. Sceptrum quoq; & malum aureū, aureaq; corona ferreo circino suffulta. Tum Cæsarea Maiestas medius inter duos Cardinales processit, & cum in tēplum esset introductus ante primariū altare, ad pedes unius Cardinalis ibidem procumbens, solitum iusiurandum præstare debebat. Quo quidem iam præstito, in dextro eius brachio & intermedias scapulas sacrato inungitur oleo. Posthæc apparuit Clemens Pontifex, plurimis contomitatus cardinalibus, & erectā sibi cathedram eminentiorem cōscendit, ita ut illa in qua Cæsarea Maiestas secus ipsum sedebat demissior uideretur. Dum canitur Epistola, ex cathedra sua desiliens Cæsar, ad Summi pontificis pedes sese prosternit. Qui imperialem gladiū eximit, Cæsari porrigit, & porrectum in preciosam illam recōdit uaginam, quo deniq; Cæsarem præcingit. Hoc itaq; præcinctus Cæsar, eundem extrahit ac tertio in terram figit, & eleuando uicissim in altū uibrat. Deinde corona a Pontifice redimitur, sceptro donatur & aureo malo, cū multis præcationibus & benedictionibus. Decantato iā Euangelio, Cæsarea Maiestas ad altare perducitur, illic duodecim ducatos duplices pro imperiali sua magnificentia offert. Interim quo Agnus Dei solenniter intonabatur, iterum atq; iterum assurgens Cæsar, Pontificem reuerenter adosculatur, & communicaturus sacratissimam Eucharistiam adijt altare. Absoluto Missæ sacrificio, Pontifex & Imperator ædem sanctā pariter egressi, quisq; in suam redijt inde curiam.

Die posthæc xxiiij. Februarij, tamta pompa atq; triumpho inauguratio posterior pacta est, ut describi uix possit. Initio tēplum ipsum auleis preciosissimis & incomparabilibus undiq; cōstratum fuit. Extabat quoq; menianum quasi pons quidam per quod commode ex aula in templum descēderetur affabre factum, arboribus frōdibusq; obductū, cum suis antepagmētis. Cæsar itaq; per illud descensurus, & passibus aliquot præcessisset, post ipsum disrumpitur pars magna in spatio circiter tres passus, plurimiq; ex ipsius stipatoribus simul corruerunt, ut etiā aliquot damnum acceperint.

In area duo Leones erecti erant, in quorum medio Aquila biceps cõspiciebatur, ex rostris fluebat rubrũ uinum, & albũ. Proxime bos integer torrebatur, distẽtus apro, agno, multisq; pdicibus, capis, pauonibus & diuersi generis uolatilibus, quorũ christæ seu etiam capita extra distentum illum uentrem prominebãt. Quæ quidem omnia discerpta sunt. Et post inaugurationem lautissimum cunctis promiscue conuiuium instructum est.

In hac eadem area Lanciarij milli & octingenti, Hispani quoq; mille & quingenti in ordinẽ militarẽ collocati erãt, & in circuitu ingẽtiores catapultæ positæ. Postea assumpt⁹ Põtifex in sedẽ purpura damascena obductã auratisq; nodis ornatã, illuc a duodecim uiris baiulatur, stipatus circunquaq; a suis ministris in templũ usq;, magno cum splendore deportatur, trina illa corona redimitus erat, cãtores aderant & lusores uocibus organisq; suauissime modulãtes, Doctores, Scribæ, Canonici confertissimo numero præcedebant & sequebantur. Deinde sexaginta quatuor Episcopi, Cardinales uiginti, ordine & ceremonijs decentissimis, insulati & ornamẽtis sacerdotalibus induti procedebãt. Quos e uestigio sequebatur Cæsar cũ centum satrapis Hispaniæ, qui uestibus deauratis, præciosissimis margaritis & gemmis consertis splendebant. Horum quoq; pedissequi & caculæ, alij aureis, alij bissinis, alij deniq; sericis induti erãt, ita ut nihil nõ præciosum in æquitatu in uestitu uidisses, nihil desiderare potuisses ad maius ornamentũ & triumphum. Omnia tam nitide tamq; opulente perficiebantur, ut nihil supra. Medius it inter duos Cardinales Cæsar, amictus tunica aurea, fimbriã habẽte reuulsam & clauatam. Hi igitur Imperatorẽ in sacellum quoddam adducũt, ac denuo iuramentum ab eo excipiunt. Deinde sacra stola indutus uel tunica sacerdotali potius, in Sacerdotem more antiquo & solito inungitur. Nec mora posthæc in uno aliquo sacello nouo habitu induitur, & in medio templi geniculatur repetens consuetum iusiurandum Christianæ siue Romanæ Ecclesiæ præstandum. Cæsare in terram prostrato, Sanctissimum trinitatis nomẽ diuorumque omnium inuocari ceptum est, & præcari (ut in litanijs solet) Ora pro eo N. Posthæc ad altare progreditur, & cum flexis genibus orationem suam compleuisset, Pontificem iterum adit, coram quo reuerenter sese ad terram usq; inclinat. Inde digressus in Sacellum, sancte iurat, se & Christi Euangelium & Ecclesiam defensurum & opitulaturũ: Sicq; in Diaconij gradum susceptus est Cæsar.

Tum

Tum æneatores tubis personuerunt, & postquam ad Pontificem uenisset, Comes Nassauiensis coronam reuerenter recipiens deponit, nudatoque capite Cæsar procumbit humi ad pedes Pontificis, & accepta benedictione sessum abijt. Tunc ornamenta illa quatuor carissima, Sceptrum, malum aureum, gladius, atq; corona altari imponuntur. Dumq; Epistola canenda foret, in chorum producitur coram Pontifice, qui gladium ipsi porrigens, se eo præcingit, euaginat, & trinis uicibus mucronem in terram figit, totidemque uicibus in aerem uibrat. Deinde multis ceremonijs, corona caput Cæsaris cingit, quæ magno utique precio constiterat. Tunc rursus concentum est tubis. Posthæc aureo malo sceptroque Cæsar identidem donatur, & quum se reuerenter uersus Pontificem inclinasset, in pedes rectus erigitur. Dum Euangeliū canendi tempus adesset, omnibus ornamentis se exuit, quibus in terram abiectis, leuitica ueste induitur, sicque ad Pontificem ueniens manus ipsius reuerenter exosculatur, post quem etiam geniculatur. Et facta consecratione, & ad osculum pacis missa completa, Pontificem osculo dignatur, similiter & omnes cardinales fecere. Moxque ad genua se componit Cæsar, ut sacrosanctam eucharistiam digne reuerenterque excipiat, & post communionem ambæ ipsius manus lotæ sunt.

Expletis missarum solennijs, publica supplicatio, cœtu cardinalium amplissimo & cunctis Ecclesiæ ordinibus frequentanda instituitur. Cum autem Pontifex, & Imperator ad uestibulum templi prodijssent, equi duo turcici tenebātur, ut in uno summus Pontifex, in altero Cæsar equitaret. Hic ergo Pontificem ad destinatum sibi equum educit, quem freno corripiens, moderatur, donec conscendisset, secundum deinde Cæsar ascendit. Gestabatur quoque sacrosanctum augustissimumque Sacramentum, sub aureo throno, cui Pontifex & Cæsar honorifice ad palatium usque adequitabant, ut fieri uidemus quum procedit celebris Ecclesiæ obsecratio decenti ordine digesta. Hos deinceps sequebantur tres Anglici asturcones seu equi gradarij aureis phaleris constrati, poderes sexaginta quatuor in triumphali illa processione ex auro contextæ uisæ sunt, exceptis alijs nimirum tunicis demissioribus, quibus omnes fere nobiliores ex auro confectis utebantur, nam sericum, coccum, byssus, & purpura, nullius aut sane perexiguæ existimationis illic erant. Quæ quidem omnia ad gloriam Cæsaris spectabant.

Q ij Magnā

Magnam quoq; nummorum uim nouiter excusorum præco Cæsaris in plebem liberaliter distribuebat, integros ducatos nec parui precij numos plateatim in occursantes turbas dispergebat. Ad ædē D. Dominico dicatam Cæsarea Maiestas ante Pontificem equitat, pulcherrimis adhibitis ceremonijs. Quo cum peruenisset, multos ex Galliæ, Germaniæ, Burgūdiæ, Hispaniæ Franciæq; proceribus, equites auratos ibidem creat. Tum demum in aulam, nouorum equitum frequentia condecoratus, reuertitur. Confestim ingenti fragore concutitur ciuitas ex catapultarum exoneratione, tunc militum dimissæ phalanges, ad diuersoria & sodalitia secesserunt. Postremo torneamentis, hastiludijs, grauiter decertatum est, Ludi theatrales, & spectacula quæ animos exhilarare, oculos ac aures demulcere possent, passim ubique exercebantur. Hactenus de inauguratione Cæsaris.

Interea Maiestas Cæsarea plurima tractabat in pacificationē siue reconciliationem Galliæ. Siquidem in aduentu suo rei status in Italia perturbatus nec satis tranquillus erat. Qua in re tantam diligentiam exhibuit, ut tandem concitatam nationem in ordinem securitatemque pristinam restitueret, partibus aduersis passim reconciliatis & pacificatis;

Magistratus Noribergensis mox ubi literas illas a Cadeno accepisset, Saxonem, Lantgrauiū cæterosq; collegas certiores reddit die xxIIII. Octobris. Habita cōsultatione, decretum est Smalcaldiæ fieri cōuentum, sub exitum Nouembris. Igitur eo uenerūt die dicto, Saxoniæ Primas, eiusq; filius Ioannes Fridericus, Ernestus & Franciscus Luneburgēses, fratres, Philippus Lantgrauius, Georgij Brādeburgensis senatores, ciuitates denique Argentoratum, Vlma, Noriberga, Heilprunum, Rutelinga, Constātia, Meminga, Campodunū, Lindauia. Interea uero temporis legati ex Italia uenerūt; qui cum Legationē expresse significassent, placuit in primis de Religionis negocio deliberare, cuius nuper erāt exhibiti canones. Interrogantur itaque Argentinenses & Vlmenses quæ ipsorum in eo sententia sit & arbitrium. respondent eodē modo quo nuper, quādo uidelicet primitus de fœdere tractari cœptum sit, nullum hac de re sermonem incidisse. hoc unum saltem in consultationem uenisse, quo pacto suppetias sibi mutuo ferre ualeant, si quemquam doctrinæ gratia in periculum uenire contingeret. Inter illa uero doctrinæ dogmata, quæ sunt in medium producta quædam in dispu-

putationem rapi posse. Si uero de ijs inter doctiores non conueniat, metuendum esse ne dissensio suboriatur. Idcirco consultum uideri, ut ad illud quod nimirum fuit initio de ineundo fœdere productum, omnis referatur deliberatio. Porro Saxo & huic cōiuncti Luneburgenses, fratres, & Brandeburgensis, solicitabant eos per Noribergensis, ut consentirent. Lantgrauius uero sequestrum sese præbens, utranque partem conciliare laborabat, sed cum nihil proficeret, aliarum quoque ciuitatum Legati aduocantur, & siquidem in omnibus & singulis ei doctrinæ subscribant confœderationem cum ipsis suscipi posse dicebatur: illi huiusce modi nihil in mandatis accepisse, aiunt, & primam urgent actionem. Postremo discessum est ita, ut qui disciplinā hanc sigillatim & ubiq; sequi uelint & amplecti, Noribergam ueniant octauo Idus Ianuarij anni sequentis, ad capiendum consilium quid gerendum sit deinceps.

Argentinenses interim ad communiendum sese, omnemque iniuriam depellendam, quā uel ipsi uel socij sustinere possent, cum Tigurinis, Bernatibus, Basiliensibus, qui & finitimi erant, & dogmate magis congruebant, fœdus hisce legibus contrahunt: Si ob susceptam doctrinam, iacturam atque periculum incidant, hæ quas memoraui ciuitates, præsidia mittant atq; copias, prout res ipsa desiderabit, ea tamē ratione, ut mille peditibus aureos bis mille singulis mensibus Argentinenses ipsi numerent, subsidij loco, & uicissim si ipsis uiolentia inferatur, tūc minime teneātur Argentinēses copias aliquas emittere, sed durante bello sufficiat si per mēses singulos aureorum tria milia suppeditent. Adhæc sicubi hostes alterutrius artis depræhēdent, non inulti dimittantur, sed sic habeantur, quemadmodum militare & gentium ius præscribit. Si uero bellum simul omnibus inferatur, tum singuli suis sumptibus rem gerant, & hostiles incursus impetusque profligent quam longissime.

RERVM MEMORABILIVM QVAE AB ANNO DOMINI M.D.XX. AD ANNVM VSQVE LIX. *in republica Christiana gestæ sunt,*

Liber Tertius.

An. 1530 IES a Protestantibus anno hoc M. D. XXX. conuentui Norinbergę celebrãdo dictus, erat sexta Ianuarij, sed Procerum & perpaucarum ciuitatũ Legati eo uenerunt. Decreuerant legationẽ & ad Cæsarem Regemq; Ferdinandum destinare, at frustratur tandem id ꝓpositi. Et quoniã Cæsar Comitia cũ primis uere putabatur instauraturus, uisum erat ipsis operæpretiũ fore si interim deliberẽt, quæ in ijs ꝓponenda essent, quodq; singulis placuisset intra mensem Saxone significandum, per quem alij quoq; certiores fiant. Hoc igitur modo conuentus ille dimissus est.

In causa quoq; Florẽtinorꝝ agebat, q̃s Romanus Pontifex annua fere obsidiõe coegerat, impẽsis sane q̃ maximis & parũ fœlicib9. Quos cũ ad cõcordiã reuocare nõ posset, auxiliares sua militia copias ad Põtificẽ misit, ad reprimẽdã seu coercẽdã ciuitatẽ, ut etiã factũ est.

Posthæc iter incœptum adornat in Germaniã, dictus enim erat Augustæ Vindelicorũ, dies comitiorũ. Profectionẽ itaq; accelerat, Venetorũ ditionẽ ꝑtrãsiens, q̃ multũ honoris suæ Maiestatis deferebant, aliqui fontes siue canales uinũ scaturiẽtes tantisp donec præterijsset, construxerunt, liberrima ubiq; diuersoria Cæsari, & aulicis eius præstiterunt toto illo tempore, quo apud eos mansit, neq; hæc profecto sine præciosissimis muneribus gerebantur.

Cum uero Oenipontẽ appulisset, indeq; sexto Iunij, feria nimirum secũda discessisset, ꝓpter cõmeatũ, & diuersoria parãda, duo itinera prospicit atq; designat, unũ uersus Monachũ, alterũ ad Augustam tẽdebat. Sexto die Iunij Schuuatzium rectouenit itinere, ubi quinq; fere milia argẽti fossorꝝ ad dimidiũ miliare occurrerũt, q̃ elegãtissime instructi in duos sese cuneos distinxerãt, nõnunq̃ trecentis passibus inter se distabãt. Vnaquæq; pars habebat septuaginta uiros, mille & sexcẽtos satellites, bellicũ spectaculũ hi inter se exhibebãt, ut si quis ipsorũ queq̃ aliũ cõprehendisset, subito in duos cuneos irruptionem prætendũt, simulac Cæsarẽ in uillã adducunt.

In hac uilla Tirolensi magnifice ab Argentifodinarum dominis Cæsar excipitur, & magno crassoque nũmo argenteo donatur, qui mille & septingentis florenis ualebat, in cuius medio aquilæ simulachrum magna industria disculptum erat, & circunquaque insignia regionum & prouinciarũ omnium quibus præerat, summo artificio perpolita. Vidit illic & plustrauit in super Maiestas Cæsarea opus Argentifodinæ mirabile, Istinc nauigio in Koffstein traiecit.

Tunc

tunc Vuilhelmus & Lodouicus Principes Bauariæ obuiã ipsi procedunt, usque in Rosenheim, indeq; abeuntes Monachum deducũt. Interea loci undeuicesimo die Iunij periucundã uenationẽ in honorem Cæsareæ Maiestatis tribus in locis instituerũt. Pluries illic quadringẽtæ uel etiam quingentæ feræ syluestres, magna nimirum capreolorum & ceruorum copia.

Feria V. Pentecostes, decimo die Iunij, tanto honore atque triumpho, nobiles mercatores, ciues & incolæ siue subditi amborum fratrum, superioris & inferioris Bauariæ Principum, Vuilhelmi scilicet ac Lodouici, Cæsareã Maiestatem excipiũt, quantus certe uix usquã loci suæ Maiestati fuit exhibitus. Omnes bombardæ ad centum usque rotis interpositæ, in congruum locum uehebantur, omnes siue equites siue pedites elegantissime decoris christis, & id generis alijs ornati clangentibus undiq; tubis, fistris, ac tympanis ordine procedebant ouantes. Et recognitis lustratisque equitumpeditumque turmis singulis, quingenti & quinquaginta equites in aciem quandam iuxta turmas pedestres redacti sunt. Numerus autem hominum siue protelariorum siue classiariorum, fuerunt mille & sexcenti uiri.

Cum autem Cæsar & frater ipsius Rex Ferdinandus, cum magna Cardinalium, Episcoporum, Principum & heroum frequentia Monachum uenissent, erectum est ibidẽ speciosum ualde edificium ex lino, in formam arcis, amplitudine & altitudine uiginti fere cubitorum, suis turribus & quasi profugijs circundatum, undiquaque extensis uexillis, simul ac militibus & Sclopis cõmunitum. Arcem igitur alij hostili clamore sæpius oppugnãt, alij uero qui in præsidijs erãt irruunt, & cominus & eminus hostes depellere machinantur, hastis, telis & sclopis rem inter se decernunt, & in hunc modum ordo quidem constitutus pugnæ castrensis, plerìq; etiam acceptis plagis occubuere. Deinde Cæsar cum fratre Ferdinando Rege, ordine ad agmina processerunt, tunc productæ bombardæ & Sclopi exonerantur, quo peracto denuo in ordinem sesecõposuere populi, quicquid aspectu dignum erat Cæsar plustrat, præcipue tamẽ tormenta illa ænea, quæ pariter omnia in arcem illam emittuntur quæ ex lino fabricata, quod & colore, lapidibus, lateribus & saxis assimili tinctum erat, ad exemplar ueræ cuiusdam arcis, quæ tandem multis eiaculationibus ijsque artificiosis, concussa & contrita, prosternitur æquaturque solo.

Vbi

Vbi uero ad introitum ciuitatis sese cõuertissent, apparuit draco quidem affabre compositus, per aerem circunquaq; uolitans & regyrans, quousq; comitatus iste siue deductio præterijsset.

Piscatores etiam prope ciuitatem applaudentes & aggratulantes tanti Principis & Monarchæ aduentui, diploide & caligis lineis partim cæruleo partim candido colore tinctis ornati, cõposito ordine ad tornatile dolium palo aquis infixum, hastiludium percelebrant, plurimi interea in aquas delapsi risum spectantibus excitarunt, ita ut uoluptatem quandam pareret populo id genus ludi.

Post ubi ultra ferreum pontem uentum est, e turribus & mœnibus in signum lætitiæ eiaculatum est, more consueto, ac hoc quidem pacto, magna cum gloria atque pompa (quam hic explicare nimis longum foret) ciuitatem ingrediuntur. Cæsaris ad dextram inæquitabat frater Rex Ferdinandus, & ad Læuam illius, Legatus Pontificis maximi Cardinalis Campegius purpura indutus, præeunte cruce. Cæsari quoque gladius ille triumphalis & preciosus, duæq; columnæ coronatæ præferebãtur, Præcones deniq; Cæsareæ Maiestatis suis paludamẽtis induti, cum solenni Principum, Episcoporum, aliorumque heroum frequentia, præcedunt. Cunq; passibus fere ducẽtis essent progressi, in scena comico more atque ornatu, Hester Reginæ historia, eleganter & tam accurrate editur, ut multis miraculo fieret, nec posset pulchrius, decentiusq; geri, quam tunc gerebatur ibidem. Deinde ultra passus fere ducentos Tomyridis Reginæ Massagetarum facinus in Cyrum Regem Persarum bello superatum spectandum proponitur a scenicis. Nempe Cyrus cum suo exercitu oppressus a Tomyride, obtruncatur. Caput ipsa arripit, & in situlam sanguine repletam cum exprobratione crudelitatis conijcit.

Iustinus libro 1. hæc longius de Cyri nece narrat.

Vbi uero in uicum alium deuenissent factum Cambysis Persarum Regis heroicũ plane simili spectaculo illustratur. Hic enim iudicem quendam iniquum detestatus, menbratim eũdem discerpi iubet, siue excoriari, cutem tantũ super cathedram in tribunali extendi, quo filius (quem ipse Cambyses in locum Patris sui fecerat) inter iudicandum paternæ memor esset iniquitatis, ob quã ille detracta & affixa cute, pœnas dedisset. His itaque uiuis splendidis & mirificis parergis & spectaculis plateatim exceptus & concelebratus Cæsar tandem ad introitum forte palatij castrum quoddam ex lino lignisq; compactũ, centenis aliquot claustris constans, incendio

habes & istud apud herodotum libro. 3.

incendio triumphali traditur, & in cineres redigitur. Tumq; demum magnifice splendideq; epulatum est, aliquoties heroicis tripudijs in horto Ducis, quem Rosetū nominăt, sese uicissim oblectăt. Hic Cæsarea Maiestas Coniugi Ducis choros ante ducit. Die tandem xiiij. Iunij properatū est inde uersus Augustam, ac nocte postera in Cænobio Furstenfeldensi diuersati sunt.

Augustam Cæsar ad Comitia ingreditur.

Quindecimo die Iunij Cæsar Augustam uenit, quem obuij Principes Electores cæterique omnes Duces & satrapæ, magnifice exceperunt. Nam cum sexaginta fere passibus occurrendo, Cæsar ab ipsis distaret, quisq; ab equo descendit, ut pedes Cæsari congratularetur quilibet suo ordine. Quod ipsum quoque Cæsar & frater Rex Ferdinandus protinus facere tentabant, sed non permittebatur, prohibente id celeri procerum occursu. Statimq; posthæc Cardinalis Moguntinus omnium nomine sermonē ornatissimum, ad Cæsarem, auspicaturus processit, siquidem id ad ipsum tanquam Imperij totius Archicancellarium & primatem pertinebat. Finito iam sermone, responsionem blandam per Fridericum Palatinum subiungit, cum gratiarum actione.

Equitatus & exceptio Cæsaris ab Augustanis insignis & praeciosa.

Appropinquăte eo Ciuitati, mox Consules & senatores ibidem obuiam procedunt, & post trinam geniculationem, solita reuerentia ab ijs suscipitur atq; deducitur in ciuitatē. Centum fere & quinquaginta equites ex ciuibus, stipendiarijs, & mercatoribus Vrbis Augustanæ, inter quos etiam erant plerique cataphractarij & quatuor peditum turmæ, quas Bennas nominăt, denique ad duo milia ciuium & incolarum, Cæsareæ Maiestati occurrerunt, qui in ordinem ut ita loquar, introductorium digesti, per inter medium ipsorum Cæsarem perequitantē præstolantur. Hi fere omnes aut sericis, aut carmasinis, uel byssinis uestibus induti, armorū quoq; splendore dempto quo erant perbelle instructi, uoluptatem maximam, spectantibus undiq; afferebant. Deinde tormēta ænea, serpentinæ & falconetæ e munitionibus, magnis fragoribus ictibusq; erūpunt. Durabat hic ingressus herilis plane, seu deductio ista Cæsareæ Maiestatis aliorumq; Procerū ab hora tertia ad noctē usq; tempestam.

Adhæc quatuor e Senatu summates uiri sub ingressum portæ ciuitatis tabernaculo praeciosissimo Cæsarem excipiūt, sub quo ad medium urbis equitauit. Vbi Presul Augustanus cum omni clero in modū solennissimæ supplicationis erecto crucis tropheo, & papilione obuiam Cæsari uenit, inq; conopæum seu papilionē quem

ſex Canonici Baſilicæ maioris geſtabant, honorificentiſſime receptus eſt, atq; ita ad ſacram illam ædem deductus. Quo cum perueniſſet, Cæſar ab equo deſcendit, ingrediturque. Benedictione eum Præſul illic proſequitur, & canticum laudis in honorem ſummæ & ter maximæ triadis, cuius initium eſt, Te Deum Laudamus, uoce ſupplici & congratulatoria auſpicatur. Ad extremum pritanæum ſiue palatium Cæſar ſuæ Maieſtati adornatum auguſtale prorſus diuerſorium aſcendit, tum quiſq; ad ſuum rediit hoſpitium.

Veneratio feſti in honorē Corporis Chriſti Eucharistici dedicati in Comitijs auguſtalis obſeruata.

Poſtridie quam aduentaſſet Cæſar decimo quarto Calendas Iunij pro more ueteri laudabiliq;, ipſo nimirum die Corporis Chriſti, ſolēnis ſupplicatio per urbem habita eſt, quam ſua inclyta præſentia & ſuorum Principum cætu frequentiſſimo, demptis aliquot perpaucis, nempe Ioanne Saxonum Duce, & Luneburgico Principe, ſimulac Marchione Brandeburgenſi, & Cattorum Lanigrauio, concelebrare paribuſque uotis frequentare uoluit. Moguntinus Euchariſticum Sacramentū omni profecto honore digniſſimum ſub throno ſiue conopœo baiulabat, quod ſex principes ferre ſemper conſueuerūt, uicibus inter ſe ſub indecommutatis. Rex Ferdinandus ad dexteram Archiepiſcopi, & Ioachimus Marchio ad Læuam, tanquam comites & duces itineris proceſſerunt. Quos pone & quidem extra tabernaculum, Cæſarea Maieſtas nudo ſemper capite cum præcioſa & accenſa facula, & dein cæteri Electores Eccleſiaſtici, proceres, Archiepiſcopi, Epiſcopi. Sed ante auguſtiſſimū Sacramentū Electores laici, & reliqui eiuſdē ordinis ſummates. Ante hos uero Cæſaris & Regis arhitriclini, caduceatores, præcones, Citharœdi, Tibicines, cornicines ac alij modulatores. Hos quoque omniū nouiſſime anteceſſit clerus, Cæſaris ac fratris ipſius aulici ut Dynaſtæ, Comites, ſatrapæ & præfecti alij oēs cum radiātibus tedis.

Quinto calendas Iunij Cæſar quoſdā ex proceribus in foro Vinario honoraria largitur, & ſub fiduciaria mancipatione dominos beneficos creat. Eo die ornatus & cultus Cæſareæ Maieſtatis tribus milibus aureorū æſtimatus eſt. Omnem hic apparatū & emancipationum præcia, ornamēta, ceremonias, ſingillatim perſtringere deſino, eaq; ſolum contentus ero referre, quæ præcipua uidentur.

Nonis Septembris, Ferdinandus Bohemiæ, Hungariæq; Rex ius dominandi per Auſtriā paruo miliario ab Auguſta in prato, & loco quodā campeſtri propeareē quod Vuœllenburgū nuncupāt, ſortitur. Cuius rei gratia principes oēs ac nobiles eo abierūt. Interdea

Marchi

Marchio Badensis ab equo ualide percussus, in tibia læsionē accepit.

Quo etiam die combennones aliquot, rubris & flauis, alij fuscis & albis indumentis amicti ex purpura damascena ac bysso, quibus etiā strati erant equi more ac ordine supradicto ac simili ordinate in harenā prodeūt ad luctam equestrem siue Palestram castrēsem parati & accincti. Priusquam autē hi inter se congrediuntur, e uestigio ex nobilibus octo hastiludiones aduolāt. Quēadmodū ingenue & periucunde ultra horā hastis alij in alios uicissim luserūt.

His combennones illi successerunt, ex quibus alij Cæsari militabant, alij fratri Regi utrique cathractarij. Hastas igitur obijciunt leues siue tenues ac longas in alterutrum more militari, præcinentibus tubis excitatoque clamore bellico, quisque sibi clypeum faciem cum insignijs præferebat depictis. Intererant autē huic spectaculo Cæsar & frater, qui cum suis aulicis uicissim illud celebrarunt. Erant fere Hispani omnes, quotquot Cæsari principes aderant, inter quos tamen Henricus Dux Braunsuicensis extitit. Hi uero qui a parte ergis erāt, Germani omnes. Aggrediuntur ergo satrapæ & aulici utriusque partis, hastas in se mutuo uibrare. Congrediuntur uariatis sæpe cohortibus, & obiectis hastis se inter se feriunt. Posthæc ensibus decertant, ac mox una benna aliam succenturiat, donec collocatæ essent insidiæ, & dissolutæ cohortes. Ludi triumphales Cæsari exhibiti.

Dein bombardæ exonerantur, & quisque ad præsidia sua redit. In reditu atque discessu cum bombardarius siue bombardarum præfectus uacuas onerare uellet, succenso præter expectationem tormētario puluere, præfectus ille interficitur, ac alius quidam ad mortem usque læditur. Tertius quoque ex arbore lapsus in præceps, moritur, sic ut quatuor uel etiam quinque in hisce iocis & ludo expirarint. Ad uesperam tandem in ciuitatem recessum est, Cæsar cum omni Principum frequentia, ad cœnam in prætorio heroico splendore, & regalibus lautitijs dapibusque sumptuosissimis instructam inuitatur. Et postquam delicijs exquisitissimis exporrecta frons est, aulico more tripudiatū est ad horam noctis nonam.

Cæterum magistratus Augustanus, octingentos milites sibi delegerat in tutelam ciuitatis. Quod ubi Cæsar resciuit, mandat senatui ut hos exauthorent, aliosque conscribit, quos itidem sacramento adigit, portam unam Vrbis tradi sibi cupit ante dies aliquot sui aduentus.

Comitij Augustani Exordium

Die uero uicesimo Iunij cæptum est in negocijs religionis consultare, & Cæsar ad audiendũ Missæ sacrificium pro more, exiturus, Saxoni mandat ut ad se ueniat, gladiumque triumphalem sibi præferat, si quidẽ id Saxonicæ stirpis hæreditarium quasi munus est, in eiusmodi pompis. ille communicato cõsilio, & ijs quos tanquam Theologos habebat, asserentibus, id quidem licere, propterea quod obeundi officij sui causa accersitus esset, non autem missam quasi rem diuinam audiẽdi, comparuit, assumpto secum in comitem Georgio Brandeburgensi, cæterorum nemo accessit.

Cæsaris oratio ad ordines Imperij.

A sacro in curiam redeunt. Ibi Fridericus Palatinus habita breui præfatione, Cæsaris moram excusat, simul atque rationem indicti Comitij refert, posthæc prolixa satis oratio ex præscripto decnarrata fuit ut moris est in hæc fere uerba: Equidem ipsos non latere quemadmodum ut primum creatus esset Cæsar, unanimi decreto ordinum omnium imperij Comitia celebrarit Vuormatiæ, sed militiæ tempore, ita nimirũ ut licet summopere in Germania diutius morari uellet, adactus fuerit ad Hispanias remeare; quod nihilominus tentauerit ipsis annuentibus, nec prius quam imperij res probe exequutus esset, constituto uidelicet iudicio, & senatusconsulto, & Ferdinando fratre, tanquam altero se per suam absentiam assignato sibi legato: Et cum de illorum fide, solertia & moderamine præclaram ac integram persuasionem conciperet, securius profectionem suscepisse relicta tantisper Germania. Interea uero temporis quo in Hispania degeret, intellexisse se, non modo in religionis statu dissidia succreuisse, quin etiam Hungariam a Turca bellis grauissimis concussam & attritam esse. Quapropter Ludouicũ Regem & Hungariæ principes, missa legatione, suppetias ab Imperio postulasse: Sperantes ut his freti suppetijs non tantum hostilem impetum, incursus & oppressiones reprimere, uerumetiam eadem quæ perdidissent, recuperare. Sin autem, fore ut ea clades quam sustinuissent illi, ad cæteros quoque confines populos euadat. Quibus omnibus compertis, uehementer se fuisse perplexum & anxium, adeo ut etiam iusserit, omnem eam pecuniam quam Rhomam proficiscẽti inaugurationis gratia expendere uellent sui ærarij, in usum potius subueniendi periclitantibus Vngaris conuerti. Sed cum mora fieret, hostem longius terras eorum ingressum Regem Ludouicũ immaniter profligasse & prostrauisse,

strauisse, arces omnes, omniaque loca inter Sauum & Drauũ fluuios inuasisse, diripuisse & incendisse, multis hominum milibus trucidatis. Posthæc in Schlauoniam siue Illyricum irruisse, & cum supra modum ferro ac igni, rapinis & deuastationibus seuijsset, plus quam xxx. milia hominum in miserabilem & afflictissimam seruitutẽ coegisse, eos quoque qui iter conficere nõ possent præ imbecillitate, peremisse. Insuper superioribus annis in Austriam irruptionem fecisse cum innumero exercitu, ac urbiũ illic caput Viẽnam obsidione uallasse, & ibidem circuncirca usque ad Lincium ferme populationibus agros ac domos fœdasse, nullam crudelitatẽ omisisse, nec ætati nec sexui pepercisse, pusillos infantes trucidasse, mulieres ac uirgines uiolasse, ac in morem beluarum abegisse. Qua quidem de re apud se firmiter decretũ fuisse ut cæteris omnibus postpositis negocijs, illuc proficisceretur contractis undique copijs, atque ita omnem suum conatum explicet. Literas quoque eius rei causa ad fratrem Regem Ferdinandum, cæterosque Principes ac belli præfectos Viennæ obsidione uallatos dedisse: ut cõstanter aduentum suum præstolarentur, interim uero strennue sese aduersus hostium tyrannidem impetumque gerant. Vbi uero in patriam ij fugerent, relicta Vienna, mutasse sententiam, ac in optimis duxisse uarijs de causis, si in Italiam pergeret, quo sedatis ibidem rebus cum Pontifice, de summa reipublicæ & ordinanda religione tractet, atque hoc modo conuentum hunc indicere queat. Romæ quidem absque ullo impedimento inaugurari potuisse, & deinde Neapolim petere, quum id regni illius status atque conditio maxime exigeret: Nihilominus proprium ipsius cõmodum missum fecisse, habita tantum ratione publicæ utilitatis, ut primam opportunitatem nactus, præsentibus Comitijs interesse posset. Licet autem eo tempore Turca Viennam occupare nequiuit, plus tamen detrimenti illatum esse toti prouinciæ, quam alioqui multo tẽpore recuperari ualeat. Etsi etiã copias Tyrannus ille reduxerit, auxilia tamẽ ac belli gerendi Duces passim ad fines succenturiasse, ut quasi ex insidijs magna ui erumpẽtes nõ modo Vngariã, quin & Austriam & Stiriam & loca finitima deinceps demoliti sint, & quia ditiones occupet nostris conterminas, non esse quidem dubium, quin sumpta quauis occasione, multo sit ualidiori cum exercitu rediturus, ut omnia proculcet & dissipet, in Germania præcipue.

Adeoque

Adeoque nisi fortiori cum manu & copijs instructionibus feritati hostili occurratur, nullam deinceps sperari debere prosperitatem aut securitatem, imo potius futurum ut una post alteram uicissim perditum eat prouincia, tandem & breui quidem cunctas ita ditiones atque prouincias, in suam potestatem transituras esse. Hæc incommoda & pericula ut tempestiue caueantur, operam se daturum quod rectum fore putaret. Quod etiam a fratre Ferdinando expectandum esset, nec externos quidã principes ac Reges defore, quorum nonnullos in hanc rem scriptis solicitasset, aliorum præterea imploraturus opem. Cæterum quod ad Religionem facit, inde statim a suscepta Imperij perfunctione, magno sane cum tædio atque mœrore percepisse, discordiam natam esse, & ob id Comitia Vuormatiæ celebrata: in quibus ipsorum omniũ Principum ac ordinum concordi sententia decretũ confecisset, quod si obseruatum fuisset, tantum damni atque periculi, quantum hactenus ipse Germania perpessa est, consequutum minime fuisset: quo quidem in numero Rusticorum rabies & clades simulac Anabaptistarum factio primas obtineant. Et comperto nihil promotum esse in compluscul is negotijs secum reputasse, magni fore adiumenti si præsentem se in his Comitijs exhibeat, hæc igitur ipsis præscripsisse. in quibus quisque quod ad se spectare uideretur in medium proferat, literis exaratum siue expressum, quo nimirum tanto facilius & citius res ipsa queat intelligi & determinari, se quidem & in hac ipsa causa & reliquis omnibus præstiturum esse quod sui muneris sit pro suam erga Rempublicã patriamque amore, & ut pro sequi se que consimilem huc uoluntatem studiumque afferant, postulare.

Igitur Principes habita deliberatione, decreuerunt in primis de Religione tractandum esse. Die posthæc quarto Cardinalis ipse Campegius in consessu Principum Latine perorauit, adhortatus eos quatenus Cæsari in religionis negocio acquiescant, collaudata ipsius uirtute ac pietate. Adhec sese daturum operam, quo tandem unius fidei omnes sint, & ita reconciliatis animis, bellum aduersus Turcam suscipiatur. His dictis legatio Austriaca, quam uariam sui a Turca sustinuissent afflictionem & iacturam exponit, cuius etiam rei gratia opem desiderarant.

Accesserũt

Accesserunt deinde Saxo Elector, Marchio Georgius Brandeburgensis, Duces quoq; Luneburgici, & Hassiæ Lantgrauius, Cæsarem deprecantes ut confessionem suæ ipsorum doctrinæ uel potius professionis, scripto contentam auscultare uelit. Tum ille mãdat ut eandem scriptis expressam exhibeant atq; deponant. Quod facere recusant, & audiri potius nolunt. Cæsar die proximo adesse eos iubet, uelle tamen ut illam exomologesin & professionem cõscriptam sibi tradant. Illi uero urgent ac instant denuo, rogantes, ut eis confessionem illam tantisper relinquat, donec legatur. Exorant ac postridie comparent, oblata pridie confessionem coram Senatusconsulto & Cæsarea Maiestate recensent uti conscripta erat, quam deinde Latine atque Germanice descriptam ei tradunt, & si quid in ea desideretur interpretari cupiunt. Si uero causa definiri non possit, concilium neutiquam recusare declarant. Die igitur XXVI. Iunij omnium ciuitatũ legatos ad se conuocato Cæsar, qui per Fridericum Palatinum ipsis exponit, in postremis comitijs Spiræ decretum editum esse, quod perplures obseruassent, idque sibi pergratum fuisse, at quod quidam alij illud reiecissent, grauiter ferre. Idcirco se petere ne decessionem ab alijs faciant, aut sane rationem reddant, cur obsequi detrectent.

Sleidanus falso & mendaciter Cæsari affingit: quasi is Concilio neglecto uoluerit armis potius Rem publicare staurare.

Adhæc Legati ciuitatum Protestantium respondent, se nihil perpetrasse quod non deceret. Quia uero rationen exigat, quamobrem Dereto Spirensi non paruerint, deliberandi spacium indulgeri ipsis rogant. Septimo posthæc die mensis Iunij respondent, Conscientiam ipsorum non ferre ut Edicto Spirensi obsequantur.

Post biduum Cæsar iubet a Saxone socijsque quæri, num quid aliud exhibere uellent. Respondẽt nihil aliud nisi quod summam exhibitæ confessionis breuibus repetunt. Cæsar igitur Legatis ciuitatum præcipit, asserentibus propter conscientiam sese edicto Spirensi non posse parere, ut articulatim ea proponant in scriptis quibus grauari putent: Confessionem autem Saxonicam tradit reliquis principibus. ij dein suis Theologis, inter quos primas facile tenebãt, D. Ioãnes Faber & Eccius. Diuersum & contrarium hi scriptũ & consultationẽ obijciunt. Quæ a nonnullis eorũ nimis dura habita est, & diligendos ob id putabant, qui partis utriusq; scripta reuoluãt & mitigẽt. Sed ut amplius aliquid statuetur Cæsari sis reddendam esse, & domi suæ rem omnem credendam censent.

Interea

Confessio Argentinæ Saxonicæ contraria.

Interea Argentinenses, Constantienses & Memmingenses atque Lindauij, fidei suæ cōfessionem scripto quoq; comprahensam Cæsari offerunt. Quæ sane perinde Saxonicæ ut Catholicæ aduersabatur, ita ut inter se pugnare uiderentur. Sed Saxonum themata magis certe toleranda & Ecclesiæ Christi Catholicæ cōsentanea erant, quā Lutherus aut scripserat aut docuerat. Testabātur enim sacrificium Missæ magno sese honore ac reuerentia prosequi cū ceremonijs consuetis, hoc solum dempto quod Germanica nonnulla Latinis canticis insereret. Cæterum Lutherus ipse antea, nec pauca quidem cōtra Missæ sacrificium scripserat, tam impie, ut merito Christianæ ac piæ aures abhorreant. Aiebant præterea cōfessionem poenitentialem uel Sacramentalem potius quam auricularem, abrogatam non esse: quod tamen falsum esse manifestum euasit. Themata quædam adhuc alia ut in speciem uidebatur, Catholicis conformia producebant, quasi pro confessis, alia uero tā absurda, tamque dissentanea, ita ut ex huiusmodi uaria, & plane sophistica ipsorum sententia, facile cuius animi essent, cognosci posset. Precipuus autem huius confessionis author erat Philippus Melancthon Lutheri discipulus, sed in pluribus articulis tolerabilior & prudentior, quam Lutherus ipse.

Autor confessionis Saxonicæ, sed Luthero modestior.

Cæsaris patientia.

Licet autem exhibita confessionis Formula Cæsari non arrideret, tamen pro ingenita sibi clementia auscultabat singula ad extremum usq; patienter, & conficiens inde descriptum, Theologis Catholicorum Principum examinandum ac moderandum porrexit, quo diligenter dispiciant atque demonstrent, quid ab Ecclesia Catholica ferendum concedendumque, aut tanquam erroneum & contrarium reijciendū foret. Paucis posthæc diebus, designati Theologi ualidam & satis acrem edunt responsionem, in qua non scripto aut argumentis tantum quid in exhibita cōfessione erroneum esset demonstrabant, imo etiam Lutherum cum suis asseclis antehac longe aliter & docuisse & scripsisse quam ipsorum Confessio in articulis quibusdam ferendis, haberet, enucleabant. Porro Cæsar cæteriq; Principes Catholici concordiæ & pacis amantes, bonum ac operæpræcium fore iudicarunt, omissis ijs quæ aduersarij quondam docuissent, eos tantum articulos qui propositi siue exhibiti fuerant, pensiculare, ac prout deceret determinare. Hæc consultatio Principum, & respōsionis immutatio causam ipsam Capitalem protrahebat ad tres fere septimanas, atque idcirco Lutherani plaudebant

Confessionis editæ refutatio.

Haud bona fide Sleidanus hæc narrat.

debant

debant inter se, nec tãtum inter se aut familiari ipsorum colloquio & conuenticulis, uerumetiam ad aliquot suarum ciuitatum, Papistas obmutuisse scribebant, qui ad illorum Confessionem ipsis traditam respondere non possent. Sed ubi lecta esset Catholicorum responsio palam in Senatu, Cæsar ac ordines Catholici eandem responsionem & confutationem protestantium summopere probarunt, & amplexati sunt, cupientes ut & huic ipsi protestantes consentiant atque suscipiant, sicque recipi in gremium uel sinum Matris ac Sponsæ Ecclesiæ Catholicæ mereãtur, cui etiam sese submittant. Huius autem confutationis descriptum petunt aduersarij, at Cæsar concedere noluit aut etiam permittere, nisi prius promitterent sese nemini aliorum communicare uelle, præter suum consensum uel uoluntatem. Porro hac interposita lege Protestantes accipere recusant responsionem illam & refutationẽ suæ ipsorum confessionis. Quod etiãsi ægerrime ferret Cæsar, illi nihilominus parvipendebant tanti Monarchæ indignationem, quia de publica fide, certoque commeatu prospecti erant, atq; communiti.

Leuitas protestantium ridicula.

Ferocia & protestantiũ & superbia.

Metuebant interim Proceres in fide Catholica sinceri, ne forte Cæsar ipse media quædam duriora sectetur, per quæ Germania in pericula & maxima quæque incommoda præcipitetur, ipsum itaq; oratum uolunt, delectum fieri quorũdam principum utriusque partis, qui ad hoc assumantur, ut discrepantem & contrariam religionẽ conciliare studeant. Annuit Cæsar, ac duorum fit electio Primatum. Nam Moguntino & Brandenburgico electis, cæteri quoque associantur Principes & uiri gnari atque solertes. Hic proinde delectus Lutheranos orat ut ad sacrarium summæ ædis compareant. Quod & septima mensis Augusti factum est. Ibi Brandeburgensis Elector uir sane facundus atque disertus, inter orandum eos hortatur blando ac benigno sermone, Cæsarem ut audiant atque consentiant, ad in eundam ac semel statuendam religionis fideique Catholicæ & Christianæ concordiam atq; pacem, denique cæteris etiam Imperij primoribus sese cõforment. Sin secus, timendum esse ne totam Germaniam seditionibus, bellis, & alijs omnino damnis agitari & angi contingat. Protestantes biduanum sibi spacium deliberandi concedi postulant. Quo quidem impetrato atque transacto, respondent inter alia atque subijciunt, indignum & iniquum ipsis uideri, quod minis excepti fuissent, queruntur, quod Cæsar eos non satis patienter audisset. Præterea descriptum confutationis

Catholicorũ principum erga patriam amor & prouidentia.

Primus Delectus.

tationis in confeſſionem ipſorum, nec liberum nec abſq; grauamine dimiſſum eſſe. Deinde confutationem illam quam non ſatis diſcuſſiſſent & indagaſſent illæſa conſcientia amplecti ſe minime poſſe. Poſtremo conqueſti ſunt, in nuperrimis Comitijs actis Spiræ, Concilium quod procurandum fore ibidem dicebatur, necdum præſtitum eſſe.

Tum Catholici per Electorem Brandeburgicum reſpondent, Nequaquam comminatum ipſis eſſe, ſed ut amicos, cognatos & cōterraneos blande leniterq; admonitos, & ab infortunio uel etiam quauis iactura quæ alioquin ex inobedientia oboriri poterat benigne humaniterq; ſeruatos fuiſſe. Si autem comitium diſcordia ſoluatur, in quo nec ſtabile aut ratum habeatur, uerendum eſſe ne uniuerſa Germania ſeditionibus & inteſtinis bellis cōcitetur. Neque etiam uerum eſſe, quod non ſatis patienter eos Cæſar audiſſet, quum ipſe ab exordio in finem uſq; aures illis præbuerit, rogans præterea ſi quid amplius proponere uellent, qui etiamnum delectū hunc principum fieri de reconcilianda religione tractandi una cum illis cauſa & tranſigendi, permiſiſſet. Quare nihil penitus rationis habere, cur de Cæſare conquerantur. Cæterum quod Refutatio confeſſionis ipſorum ex parte denegata ſit, cauſam quidem ſubeſſe ſatis utiq; iuſtam. Quippe cum Vuormatienſe Mandatum, Regni totius pariter decretum ab illorum concionatoribus, publicis deſpectibus, irriſionibus & ſannijs eſſet exploſum, quod nedum Cæſareæ Maieſtati, uerum etiam omnibus principibus & ordinibus Imperij ignominioſum foret, authoritatem, gloriam & honorem eorundem ipſorum imminueret obſcuraretq;, propter hæc Cæſarē nolle ſuam ſuorumq; Procerum reſponſionem in uulgus ſpargi, maxime cum Imperiali Decreto cautum ſit ſub pœna capitis, ne præſente rudi popello in cauſis fidei (quæ uere myſteria habet abditiſſima) diſceptetur.

Sed cum tertio obijciunt, ſe nimirum integra conſcientia memoratam ſæpius confutationem non poſſe ſuſcipere, reſpondent Catholici, ne ferāt iniquo animo, ſi dicant reſpōdendi gratia: Quod ipſorū Conſcientia ſeſe fruſtra ac temere angat, & grauet, in rebus uero maximi momenti totam ſeipſa exoneret. Merito ſiquidem Conſcientia ipſos redargueret & grauaret in eo quod ſe ab Eccleſia Chriſti abduci ſinant, & nonnullis uotifragis Monachis & ſeductoribus plus fidei tribuant, q̃ Catholicæ Eccleſiæ, Sanctiſſimisq;

eiuſdem

eiusdem propugnatoribus,tandem etiam Concilio Oecumenico. Animaduerterent,in quã multiplices ac prodigiosas sectas & schismata errones illi diuiderentur. Idcirco satius fore, etiam suæ conscientiæ longe salubrius ac tutius,ut se Maiestati Cæsareæ,& cumprimis Ecclesiæ Catholicæ dedant atq; submittant,quam ut huiusmodi temerarijs peruersisq; tenebrionibus cum graui corporis animiq; dispendio,imo communis patriæ infamia atq; iactura,adhæreant,maneantq; deuoti.

Sleidanus nihil horum meminit.

Ad quartum sic respondent, in quo nimirum addicti Concilij dilationem accusant, Cæsari hanc prorogationem non debere uel asscribi uel etiam imputari. Omnibus nempe manifestissimũ esse, quomodo antea bello Gallico & Turcico in obsidionem Viennæ impeditus,Concilium promouere non potuerit. Scirent præterea Lutherum,cui alioquin essent deuotissimi,in Conuentu Vuormatiensi,Concilia intantum damnasse ac reprobasse,ut etiam ipse neutiquam uellet eorundem recognitioni subijcere. Quin etiam interea cõtemptim prorsus & impie de Concilijs scripsisse,eadeq; apud plurimos quosq; suspecta,inuisa & detestabilia fecisse.

Obsecrant itaq; delecti ut uiriliter agant ac sese animent, depositis uanis conscientiæ terroribus,scrupulisq;,simulq; Cæsareæ Maiestati ac reliquis Regni proceribus se reconcilient,nec animorum salutem omnium carissimam huiusmodi simultate & rixosa emulatione,periculis exponãt. Quod si rectius & Christianum magis perspectum consilium haberent,ab illis uicissim perlubenter se discere uelle ac Cæsari significare.

Quanquam hæc responsio tædio protestantes propemodũ conficeret,biduum tamen deliberandi rursus causa petunt. Postea responsum quoddam satis utiq; comptum & speciosum,sed parum sibi constans,reddunt. Oratione prolixa se neq; ab Ecclesia Catholica subduxisse, neq; Cæsaris mãdatum siue etiam Regni decretum irrisisse testantur. Dignam quoq; Concilijs authoritatem deferre, debitumq; honorem attribuere. Et licet alij nonnulli diuersum facerent aut scriberent,hoc ipsis minime adscribendum esse. Quod uero ad eorum consilium attineret,optimũ fore dicebant, si ex utraque parte doctiores in negocio periti statuantur, qui inter se benigne atq; sincere dispiciant, quonam modo controuersia sedari & componi ualeat.

Aut non legit hæc Sleidanus aut sane rursus conniuet.

Igitur ad suffragia uentum est,ut ipsorum uotis satisfieret,nec

Secundus Delectus.

ullum pretermitteretur consiliũ, nec malignandi occasio daret̃ aduersario. Catholici ex se septem sibi deligunt, Principes duos, Iurisconsultos duos, & tres Theologos. Nimirũ Augustanũ Episcopũ, Henricũ Ducẽ Brunsuicensem (in cuius locum Georgius Saxoniæ Dux successerat, nam ille Cæsaris nutu proficiscebatur alio) Archiepiscopi Coloniensis & Marchionis Badensis archigrammateos siue Cancellarios, Ioannem Eccium, Conradum Vuimpingensem, Ioannem deniq; Cochleum, ueros & ingenuos Theologos. Simili modo Lutherani septẽ creãt collatis inter se uotis. Ex principibus suarũ partiũ, Ioannẽ Fridericũ Electoris Saxoniæ filiũ, & Marchionem Brandeburgeñ. Gregoriũ Bruck & Hellerum Iurisperitos. His tres quoq; Theologos adiungunt, Philippũ Melanchthonẽ, Ioannem Brentzium & Sneppiũ, qui sane si leges & priuilegia Catholicorum heroum, imo professionẽ spectemus, nõ reuera Theologi, quia non diuinitus licet aliunde docti aut potius donis scientiæ abutentes dicendi sunt. Horum itaq; nullus iure Theologus erat.

Hi igit̃ die xvi. Augusti cõuenerunt, & confessionẽ Protestantium p̃ manibus posuere, & p singulos examinarunt, ac primo die in quibusdã se inter se cõformarũt, At in potissimis ꝓpositionibus siue articulis a se mutuo discreparunt, quales erant illi. De sacrificio Missæ, de Matrimonio Sacerdotũ, de Augustissimo Altaris Sacramẽto, postremo, de uotis Monasticis, Reliquos uero Cæremoniis Ecclesiasticis cõtrarios, ad Conciliũ dimittendos esse, Catholicorũ consiliũ seu potius ꝓmissum erat. Porro in hac Disputatione præcipuus articulus fuit, de satisfactione, altera nimirũ pœnitẽtiæ parte. Qui Cochleo & Melanchtoni examinãdus cõmittitur, ut die proximo aliqua in mediũ adducãt, q̃ ad istius conciliationẽ spectare uiderent. Cochleus obiicit, Catholicorũ nomine responsurus, Lutheri sententiã, ex libello quẽ Septicipitẽ nuncupauit, & contra indulgentias scripsit, quæ hoc uerborum ordine ibidem constat.

Septiceps cap.

Ecclesia mater pio affectu ꝓuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdã, ne incurrant flagella Dei. Sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis ꝓuenerunt iudiciũ Dei. Hæc pœna, inquit, arbitraria est, non in totũ ut illi uolunt, sed tamẽ necessaria. Nam aut nos, aut hoẽs, aut Deus punit peccata, q̃ illi p Indulgẽtias tollunt omnino. Cũ si essent pii Pastores, potius imponerẽt pœnas, & Ecclesiæ exemplo ꝓuenirent Deũ, sicut Moses occidendo filios Israel ꝓpter peccatũ uituli aurei. Optimũ aũt fuerit si nos ipsos punire mus,

mus. Hæc ibi Lutherus. Quæ cũ audissent septẽ illi Protestantes, ob stupefacti & pudore suffusi alius alium intuebatur, & facto modico silentio, Philippus erubescens, pximus em̃ Cochleo assidebat, Scio inquit & fateor Lutherũ hæc scripsisse. Et Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux. Quando eũ ista scripsisse putatis? forte ante decenniũ. Respondent Catholici: Quid tum? Suffecerit nobis hanc ipsius met opinionẽ & censurã esse. Tunc Brentzius & Sneppius ita cõmoti aiunt, se nõ adesse ut scripta Lutheri defendant, sed Confessionem tueri paratos esse. Idcirco missa facienda Lutheri testimonia. Et quo ulterius progrediendi locus sit, Melanchton manu propria in hunc modum scribit. Largimur & concedimus tres pœnitentiæ partes esse, Cordis uidelicet contritionem, quæ proficiscitur ex formidine conscientiæ p agnitionẽ peccatorũ. Alteram deinde Exomologesin siue Confessionẽ, in qua ratio absolutionis ac fidei debet haberi. Nam peccatũ non dimittitur, nisi merito uel beneficio passionum Christi credatur remitti. Tertiam denique partẽ esse satisfactionem, nimirũ, fructuũ illorum procreationẽ qui pœnitentiæ conueniant & digni sint. In his omnibus una omniũ nostrum est sententia. Verum uero illa satisfactio necessaria sit, ad remissionẽ pœnæ peccatis debitæ atque commerite, necdum conuenimus. Posteaquam a Melanchtone descripta sunt, transitum atque peruentum est ad articulum illum Lutheri, ubi sic asserit: Nos sola fide iustificari. Cunque Lutherani uocem illam excludentem Solam uidelicet, nullius scripturæ documentis probare possent, quemadmodũ etiam nusquam nisi in nouo Lutheri testamento habetur, hanc uoculam exclusiuam reliquerunt, & in hoc conuenerunt, quod hominis iustificatio, uel peccatorum remissio, conferatur, per gratiam gratum facientem, & fidem operantem, simul cum uerbo & Sacramentis tanq̃ arcanarum operationum certissimis indicijs.

Sleidanus hæc ignorasse uidetur.

Brentzius et Sneppius Lutheri scripta defendere non lunt.

In his & alijs, utraque pars conuenit. Cæterum Protestantes perseuerabant in quibusdam articulis ab Ecclesia minime tolerandis, quos etiam mordicus retinebant, qui fuere huiusmodi: Operibus bonis nihil mereri posse, Diuos inuocari non debere, Eucharisticum Sacramentum laicis sub utraque specie porrigendum esse; Sacerdotibus ducendas uxores, Nemini esum carnium interdici, aut etiam ieiunium imponi posse alicui, Monachos & Moniales uotis minime teneri monasticis, sed absolui ac liberari. In his denique, quæ ad sacrificium Missæ, Confessionem & Sacramenta pertineant, ne latum quidem, ut aiunt culmum, a noua ipsorum

doctrina discedere noluerunt protestantes aduersarij.

Cæsar cupit ut consuetudinem per Christianũ orbem receptissimam obseruent. Aiebat insuper se demirari eos uehementer, quod sacerdotum coniugia expetant, quale nunq̃ ab apostolorũ temporibus inuectum fuisset, neq; permitti posse Sacerdotibus, ut coniuges fiant, quippe qui ante ordinationem, suapte sponte ac ꝑpria uoluntate matrimonium abiurarint, & iuxta Sanctorum ac Priscorũ patrũ decreta uiuere caste deinceps uouerint, ad quorũ deniq; maiorẽ ac euidentiorẽ confirmationẽ sacram synaxim sumpserint. Atq; ita Missam apud illos receptã, consuetudini Ecclesiæ Catholicæ prorsus contrariari, eaq; de re non iniuria rejciendã, Danielem Prophetam uaticinatum esse, iuge sacrificium ante aduentum Antichristi abrogandum. Quod tamen nondum euenisset, nisi in locis p̃sertim illis, ubi sacrificiũ Missæ obliteratũ est, ubi altaria destructa, ubi Imagines sanctorũ exustæ sunt, ubi in templis diuinas laudes persoluere negligitur & cõtempnitur, uel aliæ diuinæ Laudabilesque ritus Ecclesiastici, in reiectis siue contẽptis & neglectis habentur.

Lūtheranice & cõtemptim satis Sleidanus hæc narrat.

Dux Saxoniæ tum nomine suo, tum etiã congerronũ in hunc respondet sensum: Se quidem & socios præstituros ea omnia quæcunq; bona cõscientia possent, etsi testimonijs scripturæ sacræ, errorũ aliquorũ conuinci possint, futuros neutiq̃ cõtumaces. Promptos quoq; fore ad longiorẽ traditæ confessionis declarationẽ reddendam, idq; fieri oportere, maxime quum in ea ꝑpositiones quædam essent concessæ, quædam refutatæ. Quamobrem se quidem petere descriptum Confutationis. Annuit Cæsar, ea tamẽ lege ne hoc ipsum rudi populo ac imperito uulgo communicent. Illi uero rursus tali conditione recusant accipere.

Abitus Lantgrauij.

Pendente disputatione, profectus est Lantgrauius paucis secum assumptis, relictiq; suo Senatu, qui discessum excusant apud cæteros principes, eo nimirum profectũ esse dicentes, quod suam coniugem infirmari percepisset.

Lantgrauianis & Luneburgicis ac alijs nonnullis, uidebantur Saxones plus nimis ei ꝑpositioni attribuisse, quæ inter cæteras Iurisdictionẽ Episcoporum concernebat, In ea siquidẽ Catholicis nimium obsequutũ esse. Melanchtoni iubetur, ne q̃d amplius largiatur. Tandem Protestantes ipsi, diutius disputare recusant, Si uero pacis atq; concordiæ causa, modi sint indagandi donec Concilium exhibeatur, equidem se minime reluctari, quo minus id fiat.

Multis

Multis modis laboratum & diuersis uijs tentatum, Saxonem & cognatos ad concordiam reducere, ac reconciliare tum Cæsari, tum quidem uel maxime Catholicæ Ecclesiæ, sed in cassum. Die uero posthæc septimo, mēse uidelicet Septembri, Cæsar omnes Principes ac Imperij status domum suam euocat, circiter meridiem, & per Fridericum Palatinum in hunc modum ad ipsos iam præsentes loquitur: Sperasse quidem se, & ne semel quidem dubitauisse, quin in suam sententiam essent descensuri, ex quo post exhibitam confessionem tam candide & fideliter eos habuisset atque seruasset. Licet autem frustra, se tamē suasu & ad petitionem procerum permisisse delectum haberi eorum qui controuersam causam possent dirimere & ita conciliare, & exinde nouam spem concepisse, uerum intelligere se non absque graui molestia, eos in articulis præcipuis ab aliorum sentētia desciuisse. Quod sane nunquam uel credidisset, uel expectasset futurum, quod nimirum in re tam facili contra antiquam, sanctam & intemeratam Ecclesiæ consuetudinem, nouum aliquid moliri uellent, aut etiam nouam quandam doctrinæ formā profiteri, quæ adeo cunctis Imperij ordinibus, & totius orbis Christiani Regibus, nec non etiam maiorum decretis repugnaret. Iam uero quia Concilium cogi exigerent, utq; nunc benignum pacificumq; decretum habeatur, optare quidem se ac uelle, tanquam eum qui pacem in singulis rebus omnibus anteponeret, apud Pontificem Max. & alios monarchas efficere, ut quam primum de loco conuenissent celebrandi nimirū Concilij, hoc ipsum mox decernatur. Huiusmodi eis addicere & compromittere, effecturum se, modo uellent interea temporis eidem Religioni cui tum ipse tum cæteri Principes adhærerent, sequoq; accommodare. Nam ut Concilium denunciet, & nihilominus rem ita fluctuare sinat, talemq; nouitatem non cohibeat, uideri cuiuis facile queat, quam istud graue sibi ac cæteris foret.

Ad cōuocatos Principes sermo querulosus

Cæsar Concilium exoptat pacemque rebus omnibus anteponit.

Habita deliberatione tale quid Protestantes subijciunt: Nouas sectas se non inuexisse uel instaurasse, neque ab Ecclesia Catholica defecisse. Pro eo uerum quod Concilium non recusasset, se habere gratias, precantes, ut quam primum fieri posset Christianum liberumq; Concilium in Germania cogat, quemadmodum etiam in conuentu Spirensi definitū erat, doctrinam autē Romanæ Ecclesiæ rursus amplecti, nō nisi reclamāte ipsorū conscientia facere posse.

Protestantiū responsio, quæ in initio falsa assumit.

Post ma-

Truccesius. Post maturam & sufficientem consultationem Cæsar per Truccesium respondet, actionem omnem se diligenter perlustrasse, & perlegisse, ac tandem inuenire hanc uehementer Catholicæ Christi Ecclesiæ aduersari. Etiam non mediocriter mirari se lenitatem & patientiam delectorum, qui tam multa concesserint, ipsorum e contra duritiem, qui non susceperint quæ ab illis offerebantur. Quod autem ex decretis Imperij Concilium postulent, nihil habere loci aut uigoris, nec ipsis licere, quippe qui nouissimum illud Spirense decretum respuerint, facta protestatione, & appellatione, quam tamen nihili faciat, æquum nimirum esse ut minor pars, maiori & saniori parti sese attemperet, eique ac quiescat. Quota uero portio ex illis sint, si cum Pontifice, si secū & reliquo principum, cætu conferantur? Propterea certior fieri cupit, num ferre possint, si res siue actio latius extendatur, quod etiam significent, nec enim ullis molestijs laboribusque se uelle parcere, quo una aliqua uia statuendæ concordiæ inueniatur. At nisi actionē amplius prosequantur, uel a proposito desistant, facturum se dicit ut oportet ac decet Ecclesiæ tutorem & protectorem. Sed quia sero factum esset, idcirco permittere ut deliberent in sequentem usq; diem.

Postero itaq; die, cum ad certam horam ordines imperij conuenissent, Elector Saxoniæ Dux, & collegæ, per Doctorem Bruck respondent: Se nequaquam dubitare, quin ipsorum Doctrina in futuro Concilio legitimo saltem & libero, uerbo Dei conformis decernatur. Appellationem illam non latius se porrigere quam ad hoc ipsum, in quo Spirense decretum suæ doctrinæ, & receptæ apud eos consuetudini aduersatur, in cæteris autem sese libenter obsecundare uelle. Quoniam igitur ad ipsum pariter, & Concilium prouocarint, cōfidere se ut appellationi nihil deroget, quousq; Canonice cum ipsis transigatur. Interim uero se quoq; nihil admissuros, quam id quod iudicarent tum Deo, tum Concilio canonico acceptum fore.

Iussi diuertere, demum reuocantur. Cæsar ait, cum ardua & grauis esset causa, se consideraturum. & a Saxone petit tanquam omnium Protestantium præcipuo, ne abeat. Iubente quoque Cæsare deputantur nonnulli, qui super his de conscribendo decreto consultarent. Hi erant, Episcopus Moguntinus, Brandeburgicus Elector, Episcopus Salisburgensis, Argentinensis quoque & Spirensis, Georgius Saxoniæ Dux, Vuilhelmus Bauariæ Princeps, & Henricus Dux Brunsuicensis. Cunq;

Cunq; Saxo domum proficisci die xvij. Septembris constituisset, cupit Cæsar ut adhuc quatriduum expectet. Interea conceperunt & ordinarunt Delecti formam Decreti, & decimo calendas Octobris, Saxo cum socijs in curiam Cæsaris uocatur, & quicquid ad Religionem attineret, in pleno senatu recitari mandat. Saxonē uidelicet ac congerrones doctrinæ suæ confessionem quidem exhibuisse, quæ postmodum testimonijs sacræ scripturæ reprobata sit. Deinde magno labore tam suo quam reliquorum Principum rem eo deductam esse, ut illi quædam Christiano dogmati consentaneā recepissent, quædam uicissim repudiassent. Vt ergo intelligant, quā ualde ad pacem propensus esset, nec aliquid in sui tantum gratiam faceret, ex singulari gratia spacium deliberandi usq; ad xv. diem Aprilis illis se uelle concedere. Interea apud se diligenter expenderent & constituerent, num articulos religionis necdū inter se conciliatos, sic quemadmodum Pontifex, ipsemet, ac omnis Christianorum status amplecti uellent. Desiderare quoq; se ut sub id temporis paci per Imperiū uniuersi studeant, ne Saxo & collegæ nouū aliquid in religionem per prouincias suas euulgent, aut deniq; huiusmodi facere præsumant, neminem ad suam factionem pelliceāt, uel etiam adigant. Subditis ueteri & autenticæ religioni deditis nequaquam impedimento sint, uel etiā offendiculo Ecclesiasticis, cœnobitis, faciendo sacro, uel etiam excipiendis confessionibus, aut deniq; dominicam cœnam, iuxta ritum ipsorum administrando, oneri ne sint, aut iniuriosi. Secum etiam & cum alijs ordinibus Imperij reputent, quomodo Anabaptistæ ac ij pariter qui secus ac ipsa docet Ecclesia, de cœna dominica sentiunt & profitentur, funditus tollantur & exterminentur. Postremo quum breui Concilium haberi nequeat, & tamē complura siue in statu Ecclesiastico, siue laico emendatione indigeant, se apud Pontificem ac alios proceres effectūrum ait, ut intra semiannum Concilium denuncietur, & unius post anni spacium inchoetur.

Ad hæc Saxo & socij per Pontanum Cancellarium respondent: Id quod in Decreto haberetur quasi ipsorum dogma diuinis paginis aduersetur, se non admittere, neq; curare. Quinpotius suum dogma sic estiment, ut impium nihil in eo ostendi posset, quod etiam, si modo confutationis uel obiectionis recitatæ descriptum libere conce datur, aperte demonstratum uellent. Sed ne ad istam confutationem prorsus obmutescant, se quoq; quamprimum eam recitari

audissent contrarium scriptum edidisse, quod post multas occupationes iam absolutum esset. Nec dubium ipsis fieri, quin si Cæsar tale ipsorum scriptum trutinare & perpendere uellet, non posse Confessionem illorum aliqua firmitate reuulsam aut sane aliquo modo saltem iusto & firmo impugnatam atq; deiectam deprehendere, neq; facturos quod ipsis uerti uitio possit, nihil commune cũ sectis habere: licet uera sit quam profitentur doctrina, neminem tamen superesse qui ipsos ad istius professionem disciplinæ compulerit, neq; deinceps uelle.

Lutherani in punitionẽ Sacramentariorũ cõsentiunt. Quod autem ad Anabaptistas attineret, ac eos qui Sacramentũ altaris contemnunt, huiusmodi in suis prouincijs uiros ac mulieres nondum tolerasse se aiunt, sed aduersus id generis atq; farinæ homines perpetuo declamatum esse, atq; damnasse, Anabaptistas quoq; grauiter multasse, sic ut eiuscemodi sectæ nedum non radicent, aut suppullulent, imo etiam ne usquam locorum subingredi posse, aut locum aut patrocinium habere.

Caroli Cæsaris resposum. Postridie Cæsar ipsis per Electorem Brandeburgicum significatum uoluit, Equidem se satis mirari non posse, quod tam constanter niterentur doctrinam ipsorum æquam & bonã ostendere atq; tueri, quum tamen hæc non modo a sacris scripturis dissentiat, uerumetiam ab omnibus retroacte actis Conciliorum inuiolatis decretis, tãquam peregrina, aliena & perniciosa damnata sit dudum. Sed maxime omnium mirum sibi uideri & prodigiosum, quod tum ipsi, tum etiam cæteris proceribus, erroneam & falsariam fidẽ obijcerent & ascriberent. Nam si hoc in illum conueniret, ut proponunt, fore ut sui, reliquorumque principum, imo etiam ipsius Saxonis progenitores atq; maiores, qui eandem religionem obseruarunt, dilatarunt & tutati sunt, quam ipse nimirum pro sua uirili obseruat, dilatare & tutari uellet, hæretici censeri debeant. Ob id minime sibi persuaderi posse, ac multo minus fateri uelle, uerũ esse quod dicunt, doctrinam illorum niti diuino uerbo. Cæterum quum ipse ex singulari quadã gratia & ad pacem facilitate uel propensitate mandasset, Decretum in eum modum fieri, in quo satis etiam se demisisset, petere se ut illud ipsum recipiant ut cæteri quoque principes, & apud sese perpendere uelint, quantis malis ansam dabunt, nisi fecerint, Deum insuper tempore suo grauissime in eos anim aduersurum. Nusquam enim scriptum haberi, fas esse aliena rapere, & postmodum se purgare, & non magis æquitati ac rationi

conso-

consonum esse. Quod ablatum est, ei restitui debere, qui damnum acceperit.

His ilico responsionem Protestantes annectunt, Doctrinæ suæ confessionem diuino uerbo consonare. Quod ipsum alio scripto quod nuper contraditum sit, amplius posse doceri. Decretum iuxta ac editum erat, probare se non posse salua conscientia. Ea propter petere se, ut & totius actionis exemplum ad diem dictum, & deliberandi tempus sibi concedatur. se quippe nihil obstinate facturos, sed quantum possint uerbi diuini permissu concessuros, & cuius sententiæ sint, abunde satis responsuros. In cæteris etiam rebus corporis & fortunæ bona, Cæsaris gratia paratos esse, profundere. Deniq; quo ad superius memoratam sententiam, nemini quod sibi proprium est, rapi licere. idipsum pro concessis apud eos identidem haberi, simulq; hac parte inculpatos esse. Siquidem quicquid hic ad monasteria referri posset, hoc crebro testatum esse, se quidem uelle interea donec habeatur Concilium, rationes huiusmodi allegare, ut certissime euidentissimeque uideri & inuestigari queat, neque proprium commodum neq; lucrum spectasse uel quæsisse. Protestantiũ subiectio.

Post longam deliberationem Cæsar iterum per Brandeburgicum hæc subiecit: Nullo modo ista se fateri aut etiam permittere uelle, ut religionis suæ causa se metipsos extollant, Sibi salutem & conscientiam suam cordi quoq; esse, nec parui sane hæc æstimare. Antiquam illam religionem a Sanctissimis uiris ac religiosissimis maioribus ad se usque deuolutam multo quidem minus uelle deserere, quam ipsi suam. In Decreto nihil plane immutandum aut minuendum est. Quod si ut est ita & habeant, bene quidem ac recte. Sin secus, se cogi ut cum alijs nouum decretum conficiat, methodumque sibi quærat, quibus modis nouæ factiones nuper suscitatæ funditus tollantur, Germaniæ pax restituatur, nec non auitæ religionis fideique sinceræ & Ecclesiæ mores, ritus atque uirtutes aliæ iam propemodum a sectis deprauatæ & oppressæ, in disciplina & uigore retineantur: quod etiam sui muneris proprium esset. Imperatoris responsio.

Post ubi cogitassent inter se Protestantes, denuo respondent: Quoniam quidem non possent descriptum comprehensi recessus seu dimissionis impetrare, ulterius instandum non esse, ideo totum negocium Deo committere se uelle. Si quis etiam ex omnibus sit, qui uel hac alia quacunq; de causa cum ipsis agere iure, & iu

dicij sententiam expectare uelit, equidem se minime recusare. Qua propter petere quidem se, ne molestum & graue quicquam aduersus eos facere intendant, neq; ad iram uel odium lacessi aut commoueri se sinant.

Prælibata hac responsione dimissionem petunt ac abeunt, relictis ibi consiliarijs legatis.

Postridie quam illi discessissent omnes ad se ordines euocat, & primum ciuitatum legatos per Truccesium adhortatur ac iubet, ne secedant, ante finem comitiorum. Siquidem Argentinenses, Constantienses, Memmingenses, & Lindauij, peculiarem aliquam Confessionem, Lutheranicæ contrariam porrexerant, in qua errorem Zvuinglij sequebantur, Sacramentum Eucharisticum contemnebant, & Ecclesiæ Christianæ horribilius aduersabatur, quã Lutheranica. Erat tamen accurate uocum coloribus ita extersa & ornata, ut a simplicioribus & sacrarum literarum imperitis pro Christiana & bona haberi ad primum intuitum potuisset. At uero Cæsar eandem Catholicis Theologis, qui Protestantium confessionem nuperrime, optime ualideque confutarant, tradidit quoq; discutiendam, & post præstitam diligentiam, uarios ipsorum errores palam in consessu omnium ordinum declarari & publice recitari fecit.

Legati suam sententiam defendere moliebantur. Queruntur plurima in Confutationem doctrinæ ipsorũ dicta esse, nimis aspera, & multo aliter quam in suis ciuitatibus doceretur & ageretur prolatum esse seu denunciatum. Quoniam igitur causa grauior esset, equidem se prius non posse obiectioni respondere, nisi Dominos suos certiores huius rei faciant, idcirco petere Confutationis recitatæ descriptum.

Post dies autem quinq; Brandeburgicus Cæsaris nomine, respondet, nullam rationem se habere, qua possit moueri ut ipsis descriptum illud porrigat. Si autem uelint ad Ecclesiam Catholicam pedem referre, futurum, ut confutatio satis frequenter recitetur. Simulque præcipit ut fidem atq; doctrinam, quam omnes pariter Principes (pauculis tantum exceptis) profiteantur, recte & Christiane agnoscant atque probent, denique & a temerario ipsorum proposito recedant, sin secus alia sibi tentandum esse uia, quo obsequantur & pareant recta monenti.

Facta

Facta deliberatione Legati subijciunt, In mandatis sese habere, si quippiam aduersus confessionem ipsorum ageretur, exemplum confutationis ad eos mittant, quorum nomine legatione fun gerentur, ut si forte doctores Catholici suam siue Protestantium ciuitatum confessionem aliter quam sentiant, intellexissent uel interpretati essent, exponant & excusent. Nam Magistratus apud eos decreuisse, nullum errorem sponte & studiose amplecti aut ex temeritate quicquam agere.

Inter agendum quoq; Vlmenses, Augustani & Hallenses legati, insinuant, se nolle decretum religionis assumere, nisi per recognitionem œcumenici alicuius Concilij.

Interea Saxo & socij apud Cæsarem instant, ut paci Reipublicæ per Germaniam studeat, eandemque turbatam tranquillet, quo Religionis ergo, nemo grauatus uel offensus in discrimen ueniat, Camerario itidem iudici committat, ne aduersus eos litem proroget.

Cæsar per Fridericum Palatinum respondet: Quum Decretum accipere renuant, sibi cum alijs iam conuenisse, nocere nemini aut offendere, uerum armis seipsum potius uelle defendere, si quæ uis illis qui eandem cum ipso fidem agnoscunt, inferatur. Quod autem exposcāt, ne Fisci præfectus aduersus eos ad iudiciū Cameræ prouocet, iniquum esse. Nam ex officio sibi incumbere, ut omnibus pariter ius dicatur. Quocirca nolle sibi quicquā in eo præscribi uel derogari.

Die tandem decimo nono Septembris decretum recitatur præsente Cæsare in omnium ordinum cœtu. In quo Cæsar post totius actionis enumerationem, statuit, eos tolerari non debere, qui secus de Sacramenti Eucharistici communione iudicant & docent, atque creditum seruatum & doctum est hactenus in Ecclesia. Missæ sacrificium abrogandum nō esse. Infantes sacrosancto chrismate inungantur & ita confirmentur. Aegrotantes oleo sacro perungantur. Imagines sanctorum tollendas esse nequaq̄, sed sicubi locorum essent ablatæ, denuo erigantur. Sententiæ ipsorum qui libertatem arbitrij pernegant, nullo modo acquiescendum esse, quia præterq̄ quod impudentissima & stultissima sit, Deo quoque iniuria foret, & ob id impia. Docendum esse nihil, quod potestati Magistratus uel etiam honori detrahat & cauilletur. Doctrinam de sola fide

iustificante, ferendam non esse, Sacramenta Ecclesiæ ut quondam ad hæc usq; tempora obseruari solita, cum omnibus cæremonijs & ritu Ecclesiastico administrentur. Defunctorum exequiæ & alia id generis peragantur. Sacerdotia uacua probis concedantur. Sacerdotibus & Ecclesiasticis beneficia & prouentus subtracti iuxta eorum uocationem & munus restituantur. ijs uero qui periuro matrimonio sese cõiunxissent & incestuosam uitam retinere uellent, beneficijs & eleemosynis solitis priuentur. Qui resipiscerent repudiatis scortis & castitatem uiolatã deinceps emulari promitterent, post acceptam absolutionem gradum pristinum assequãtur, & per Episcopum diocœsanum consensu summi Pontificis, & super Legati sui denunciatione, libertati & honori restituantur. Reliquis uero obstinatis refugium negetur & proscribantur, aut sane iuxta ac commeruissent, castigentur. Sacerdotũ uita esto pudica & proba, cultus modestus, & a rebus prophanis remotissimi, sancte, pie & sobrie degant. Si alicubi ad lites & conuenta Ecclesiastici iniquis de causis & legibus deuenissent, aut etiam nonnulla bona Ecclesiæ iniustis modis atq; conditionibus distracta, uel in usus mundanos conuersa essent, omnia huiusmodi pro irritis & cassis habeantur. Ad prædicandi munus nemo admittatur, nisi ab ordinario Episcopo bonum habeat doctrinæ pariter & uitæ testimonium. In concionibus, omnium eorum quæ hoc Decreto præscribuntur obseruantissimi sint, nec illud usitatum alioqui e suggesto pronuncient, ac si hoc nonnulli cogitent animoq; uoluant, ut opprimatur Euangelij doctrina. Abstineant a Scommatis atque conuitijs, populum admoneant, ut missæ intersint, orationibus diligenter intendant. Deiparam semper uirginem Mariam ac alios diuos colant & inuocent. Festa uenerentur, ieiunent, cibaria interdicta uitent, eleemosynas largiantur. Monachis uero apostatis exponant, non decere ut uitæ institutum ac ordinem deserant. Et ut summatim dicam, ne quid ea in re quæ fidem & diuinum honorem concernit, immutetur. Qui refragarentur, corporis ac animi discrimen incurrant. Quicquid Ecclesiasticis ui ablatum esset, restituatur. Vbicunque locorum monasteria, & alia huiuscemodi ædificia destructa ac demolita essent, recuperentur, in quibus consuetæ cæremoniæ ac mores obseruentur. Qui in prouincijs aduersariorum antiquæ religioni fideique constanter adhæ-

adhæsissent, & hoc a nobis iam euulgatum decretum approbant, sub tutelam & defensionem Imperij recipiantur, eisq; liberum esto, quo uelint commigrare. De Concilio Pontifex appelletur ut intra semiannum locum opportunum & commodum celebrando concilio assignet, deinde quamprimum fieri potest illud inchoetur, sed ultra annum non differatur. Hæc omnia firma & rata sint, & si quæ sunt opposita uel opponentur appellationes uel exceptiones, nihili æstimentur. Et quo tale decretum, quantum ad Religionem ac fidem attinet, ualeat & conseruetur, quicquid uirium Deus tribuisset, etiam corpus & uita simul in id expendantur, si uero quis alteri uim inferre uelit, iudicium Cameræ simulac interpellatum fuerit, ei, qui uim & arma intentat, denunciet, incœpto desistat, agatq; iure. Si reluctetur adhuc, fiscus litem in eum intendat, proscriptionem accuret, eaq; promulgata, uicinos Principes & ciuitates hortetur, ut illi qui uim formidat, e uestigio subueniant. Nemo in iudicium Cameræ assumatur, nisi huic decreto, religionis ergo composito, morem gerat.

Post istud totius Regni Decretum Lantgrauius sex annorum fœdus cum Tigurinis, Basiliensibus, & Argentinis pepigit, sic nimirum, ut si religionis causa quisquam eorũ bello periclitetur & oppugnetur, mutuas ferant suppetias & auxilia.

Cum autem iam inter Lutheranos & Zvuinglianos grande dissidium oriretur propter doctrinæ uarietatẽ, Martinus ille Bucerus, Prædicatorij ordinis apostata, Zvuinglio tamẽaddictus, ad Lutherum proficiscitur, ut periculum faciat, si forte in suis opinionibus & pugnantibus secum dogmatis, conuenire queant.

Eodem temporis curriculo ad Saxonem Cæsar dat literas, ut ad diem XXI. Decembris Coloniam ueniat, in grauissimis Regni negocijs.

Acceptis ijs literis, alias adhuc eodem die literas recipit ab Archiepiscopo Moguntino, istius argumenti:

Cæsarem petere ut ad se proceres Imperij euocet, ad consultandum de creando Rege Romanorum. Eapropter literis significatum illi, ut die uicesimo nono Decembris Coloniam comparere uelit.

Vbi hæc Saxo intellexit, literas huc atq; illuc destinat, rogat ac monet Lantgrauium & reliquos principes protestantes sociasque ciuitates, ut die uicesimo secundo Decembris Schmalcaldiam conue=

conueniant. Filium quoq; Ioannem Fridericum Ducē, Coloniam mittit cum alijs plerisq; nobilibus & consiliarijs, quo Cæsarem ad diem constitutum præstolarentur. Per quos Cæsari significatum uult Episcopi Moguntini postulationem, nec iuste nec ordinate factam, & hoc quidem omnino in creando Romanorum Rege. Nam sic Imperatoris Caroli Quarti diploma seu ordinationē quā Bullam auream denominant, uiolari & præuaricari. Quamobrem se non probare hoc instituti genus, nec in illud uelle consentire.

Ii igitur principes Schmalcaldiam ingressi pactum ineunt, ut fidem & doctrinam nouiter receptam comprobent, atq; defendant, subscripserunt huic continuo Principes, item Albertus & Gebhartus Mansfeldici, ciuitates etiam Magdeburgum atq; Brema, uerū Argentina, Vlma, Constantia, Emdauium, Memminga, Campodunum, Helprunnum, Reutlinga, Biberacum & Isna, hac saltem lege consentiunt, ut prius suos consulant Magistratus, & intra sex hebdomadarum spacium significaturos sese cuius mentis sint. Optimū iudicare, si Georgius Marchio Brandeburgensis & Noribergici scripto requirantur, eo quod ipsorum legati nullam habebant tractandi super hoc potestatem.

Cōfœderatio inita Schmalkaldæ.

Decretum quoq; fuit legationem emittere ad Regem Daniæ, Ducem Pomeranum, Principem item Megelburgium, & ad ciuitates uidelicet, Hamburgum, Embecum, Northemium, Francofurtum, Brunsuicum, Gotingam, Mindam, Hannobriam, Hildessemū, Lubecam, Stetinum, aliaq; oppida maritima depaciscendi, pariter cum ipsis causa.

Pontifex ubi intellexit finem ac exitum Comitiorū, ad aliquot Principum scribit in hanc formam: Sperasse quidem se in conspectu ac præsentia Cæsaris, hæresim illam Lutheranam, prorsus eliminandam ac protinus disperdendam esse, uel ex parte sedandam. Quod si quid huiusmodi prestitum esset, & successisset, religioni utiq; ac multorum hominum saluti prospectum ita fuisse, & qui hæreseos causa periclitarentur subuentum, deniq; uiam ac modum facilius inuentum ad compescendā Turcæ tyrannidem & furorē.

At cum ex Cæsaris & Legatorum suorum scriptis secus euenisse comperisset, nimirum Lutheranos non solum non ad saniorem doctrinam adduci posse, quinpotius indies & quo diutius eo magis indurari, se, qui prouidente Deo, nauiculam Petri intantis tempororum angustijs atq; procellis, gubernet, nullum præsentius remedium

dium inuenire, quam quo maiores ipsi us sint usi, quod equidem esset Concilium œcumenicum, itaq; hortari, quum res eo perueneritrit, ut uel ipse, uel per legatos causam adeo integrã & sanctam subleuet, se uidelicet prima quauis opportunitate concessa ad aliquem Italiæ locum qui sit futurus commodior, illud indicturum esse. Literæ hæ datæ sunt calendis Decembris.

Confœderati inter se Principes, de quibus pauloante memoratum est, Schmalcaldia literas ad Cæsarem die Vigesimo quarto Decembris dant. Intelligere se ac si Fratrem Ferdinandum Regem Romanorum salutari uelit: nunc autem quæ sit Electorum in eo facultas, & quo polleant iure ex formula legis Imperatoris Caroli Quarti, qua quidem ab eodem sancitum est, ut defuncto Cæsare, totius Imperij nomine surrogetur alter, plurimis manifestũ esse. Cæterum ipso adhuc superstite & incolumi, cum in eum euentum res ipsa nondũ reciderit, Principes Electores iam iã ab Episcopo Moguntino, ad finem supradicti mensis Coloniam euocatos. Quod cũ ita res sese gerat, uoluisse ipsum de quibusdam admonere. Licet etiam huic orationis generi libenter alioqui supersedere malint. Principio igitur ipsum minime latere, quam sancte imperio se deuinxerit & obstrinxerit, potissimum autem interposito iureiurando promiserit Imperatoris Caroli Quarti diploma se obseruaturum, nihil aduersus illud admissurum, neq; alijs id permissurum, huiusmodi pacta immutari non debere, nisi consilio & consensu omnium ordinũ Imperij. At si ipso uiuo & bene sano Romanorum Rex creetur, & quidẽ Frater Germanus, ipsum uidere, quemadmodum id prorsus fiat, contra modum omnem, legem, ius & libertatem regni, suæ promissioni siue iuramento dataeq; fidei repugnet. Quam præterea graue futurum sit Regno, duos sustinere heros, quibus eodem tempore obtemperandum sit. Et quia ægre sint laturi, si quidem aut ipsis ob negligentiam commodi publici tale quid obijciatur & imputetur, optare sese, ut hoc ipsorum scriptum ex charitate erga illum & patriam perpendat, & huiusmodi noui Regis electionem impediat & prætermittat, cogitetq;, quanta mala in posterum inde excrescere queant, nisi diligenter præcaueatur. Huius quoq; rei gratia ad alios Imperij Summates scribunt, Sperare omnino, se nihil plane facturos, nisi quod Regno consultum ac utile foret, omnem quoq; operam sese daturos ne ordines Imperij discordijs a se diuellantur.

Literæ Protestantium e Schmalcaldia ad Cæsarem.

V Posthæc

Posthæc ipse Saxo solus dat literas ad Principes Collegas: Quādoquidem a Moguntino Coloniam sit euocatus, idcirco se quidē filium & aliquot e suis consiliarijs eo misisse, qui nomine suo quicquid necessarium operæq; pręcium foret, proponant & tractent: petere uero ut cessent a proposito, & secum expendant, quantum hæc res præiudicij & incommodi ipsis omnibus ac toti deniq; posteritati parere queat, unde uicissim a multis retroactis temporibus Regni concessa ac rata libertas deseratur, & infirmetur. Postulare quoq; se ut in negocijs illis quæ filio & consiliarijs proponere incumbunt, ita agant, ut uideri ac percipi possit, se identidem publicam utilitatem ac patriæ salutem præ oculis habere.

Luneburgicus autem, Lantgrauius, Anhaldius & Mansfeldici, eodem tempore scribunt ad Electores satis utique prolixe, grauiterq; monent, ne tali paternis legibus affici iniuria sinant, nam huiusmodi Electio Carolino diplomati aduersaretur.

Postremo tandem die Decembris præfati proceres & ciuitates qui nuper Schmalcaldiæ consederant in confederatione, ad Cæsarem sic scribunt: Depactum se fuisse in Augustanis Comitijs cum plerisq; principibus, quanquam autem fama ferat huiusmodi interpretamentum ideo confectum esse non ut quis offendatur, sed ut ipse se muniat atq; defendat, tamē si Fisco ea potestas agendi cōcedatur quam Decretum annuit, dubium non esse, quin ad iniuriam & uim ea res uergat. rogare quoque ut id omne quod ratione Fisci ad Decretū attinet, leniat atq; tollat, quo securi certiq; sint donec habeatur concilij Christiani ac liberi periodus, atq; Decretum, nullam uim pertimescendam esse. Quod si obtineant, effecturos deinceps, ut ad manum semper sint facultates & auxilia tum in Bellum Turcicum, tum in alios reipublicæ necessarios usus.

Legatis Cæsar responderi iubet: Se necdum qūod ipsorum petitioni respondere ualeat, cogitasse, sed inito habitoq; consilio responsum se missurum, nec oportere ait, ut diuitius expectent, uel etiam longius ipsum in comitatu sequantur.

An. 1531 ANno M.D.xxxi. cum iam Electores Coloniæ conuenissent, Cæsar causas exponit, ꝓpter quas necessariū esset Regem Romanoꝝ creari, quarū hæc prima fuit: Quia diuersis regnis, multisq; populis

populis imperaret, neq; fieri posse ut continenter in Germania degat, quia turbulentus admodum esset & periculosus orbis Christiani, præsertim autem Germaniæ status, propter religionis dissidium, multa quidem de ordinate fieri non absque ui & rebellione, Tametsi uero de communi omnium nutu, consilioq; superioribus annis Senatus Imperij institutus esset, tamen præstitam non fuisse ut oportet obseruantiam seu etiam dignam obedientiam. Eapropter necessarium sibi plane uideri & utile quoque fore toti imperio, ut quisquam Romanorum Rex decernatur, qui tanquã alterum Imperij caput censeatur, qui etiã boni ingenij sit, Prudens, Sapiens, potens, amans pacis & concordiæ, qui deniq; in Imperij negocijs uersatus esset, cui etiam confidere & committere tuto & omnino Imperij res possit. Iam uero neminem qui huic aptior Fratre Ferdinando sit, nouisse, cuius fines atq; regna iam essent quasi firmum aliquod uallum aut sane muri Turcarum immanitati obiecti, & quidem in tutelam totius Germaniæ.

Post deliberationem Principes subdunt, orantes pariter Cæsarem, ne Germaniam deserat, sed in ea potius domicilium sibi constituat & curiã agat. Quibus mox subintulit Cæsar, nolle quidẽ se, ipsos derelinquere, sed regna sibi hæreditaria debere inuisere. Qua de re opus esse ut aliquis Romanorum Rex designetur, qui semper in regno maneat, hoc potissimũ furibundo seculo, & irruptionibus quidem importunissimis durissimisq;.

Igitur collatis consilijs & suffragijs Principes Electores quinto Januarij die, in Basilica Coloniensi cathedrali, Ferdinandum Cæsaris Fratrem, Romanorum Regem ac Futurum Imperatorem denuntiant, mox indicia lætitiæ magno cum applausu populi significantur, Campanarum sonitu, Bombardarum ex suis munitionibus strepitu atq; fragore congratulatum est. *Ferdinandus in Regẽ Romanorũ Coloniæ cũ magno & celebri applausu creatur, reclamante licet ipso Saxoniæ Duce.*

Saxo sua legatione reclamat, innuens Electionem illegitime factam esse, simul ac filius suo nomine protestatur nequaquã in eam se consensisse.

Solet autem huiusmodi Electio iuxta præscriptum aurei diplomatis Francoforti celebrari. Verum propter abrogatam illic religionem & Missæ sacrificium prophanatum, in quo fieri consueuit siue geri Electio illa, ut etiam diploma dictat, Cæsar cum Electorũ arbitrio, diem electionis Coloniam transtulit. *Ratio, cur Francofurti non sit habita illa Electio.*

Ioan.Cario.

Considerantes autem Electores Principes ueterem usitatissimamq; consuetudinem, qua nimirum Cæsares solent in uiuis sociorum aliquem sibi asciscere, tum ut certum successorem prospiciat, tum etiam uitandæ omnis discordiæ belliq; causa, electioni subscripserunt & adhæsere. Colonia igitur discedunt, & Aquisgranum proficiscuntur, ubi Ferdinandus die xi. Ianuarij in Regem Romanorum cooptatur & inauguratur. Cæsar undiq; per Germaniã declarat, apertisq; simulac passim ubiq; literis affixis mandat, quo Ferdinandum Fratrem, Romanorum Regem agnoscant & habeant. Quod etiam ad Protestantes scribit.

Schmalcaldiæ a protestantibus cõuentus agitur.

Ad petitionem uero Saxonis Protestantes iterum die uicesimo nono Martij Schmalcaldiæ conuenerunt, captandi inter se consilij gratia, quo pacto suam & confœderationem & confessionem defendant atque conseruent. At cum imbecillior esset Saxo, ita ut comparere non ualeret, Ioannem Fridericum filium suum eo mittit.

Eodem die Principes Protestantes statuerunt, uelle se Ferdinandum, ut Romanorũ Regem nõ agnoscere nec obseruare. Et quia Cæsar post factam Electionem mandasset ut uidelicet Ferdinandum Romanorum Regem agnoscant, optimum iudicarunt, si ipse Saxo responsionis formulam componat, & ad diem quartum Iunij Francofurti proponat. Quando etiam Ciuitates significarent, quidnam ipsis de Regis Ferdinandi uideretur electione.

Scriptum Cæsaris ad Protestantes.

Interea temporis quo Schmalcaldiæ hi Principes congregati essent, Cæsar ad eos literas dat, quibus innuit Turcam constituisse magno cum exercitu Germaniam inuadere. Quocirca opus esse ut omnes Imperij status, sine mora copias & auxilia sibi præstent.

Responsio Protestantiũ.

His illi subijciunt: Ab ijs crebro postulatum esse, ut ab onere uel actione Fisci in causa religionis liberent, at sese nullã hac de re certam adhuc responsionem accepisse, tantum quod uellet dispicere negocium, ac postmodum tempestiuam subnectere responsionem. Huc illud spectare dictum ad ipsorum legatos: Non oportere ut diutius præstolentur, uel sequantur. Interim tamen nihil prosuisi responsi datum esse. Quare si ipsi se expolient, Turcis autem suis facultatibus resistant, & inter hæc Fiscalis ille rigor aduersetur, futurum haud dubie ut hinc inde per plura incommoda, & uiolentæ actio-

tæ actiones ipsis oboriantur. Quapropter rogare se ut omnem Senatus iudiciariam actionem in ipsos editam, dum Concilium fiat, suspendat, reddita uicissim ita pace & securitate. Tum quidem se paratos fore, non modo Turcis obuiam ire ac debellare, uerumetiam ad omnia regni negocia quantum ualeant, diligenter accuranda obsequentissimos fore.

Protestantes quoq; ad Franciæ Angliæq; Reges scripserant in commendationem laudemq; suæ confessionis, referentes quo pacto hanc eandem in nuperrimis Comitijs Cæsari & ordinibus Imperij proposuissent, quam tamen ipse Cæsar & socij Principes reiecissent. Cautum quoq; esse ne quicquam omnino in religione donec Concilium habeatur, innouetur. Attamen sese nequaquam posse illæsa conscientia, ab eadem sua confessione discedere, quia uerbo Dei consentiret, quanquam aduersarij contradicerent, quasi ea ipsa Superioribus resistendum esse suadeat, seu alia etiam quædam impia, quod equidem facerent non absq; iniuria atq; mendacio. Quo sane Cæsarem ac reliquos proceres aduersus ipsos concitarent exasperarentq;. — *Literarum argumēta ipsorū Protestantium ad Regem Franciæ & Angliæ.*

Quare rogare quidem se huiusmodi prudentissimos doctissimosq; reges, ne ijs qui secus de ipsis scriberent dicerentq;, fidem ullam adhibeant, neue suspicione sinistra teneantur, quinpotius apud Cæsarem satagant, ut quamprimum fieri queat, Christianum Concilium procuretur, interim uero nihil quicquam acerbum & graue in ipsos decernatur.

Die uicesima sexta Aprilis Rex Gallorum ad hunc modum respondit: Vtile ac bonum fore, imo desiderare quidem se ut in Europa concordia & pax conseruetur, arbitrari etiam summopere necessarium esse & expedire, ut Concilium Oecumenicum suscipiatur, in quo Spiritussanctus tāquam totius ueritatis doctor habeatur, ita proculdubio futurum ut omnis error & hæsitatio repudietur, nec esse quod uereantur ut a quoquam exasperari se sinat. Si quidem sua indoles non permitteret aduersariorum rumores magni facere. his & alijs huiuscemodi uerbis peramice obsequium suum non denegat, sed offert addicitq;. — *Francisci Regis responsum.*

Anglorum autem Rex Henricus nimirū Octauus, inter cætera sic ad eos scribit: Pergratum esse sibi, quod omnē actionem scripto tradidissent & cōmunicassent. De ipsis famā fuisse subortā nō satis

utiq; bonam, quasi homines quosdam excordes & deliros studeant tutari, qui moliantur imis summa permiscere. Quod autem abusus & alias Ecclesiæ pestes curari & extirpari radicitus uellent, idipsum se quoq; desiderare. Cauendum tamen esse diligenter ab ijs qui rerum nouarum essent auidi, qui dignitatũ gradus coæquare uellent, qui deniq; omnem potestatem superiorem in contemptum adducere studerent. Apud Cæsarem uelle quidem se instare quo commodius Catholicum & Christianum Concilium celebretur, omnibusq; modis pax & concordia retinenda consulatur.

Conuentum Protestantes Francofordiæ celebrant.

Iam uero Protestantes conuentum Francofurti (ut memoratum est antea) indixerant, quarta Iunij, ubi unicuiq; liberum esset, sententiam suam edicere, de Ferdinandi Regis electione. Legatis itaq; ciuitatum consultum uidebatur, ne huiusce electionis causa in aliquam sese litem & periculum conijciant. Etenim uerendum esse, ne forte nonnulli qui ipsis fœdere se uellent adiungere, uana hac & prorsus inutili pugna & emulatione, abhorreant. Suum igitur consilium esse, ut Electionem in sua dignitate quiescere & permanere cõcedant. Quod si uero Rex Ferdinandus aliquid in ipsorum Exomologesin animaduertere uellet aut castigare, in eo se nolle obedire.

Protestantes uero Principes ad Cæsarem & Ferdinandum Regem scribunt: Quoniamquidem Electio contra ueterem consuetudinem niteretur, nullo plane modo in eam se consentire posse.

Eo die Ciuitates petunt Heluetios in confœderatione recipi. Sed ij a Lutheri & sociorum eius doctrina dissentientes, non admittuntur. Nam cum de Sacramento Eucharistico secus ac aliter quam Lutherus sentirent, reclamant Saxones.

Hoc insuper dierum curriculo Episcopus Moguntinus & Ludouicus Palatinus multa inter se de pacifico tractatu conferebant, quem etiam Protestantes ratam habere uolebant, intantum ut iussum sit a Cæsare, ne Fiscus actionem ullam aduersus illos suscipiat, aut iam susceptam prosequatur.

Interea Cæsar alium Spiræ conuentum indicit, die uidelicet xiij. Septembris. Sub id temporis ad Saxonem uenere Vuilhelmus Nassouius, & Nuenarius comites, qui cum de conciliatione tractarent, inquirunt, num ipsi, Zvuinglij & Anabaptistarum professio placeret. Respondet igitur, neutrorum institutum sibi probari, sed

in Au-

in Augustana confessione quoad uiuat perseueraturum se ait. Vt autem ad indicta comitia ipse ueniat, aut alioqui filium mittat comites illi postulant. Quibus subdidit Saxo: Nisi Cæsar sibi socijsq; publicam fidem præstet, ac ita securos reddat, se quidem omnino non uenturum. Adhæc uelle se concionatores, præsertim autem Lutherum, in Comitijs indemnes liberosq; in docendo & concionando haberi, nolle etiam ut ciborum delectus uel discrimen ullū sibi præscribatur, ut ditioni suæ pro Imperij consuetudine, quemadmodum sæpenumero Cæsarem flagitasset, inauguretur. Hæc si ab Imperatore obtinere ualeāt, se quoq; uicissim ijs omnibus quæ peterent, pro sua uirili accommodaturum.

Dum hæc ita geruntur, intelligit Cæsar, quantum armorum apparatum Turca instruxisset, & diem comitijs dictum Spiræ, suspendit in annum deinceps sequentem ad Calendas Ianuarij. Et ne longius ab Austria (cui uis Turcica magis imminebat) discedere cogatur, Ratisponæ diem illum celebrandum denunciat.

Hoc anno Richardus Treuirorum Archiepiscopus uita defunctus est, qui profecto apud omnes Principes permagnæ uir authoritatis erat, propter raram & singularem ingenij sui dotem. Suspicio erat uirulenti toxici, quo putabatur extinctus

Richardus Treuirorum Præsul Elector moritur.

Eodem anno, Maria Ludouici Regis Vngariæ relicta, Soror Cæsaris, ad inferioris Germaniæ nationes uenit, quam ibidem Cæsar in locum Margaretæ amitæ suæ nuper defunctæ surrogat, tanquam nationum illarum præfectam uicariam.

Maria Vngariæ regina uidua nationibus inferioris Germaniæ præficitur uicaria.

Cum interea temporis magis magisque Lutheranorum hæresis inundaret, inualesceretque, & confœderatio fit maretur, multum grauabantur & impetebantur Heluetij adhuc Catholici, maxime uero a Bernatibus & Tigurinis, qui & præcipui & potentissimi erant. Vnde factū ut quinq; Cantones Catholici (quos alij quinquepagicos nominant) communi decreto a Tigurinis deficerēt, ac bellum apertis literis, ijsdem denunciarent, quibus etiam causas belli exponunt in hanc sententiam:

Infideliter hęc Sleidanus refert, ut est liquido uidere in actis Lutheri.

Quoniam satis superq; & iamdudum ius nostrum defensandi, æquitatiq; consulendū duximus, uos aūt cōfœderati, pacis publicæ, modestiæ

Literæ quinquepagicorū denūciatoriæ

modestiæ unitatisq; Christianæ, fidei, charitatis & amicitiæ inimici, imo etiam naturæ legibus & æquitati contrarij, subditos nobis subtrahitis & abalienatis, ita ut solitam ac debitam obedientiam denegent, facti perfidi atq; periuri, nostramq; iurisdictionem passim abrogent, quos interim defenditis, & quasi hæc uobis non sufficiant, fraudulentis molitionibus illos aduersum nos concitare laboratis, quo tandem nos ab antiqua, authentica, intemerata, & Catholica fide deturbetis, nobis obijcitis ac si Dei uerbum recusemus audire, nec permittere ut apud nos sacra legatur Biblia, seu uetus ac nouum instrumentum, nos quasi atheos habetis & taxatis, proditores & uersipelles impostores dicitis. Et quia nouam & excogitatam a uobis fidem non recipimus, alimoniam nobis & nundinationes subtrahitis, commodoq; omni institorio priuatis, quibus modis non modo nos, uerumetiam infantes nostros ac fœtus necdum enixos, in utero materno fame & calamitate pdere studetis. Cum igitur iuri nostro, nullus apud uos locus queat inueniri, nec sit alius qui in defensionem nostri iuris subsidium suppetiasq; ferat, nulla deniq; meta, angustijs, uiolentis oppressionibus, superbiæ & improbissimis factis ponatur, quæ sane malorū genera hactenus patienter sustinuimus, cogimur (præsidijs freti ipsius Dei omnipotentis, necnon gloriosæ Deiparæ uirginis Mariæ omniumq; cœlitum suffragijs, aut deniq; humanis auxilijs suffulti, ab ijs nimirum qui ius æquitatemq; diligunt) reos uos apertis inimicitijs decernere, uolumusq; deinceps, Deo nobis gratiam, uires, & robur concedente, omnem hanc iniquitatem uiribus & stratagematis propulsare atq; ulcisci. Hæc proinde uobis uestrisq; patronis & affectis plane literis istis denunciamus, uolentes nostrum omnium honorem certatim contra uos defendere. In quorum fidem & ueritatis testimonium, præsentibus sociorum nostrorum Zugensium sigillum omnium nostrum nomine affiximus. Datum feria quarta, quarto nonas Octobris, Anno a natiuitate Christi. M.D.xxxi.

Ioan. Cario.

Sleidanus ait, Catholicos Zuinglianos indicta causa belli obruisse.

Facta hac denunciatione, utrinq; copiæ & auxilia in hostem diriguntur. Tigurini Ducem belli undecima Octobris cum manipulis suis & sex æneis tormētis uehiculis impositis, hostibus obuiam mittunt. Tandem etiam ipsi cum instructissimo fortissimoq; exercitu & uiginti bombardis in aciem profecti sunt. Qui cum ad monasterium quoddam Capella nominatum peruenissent, in tria Catholicorum confinia, nempe in Suicianos, Zugianos, & Vnterualdios

Falsus est Sleidanus.

dios irruerunt. Hi igitur qui partes Catholicorum agebant, fugam simulant, at ilico pedem referentes, totis uiribus animisq; coniunctis hostes inuadunt, & in fugam conuertunt, ac omnes illos quotquot se sub maius uexillum receperant, seu in media & robustiori exercitus parte substiterant, prosternunt, & quicquid erat æneorũ tormentorum sibi tollunt, & ad se rapiunt. In eoq; conflictu ceciderе homines plusquam mille & quadringenti. Inter quos repertus est Vlricus Zvuinglius, effectus ex Ecclesiasta, miles, totius dissidiæ & diffidentiæ præcipuus incensor seu etiam author, in faciem prostratus ac pene mortuus. Cum autem uictores hunc neutiquam agnoscerent, sciscitantur num prius confiteri peccata uelit, quam moriatur. Subticuit ille, ac si spiritum iam reddidisset. Accessit alius, qui hominem cognouerat, & læthiferum illi uulnus inflixit, nunciauitq; ducibus exercitus. Cadauer itaq; arripiunt, & ut proditorem Zvuinglium damnant, tandem ut hæreticum, suum cadauer ignibus cremant. Deniq; oẽs factiosi, & potissimi Zvuinglij socij in hac acie succubuerunt. Plurimi quoq; ciuium magni nominis, uiri etiam strennui ac nobiles non pauci capti sunt.

Vdalrici Zuuinglij horrendus interitus.

Post autem die uidelicet decimo septimo Octobris, Tigurini & Bernates uirorum quasi triginta milia in aciem produxerunt, quos, in duas turmas distinxerunt, Zugianos Tigurini, at Bernenses, ipsos Lucernates opprimere festinant.

In actis Lutheri pagina 229.

Iam uero militum octodecim milia quinquepagici aduersus eos eduxerant. Bernates igitur prope fluentum inuadunt, & facto impetu prosternunt. Ex Bernatibus, quingẽti fere submersi, septingenti uero gladio cæsi sunt, postridie ij qui præ metu fuga dilapsi in cauernis, uepribus atq; dumis latuerant, in lucem prodeunt, & a Catholicis nihilominus benigne humaniterq; excepti sunt.

Ex actis Lutheri.

Die posthæc uicesimo quarto mensis eiusdem, cum nondum cædis & uindictæ appetitio finem haberet, Tigurini atq; Bernates, ipsorum Basiliensium & Schafhusianorum opem implorant, atq; recipiũt, in spem ulciscendi se, atq; ita Catholicos ex insperato sub noctem obruere ac dissipare machinantur. Nam illorum copiæ se dissitæ ac separatæ erant, eo quod Lucernates propriam & peculiarem aciem in Bernenses direxerant. Quamprimum igitur reliqui Catholicorum pagorum, quatuor uidelicet, hostium insidias intellexerunt, arreptis armis albas superinduunt camisias, quo nempe modo, se inter se facilius dinoscant in tenebris. Inito iam prælio

Tigurini & Bernates socij, Basilienses & Schafhusianos implorant.

X adpri-

Sleidanus de ac gloriosa [C]atholicorũ [u]ictoria nihil [m]entionis me[min]it.

ad primum congressum Catholici circa principia ad quintam usque stationem feriuntur, at ope diuina uictoriã adepti, hostes suos disperdunt, ex quibus sex etiam milia corruerunt.

Tandem uero Tigurini, quos prœliandi libido semel incesserat, die postremo Octobris bello quinquepagicos iterũ adorti cæduntur, ita ut ex octo milibus, duo tantum milia superessent, & ĳ qui fuga non euaderent, corripiebantur.

[Pa]x inter bel[lan]tes ciuitates [in]ita.

Post longum certamen & cruentas cædes, interuentu quarundam ciuitatum imperialium composita pax est. Cum autem religionis causa omis illa pugna & strages exorta esset, Zvuinglianos oportuit quinquepagicis sancte polliceri, ut his ipsis in antiqua, uera & Catholica fide nunc & deinceps pacifice perseuerare dimitterent. Pari quoq; modo quinquepagici uicissim Tigurinis & Bernatibus, tranquillitatem in fide apud eos iam nuper recepta concederent, & a conuentis omnibus in se mutuo æditis utriq; discederent, pacemq; rebus suis firmam ac integram ut uicinos decet, accurarent.

Oecolampadij insperata mors.

Haud multo post Oecolampadius, Monachus Apostata, sub diluculum a Moniale, quam e cœnobio in coniugem sibi rapuerat, in lecto mortuus est inuentus. Tanta quippe commiseratione (ut refert Sleidanus) erga Zvuinglium affectus creditur. Erant enim hi duo unius quasi fidei, professione Sacramentarĳ, in quos multa Lutherus cum collegis scriptitauit.

Lycosthenes.

Hoc anno magnum ex ruina gradinis damnum & calamitas Basilienfibus accessit. Nam adeo uerberatæ & contusæ uites per agros ipsorum fuerunt, ut etiam grandi pœnuria & iactura uini laborarint.

Sub idem tempus igneæ & sanguinolentæ quædam in aere sursum impressiones, uariĳs inter se modis constitutæ, atque affectæ, Vlyssiponæ (quæ Regũ Lusitaniæ hodie regia est, & totius Regni illius metropolis) apparuerũt, Guttæ quoq; sanguinis ex aere tunc in terram delapsæ sunt.

Monstra 4. diuersis locis inuenta.

Die uicesimo nono mensis Augusti, natus est infans Gossauiæ Heluetiæ pago, portentosa forma. Siquidem biceps erat, tribus brachĳs, totidemq; pedibus constans.

Eodem quoq; mense piscis quidam immani & uasto corpore in Hollandia repertus est ad littora maris, longitudine hic erat 68. pedum, crassitudine uero 30. Rostrum habebat amplissimum ad spacium 13. pedum.

Hoc

Hoc itidem anno mulier quædam Augustæ tria horrenda peperit monstra. Primum quidem humani capitis speciem habebat, de in bipedem serpentem edidit, cuius rostrum lupo pisci simile fuit, pedes quasi ranæ, cauda ut colubri. Tertium deniq; quod genuit, perfectus erat aper.

Eadem quoq; tempestate, animal quoddam ferum, quadrupes prope Salisburgum captum est, uisu per quã horribile. Caput nempe hominis, barbitium crispum, pedes quasi Aquilæ, plantas aut potius uolas leoni persimiles habebat, caninam quoq; caudam, colore deniq; flauo corpus totum erat. Quod cum ergastulo inclusum teneretur, nec edere quicquam uellet, paucis post diebus moritur. *Nauclerus.*

Terræmotus in Lusitania.

Eodem anno, tantus in Lusitania terræmotus superuenit, ut etiam Vlysipponæ mille & quinquaginta domus structura splendidæ & magnificæ, deorsum funditus collaberentur, & aliæ plusq̃ centum sæpius concussæ, ruinam minari uidebantur. Templa in aceruos & congestus lapidum redacta sunt. Hic terræmotus octiduum durauit, & uno subinde die, septies octies ue terram concussionibus tremoribusq; horribiliter pulsitabat, adeo ut ciues indigenæ magno correpti metu, ciuitatem desererent, seseque sub dio in agris continerent. Terra passim aperta, grauissimos fœtores expirabat, unde postmodum dira pestis deseuĳt.

Pestis ab exhalationibus putridis per terræmotum nata.

Mense Augusto, ingens Cometes per Italiam, Germaniam, & Franciam uisus est. Plurimorum sententia erat, hunc præsagĳsse ac designasse stragem illam cruentam, quæ apud Helueticos breui post subsecuta fuit.

Cometa præsagium ut putant cladis Heluetica.

Hoc insuper anno, Turca expeditionem parat in Vngariam, sperans sese maiori quam ante Christianos iactura, periculisq; mulctaturum. Prius enim quam Ferdinandus Romanorum Rex declaratus, Aquisgrano in Austriam redire potuit, collectis uiribus festinato Vngariam Turcorum Rex inuadit, Viennam obsidere uolens. At Cæsar & Ferdinandus Rex robustissimam militũ uim tempestiue conflauerant, qui dexterius fortiusq; cum Turcis manus conferebant, sic ut plurimos funderent, disperderent, & complures uiuos comprehenderent.

Nauclerus.

Turcica expeditione, Vienna de obsidione tentata.

Cæsariani Turcos in fugam conuertunt, & trucidant.

Deniq; ad diem denuo ueniunt Francofurtum, Protestantes, ut suam cõfœderationem amplius confirment atq; corroborent. Hoc in conuentu Goslarienses & Embecenses inter socios fœderis asscripti sunt, mense nimirum Decembri, die xix.

X ĳ Anno

An. 1532 ANno deinceps sequente Cæsar cum Fratre Romanorum Rege, ex Brabantia Ratisponam mense Martio appulit. Hic em̄ Comitijs dictus erat dies. Conueniunt itaq; eo omnes imperij Ordines, & ij quidem Principes qui adesse coram non poterant, suos nihilominus legatos substituunt, qui causam ipsorum ac si præsentes essent, agant. Vtq; paribus uotis Turcorum tyrannus propulsetur, qui magnis uiribus & inaudito armorum apparatu eruperant, Cæsar duos Imperij proceres, Moguntinum uidelicet & Ludouicum Palatinum ad Saxonem & Lantgrauium, & aliorum Protestantium legatos mittit, ut cum ijs tractent, numne in religionis negocio, inter Catholicos & illosipsos interponi queat Christiana quædam conciliatio. Idcirco diem Schvueinfurti sub initium Aprilis statuunt, ubi commodius inter se transigant susceptam actionem.

Cæsar ex Belgio Ratisponam uenit, ad Diem.

Turcorum acies Vngariam inuadit.

In spem itaq; Turca adductus ulciscendi se de ignominia, quā superioribus annis fuga sibi conciliauerat, simul etiam Christicolas opprimendi ac disperdendi immaniter, eductis secum infinitis copijs, Taurunum siue Belgradum quod est oppidum mœliæ superioris, ubi Sauus Danubio miscetur, usq; peruenit, ut paulo infra dicemus.

Sexto nempe nonas Maij triremes seu potius phaseli centum & decem Constantinopoli soluerunt, admirabili cum pompa, organis musicis, & admodum iucunde herbis, unionibusq; preciosissimis, frondibus & ramis suauissimis non tam obductæ quam ornatæ.

Turcorū ambitio & luxus.

Decima uero Maij, magna festiuitas percelebrabatur a Turcis, Mahometis uexillum superstitiosis cæremonijs attollitur in sublime, & ad Palatium Turcici Imperatoris, Principi fortissimo traditur.

Duodecimo posthæc die, omnes machinæ, cum bombardis, puluereq; tormentario, glandibus & copijs appulerunt, omnique armorum genere, ita ut his ferendis triginta milia camelorum uix sufficerent.

Die quinta decima, octo milia Ianiciorum, qui Turcici Cæsaris stipatores erant, Constantinopoli discedunt in pugnam. Postridie uero, quadringenti milites honorarij, omnes serico nobilissimo uestiti, filis aureis & uaricoloribus incredibili quadam industria ornato pictoque. Hos a tergo currus quinquaginta, purpura, auleisq;

Vltima Turcorū expeditio, & Cōstantinopoli in Vngariam profectio.

auleisq; preciosissimis constrati sequũtur. Vnusquisq; currus, quatuor robustissimos equos habebat, quibus thesauri, & concubinæ partim uehebantur. His adiuncti erant quasi custodes, equitũ plus minus quatuor milia.

Postero dein die quatuor milia peditum ante se mittit Turca, idq; summo diluculo simulac camelos quadringentos, tentorijs & huiusmodi alijs oneratos cimelijs uel ornamentis, inæstimabilis precij. Sequebantur præterea ducenti equi, auro gemmisq; fulgentes, qui sine sessore manu tantum ducebantur. Post hos duo milia equitum, qui sese Spaccos nominant, indiuidui ac primi Turcici Cæsaris satellites, inter quos uexillum ipsius capitale ac proprium gestabatur expansum, quod nunc huc nunc illuc uento impellebatur. In eo Mahometis imago ex auro & margaritis acu depicta cernebatur, quod sane sumptuosum & barbaris suspiciendum erat.

Deinceps procedebant cubicularij centum, magnifice ornati, & amicti holoserico, argento auroque crispante. Hi hastas purpura damascena obductas & preciosissimo serico exornatas manu gestabant, plegmatis faciem uelabant, rubrisq; garis, ijsq; sertis aureis & plumis candidissimis redimitis caput comptum habebãt. Inter hos duodecim aderant, galeis indicibili artificio ac gemmis lucidissimis elaboratis & perpolitis ornati, ita ut præ nitore rutilare uiderentur. Eminebat uero plus cæteris cassis quædam coronæ Pontificiæ similis, quam cum institores nonnulli auro gemmisq; ad miraculum sumptuosissimis, coaptare Venetijs fecissent, Constantinopolim deferunt, ad Abraimum Baschonium, qui eam sibi centum & quadraginta milibus ducatorum comparauit, ac postea Cæsari Solimanno dono misit.

Die uicesima quarta Iunij, quæ Diuo Ioanni Baptistæ consecrata est, magnifico cum apparatu, Taurunum oppidum, Turcorum Rex ingreditur. Vbi a ciuibus & optimatibus honorifice & cum triumphis exceptus est. Vicatim omnia adornantur, spectacula, ludi scenici, arcus triumphales Romanorum more ueterum, exhibentur. Tandem in tabernaculum auro, argento, ac serico retortũ recipitur, & quatuor summitatibus magna cum pompa gestatur. Die postero in tertium usq; diem sexaginta milia peditum, & equitum totidem milia, Taurino Budam deuenerunt, & decem miliaribus aut etiam amplius a Vienna Austriæ castrametati sunt.

In castris tam abundans omnis commeatus prouentus erat, ut [illegible]lis non sit auditus.

Numerus pugnatorum erat trecentena milia, inter quos tamē bis centum mille uiri ad bella fortissimi habebantur.

Fossores numero triginta milia erant, tum ad iaciendos aggeres, tum ad suffodiendos muros satis instructi.

Cæsaris in Turcam apparatus.

Cæterum in hoc bellorum tumultu periculosissimo, Cæsar ad omnes Imperij ordines, grauissimo conscripto mandato, præcipit ut auxilia & suppetias undiq; subministrent in Tyrannum Turcicum. Id sane mandati ad memoriā totius orbis Christiani, idibus Iulij anno M.D.xxxij. Ratisponæ æditum inter consultandum, de restaurāda religione, hæresibus prohdolor passim fere collapsa, ac promulgatum est. Imo Romanus Pontifex, Clemens septimus, Cæsarem ac Fratrem Regem hortabatur, ut incontanter ac serio Turcarū irruptionibus oppressionibusq; occurrant atq; resistant.

Tum ex omnibus Prouincijs occidentalibus, auxilia & copiæ a Principibus, Episcopis, Ciuitatibus, terris & populis tanto numero transmissæ sunt, tantaq; militum equitum peditumq; exercitus conuenit, ut nemo mortalium unq̄ uno tempore huiusmodi coactum esse usquam in Germania meminerit. Quinetiam Cæsar & Frater Rex huic formidabili bello interesse seu potius præesse uoluerunt. Nam Viennam Austriæ quindecim milibus peditum munierant. Hic prælium committere cum Turcis collibuit, despecto infinito eorū exercitu, at congredeundi facultas concessa non fuit.

Arx Gunsana oppugnata, sed non expugnata, Deo ipso euidētissimis miraculo pro Christianis pugnante.

Siquidem interim Turca arcem Gunsanam magno cum impetu oppugnabat, ita ut duodecim iam signa in muris statueret. Cum uero in ultimum uitæ discrimen post exantlatas diuersas pugnas, ciues cū Præfecto suo fortissimo, multis uulneribus saucio, deuenissent, contra mortem miseros eiulatus emittunt, matres cū prolibus. Perterriti uero Turcæ milites in domibus latere suspicantur, ut ex insidijs quosuis eorum adorti trucidare cōmodius possent. Terga igitur uertunt, & sine spe uictoriæ aut uitæ quoq; diutius seruādæ, manifesto & euidenti miraculo Deus ciuibus illis succurrit, fugatis infidelibus.

Nomē præfecti Nicolaus erat a Iurischitz, cuius fortitudinem Turcarū Imperator demiratus est.

Nam cum obsidione soluta retrocessisset Turca, nullo etiā oppidulum seu arcem illam Gunsanā ulterius oppugnāte, hostibusq; procul palantibus, tum primum muri corruerunt. Vnde profecto manifestum euadit, non proprijs ipsorum uiribus, sed peculiari

ipsius

ipsius Dei præsidio a Turcarum tyrannide liberatos esse.

Vbi uero Turca comperit Cæsarem cum tam instructa & numerosa acie aduenisse, castra mouit, omnemq; quem secū eduxerat belli apparatum uehiculis, Camelisq; impositum, abducens, & terga dans turpiter aufugit. Vt autem conceptam tyrannidem aliquo modo explere posset, & Germaniam affligere diutius, aliquot sedecim milia in montanis Austriæ dimisit & succenturiauit, ut hi post recessum Christiani exercitus, totam Pannoniam diripiant atq; deuastent. At Deo hauddubie prouidente, mox insidiæ ipsorū detectæ sunt, & Dux belli Fridericus Palatinus assumpto secum ualido exercitu, in hostes irruit, ac primo quidem congressu & assultu mille prosternit. Quod reliqui considerantes, fugam ineunt, at elabi non potuere, siquidem ad unum omnes occubuerūt. Quidam cum arbores conscendissent, iaculis glandibusq; confossi, in terram desuper tanquam aues corruerunt.

Turcarum fuga ad Caroli 5. aduentum.

Friderici Palatini facinus egregiū & heroicū, in Turcas.

Post hanc adeo gloriosam & inclytam uictoriam, Cæsar cum Fratre, totum suum exercitum in ordinē castrensem redegit, quasi iam iam cominus cum hoste præliandum foret, ac ita cuneatim ante se dimitti iussit. Cæsar interea aciem tam rite ordinatam, instructam, fortem & copiosam admiratus, Fridericum Palatinum Primipilarem alloquitur & interrogat, Num totidē adhuc copias Germania reddere queat? Palatinus uero respondit, nusquam in Germaniam populū desiderari. Hinc colligi potest, perpaucos sane aut fere nullos ex castris Christianorum concidisse.

Cum igitur Imperator Turcicus pedem retro ferret, & post se cuncta demoliretur, iamq; hyems castris incommoda & odiosa, instaret, exercitu a se dimisso, Vienna Cæsar Italiam repedat. Vbi a Pontifice Maximo gratanter & magnifice suscipitur. Cæsar dum in Italia hyemat, optimum ordinem ac modum cuiuis administrationi prospexit atq; disposuit, necnon de cogendo Concilio deliberat cum Pontifice.

Ioan. Cario hæc tibi obiter, Sleidanus tantum, modo suo narrat.

Superius quidem narratum est, quosdam Schvuinfurti Principes conuenisse, ad profectum concordiæ, quæ in negocio Religionis plurimum desiderabatur, ut nimirum pax in Regno conseruetur, sublatis discordiarum ansis, donec Concilium opportune habeatur. hi uero proceres qui Cæsaris nomine tractabant, protestantibus ceu cōditiones quasdam proponunt. Principio quidem: Ne quid innouent, quoadusq; Concilium celebretur. Nullos in sui tutelam

tutelam & patrocinium recipiant, huiusmodi uidelicet, qui alieno pareant domino. Omnem cauillandi & maledicendi licentiam suis concionatoribus cohibeant. Iurisdictionem Ecclesiasticam, aut etiam consuetudinem ne prohibeant. Cæsari ac Romanorum Regi Ferdinando obtemperent. Et si confœderationem aliquam contra Catholicam Religionem effecissent, eandem illam abrogent.

Ad hæc Saxo cum Socijs responsurus, petit inprimis ne Rex Ferdinandus sibi titulum aut ius regis Romanorũ uendicet. Cæsari neutiquam permitteretur, ut eo ipso uiuo aliquem quasi sociũ Imperij sibi deligat, nisi primum communicato consilio, Electoribus & sex alijs Regni dynastis necessarium uisum fuerit. Quorum licet etiam nutu & arbitrio quisquam in Regem creetur, eum tamen minime debere potestatem, & administrationem suscipere, quandiu Cæsar ipse superesset. Neq; etiam proceres Regni ullo iuramento teneri aut potius deuinciri tali uidelicet Regi, debere. Hosce & alios id genus articulos plures, Protestantes in medium adducunt. Potissimum autem uolebant, ne Rex Ferdinandus ullam regendi potestatem aut obeat, aut etiã utatur in negocijs Religionis. Nisi uero his singulis ipsorum postulatis Cæsar annuat, rogatum uellent, ne ægre ferat sua Maiestas, quod apud omnes quoscunq; rationem sui propositi reddere & exponere liceat.

His continuo qui Cæsaris nomine conuenerant subiungunt: Equidem non expectasse se responsionem huiusmodi prorsus cõtrariam, nec ullo moderamine constantem. Nam quod Ferdinandum in Romanorum Regem crearint, causas utiq; grauissimas ac adeo firmas nõ deesse quibus adducti & permoti sint Ferdinandum in Regem Romanorũ, uiuente nihilominus Cæsare, decernere, quas etiam urgente necessitate satis exerte referre queant. Verum cum hæc res ad Cæsarem magis Regem & alios Imperij primates pertinere uideretur, eandẽ consopitam iri in aliud usq; tempus utile fore dicunt, quo uidelicet ad alia negocia paciscendæ concordiæ, (cuius potissimum causa, conuentus ille constitutus esset,) transeant. Quod si uero ipsi cæteriq; Principes Electores, a quoquã in causa Electionis iam factæ interpellentur, sese rationem reddituros aiunt tam prompte atq; diserte, ut nemo uere saltem ac merito quicquam quod obgannire & improperare queat, habiturus sit. Quapropter pacis seruandæ causa se petere, ut a proposito discedant, sperare quoq; se, quod nemini nocitura sit illa Electio. Verũ

etsi

etsi pax & concordia resaciretur in causis fidei Catholicæ, nec Electionem Regis ratam habere ipsi protestantes uelle, nihilominus tamen Germaniam diffidijs periclitari posse.

Saxo mox e uestigio hæc subintulit: Se minime sperasse, quod huiuscemodi aliquid essent dicturi. Nam licet ipse Cæsar, aliquot occasiones Coloniæ protulisset, cur Fratrem in Romanorum Regem alterum a se creandum iudicaret, eas tamen non satis efficaces esse, ut propterea Caroli Quarti diploma prætergredi debuerit, proinde Patrem suum una cum socijs fœderis, apud quoscunq; uelle rationem reddere, quamobrem in Electionem consentire noluerit. Et si quid inde consequatur incommodi aut periculum ullum emergat, ne sibi imputet. Quantum uero ad Religionem attineat, se prorsus uelle confessionem Augustanam prosequi, at huic nihil addere noui, donec Concilium fiat: Subditos alienos se quidē nolle in tutelam aut etiam patrocinium suscipere, nisi forte huiusmodi quibus indultum ac permissum sit libere quo uelint, discedere, & ne concionatores ipsorum in suggesto conuitientur, cauturos, tamen ut errores & crimina saltem moderate carpant permissuros, Iurisdictionem Ecclesiasticam inoffensam manere at Episcoporum nemini licitum iri, ut in eum aliquem manus injciat, qui uidelicet se ipsis adiungere uelit, mores ac ritus Ecclesiæ instituti, non tamen adhuc exhibiti aut triti, inoffensi & consopiti maneant, quoadusq; Concilium agatur. Prouentus Ecclesiastici, ut antiquitus ac solito consueuerunt, locis commodis & opportunis conferantur, & in usum eorum, qui inibi morarentur ac ius ibidem manendi haberent, conuertantur, ad tempus idoneum Concilio. Nulli quicquā ui auferatur, aut iniuria fiat, sed unusquisq; alterum diligat, & charitatis obsequia communicet. Cum itaque non posset utrinque res controuersa magis deduci propiusque conciliari, optimum fore actores sequestri seu arbitri iudicarunt, ut actionem longius prosequantur, & quo Cæsar ipse (quippe qui in Italiam iter necdum fecisset, sed Ratisponæ ageret) citius certior redderetur, Noribergæ diem denunciant tertia Iunij. Tandē ipse Cæsar censuit, etiamsi in singulis per omnia conueniri nequeat, tamen habita ratione ingruentis belli Turcici, quo iam periclitari ceperat Austria, & ob id pariter opus esset, undique suppetias conflare, his inquam animaduersis circunstantijs, Cæsar paci studendum esse censuit, quam uniuersæ Germaniæ refundit mandans, ne religionis gratia, alius

alium criminetur, aut accuset, uerum Concilium in id expectetur, quod etiam licet statim non habeatur, pacem nihilominus duraturam, donec modũ alium sedandæ & extinguendæ discordiæ, ipsi ordines Imperij nacti sint, eos qui reniterentur, grauiter plecti debere. Interim autem se daturum operam ut intra semestre, Concilium denuncietur, & circiter unius anni spacium celebretur. Atq; idcirco præcipere, ut interea omnis actio religionis ergo suscepta & habita conquiescat, nec Fiscus potestatem in Protestantes habeat, & si forte ijs aliquid contrarium eueniat, nullius roboris atq; momenti sit. In his uicissim omnem obedientiam, omne obsequium Protestantes offerunt, simulac in Turcam præsidia promittunt. Pacis formula a Principibus arbitris decimo calendas Augusti determinata est, & deinceps a Cæsare, quem propterea literis & legatis requirunt, quarto nonas Augusti comprobata, & post, in acta publice in testimonium approbationis relata, mandatũ quoq; Cameræ & assessoribus fuit, ut sese per oĩa huic paci cõforment.

Hoc anno, mense uidelicet Maio circinus quidam, crystallinus orientem solem amplecti apud Heluetios uisus est, multis quoq; in locis coronati dracones per aera uolantes, rostris quasi porcinis, apparuerunt.

Eodem anno, cataphractus eques per aerem ferri serenum Monasterij Vuestphaliæ appruit.

Eadem tempestate mulier quædam grauida, maritum dormientem interfecit, noctuq; latus ipsius sinistrum cum brachio uorauit, reliquum uero cadaueris sale condijt, sibiq; adseruauit. Paulo post gemellos peperit. At quia tam inhumaniter egisset, perpetuis carceribus mancipata, fame tandem & miseria uitam finiunt. Id autem piaculi in germania contigit.

Die septimo Martij, mulier quædam in Assyria seu regno Babylonico, Rachiena nomine, infantem eleganti forma genuit, oculis & unguibus erat supra modum, seu potius præter naturæ solitum, pellucidis, & micantibus. In cuius ortu non solum clementa, uerumetiam uirtutes cœlestes commoueri uidebantur, & horrenda ostentare prodigia. Sol nempe nocte media ut in meridie resplenduit, post uero tantæ offusæ sunt tenebræ, ut unius diei spacio nihil cerneretur lumine naturali. Deinde miranda circa solem spectra, stellæ ualde peregrinæ, quæ cœlum ipsum pererrare uidebantur. Supra domum ubi natus erat infans,

ignis e cœlo cadere,& homines consumere uidebatur, & alia quædam prodigia. Postridie magna tempestate coorta, nubes margaritas pluebant. Tertio dein die, igneus quidam draco Babyloniam circumuolitare uidebatur. Ingens quoq; ac nouus mons apparuit, cæteris omnibus altior,qui in partes duas diuidebatur, in quarum medio columna reperta est, in ea literis græcis excisa uerba hæc sunt:Hora natiuitatis uenit, mundiq; terminus instat: Vt suscipiatis corda parate,beati qui uerbum ipsius seruabunt. Igitur tam prodigiose natus hic infans,post bimestre uocem eleuat,tanquam prouectioris ætatis aliquis. Dicebat se filium esse Dei. Et cum interrogaretur quidnam prodigia illa designarent. Respondit ilico quasi interpretaturus:Margaritæ inquiens e cœlo lapsæ, eos significant, qui mihi sunt adhæsuri. Draco uero circumuolitans meum aduersarium. Infirmos curabat,uisum cæcis reddebat,mortuos in uitam reuocabat,seseq; uerum sacrarum literarum interpretem, oraculorum & mysteriorum diuinorum præconem iustissimũ nuncupabat. Diuinos honores,attoniti Babylonij,contra morem patriæ huic puero deferebant.

Hoc inauditum prodigium Mesinus Eques Rhodensis, Christo deuotissimus,ad socios equites & alios Christianos Principes scribere dignum & salubre duxit,quo nimirum uigilent atq; præcaueant ne huiusmodi Sathanica uersutia, & pseudoprophetarum imposturis homines seducantur,fidem & sermonem Christi ne deserant.

Eodem hoc anno puer quidam septennis in Sueuia, pago quẽ uulgo Christantzhouen nominant,sæpius in ecstasin quandam raptus,post multas angustias atque dolores, post frequentes pectoris contusiones,sudores atq; tremores,ad mentem redijt, & diserte satis testabatur,Deum præcepisse sibi ut ueritatem suam populo annunciet,ita ut eos qui hactenus a Senioribus Dei uerbum ueritatemq; audire contempsissent,a puero iam audire oporteat. Docebat autem hic puer non quidem ut puer,sed prudenter atq; mature,passim in domibus de Deo & mirificis suis operibus, De Iustitia, Gratia,mansuetudine cæterisq; uirtutibus, ordine elegantissimo Dominicam enarrabat passionem,incipiens a Cœna ad finem usque. Populum qui lectum in quo iacebat,auscultando circunstabat, ad opera pœnitentiæ hortabatur;Diem extremi iudicij in ianuis esse aiebat,quod ex unius stellæ,tribus distinctis inter se radijs

Y ij didicisset.

didicisset. Nam radium quasi sanguinolentum prælia & magnam populi ruinam ac internecionem, alterum quidem album, sæuissimam pestem, quam uix tertia hominum pars, effugere posset præsagire ait. Tertij deniq; radij colorem, nempe flauum exprimebat, sed quod portenderet, tacuit, nec edicere uoluit. At uero licet puer iste quasi cœlesti ac diuino numine imbutus esset, populum docuisse & admonuisse prima ac leui coniectura uideatur, multa tamen perniciosissima dogmata effutiebat, nimirum contra Trinitatis summæ Sanctissimæq; mysterium. Christi quoque Redemptoris nostri meritum, Missæ illibatum sacrificium, Deiparæ Virginis cultum & inuocationem, atq; ita multas alias impietates & blasphemias, ex quibus facile colligi potuit. Diabolum mille artificē per innocentem illum pusionem sub specie Christianæ doctrinæ, populum uoluisse uirulentis dogmatis quasi ipsissimis incantamentis inficere atq; seducere.

Hoc insuper anno magnum bellum inter Henricum Octauū, Angliæ Regem, & Iacobum quintum, Scotiæ Regem exarsit. At Schoti uictoria potiuntur, Angli cum probro & grandi iactura retrocedere compelluntur.

Eodem anno pridie idus Augusti, Saxoniæ Dux Elector e uiuis excessit, ac filium Ioannem Fridericum hæredem reliquit, qui patri demortuo in dignitate & administratione successit.

Hoc ipso anno, quarta Nouembris, Vastum illud Oceanumq; mare, magna ui & copia in Frisiam, Hollandiam, Zelandiam, & Flandriam, erupit, & multos passim diruptis aggeribus demersit agros, & uicos absorpsit, unde prouincijs illis inexplicabile damnum accessit.

Hoc itidem anno Rex Daciæ Christiernus in patriam reuocatus, cum exercitum suum bona fide dimisisset, iterum contra datas literas sigillo munitas, in Castro Sunderburgensi carceribus mancipatur.

Mense quoq; Septembri ingens quidam Cometes ignea cauda, uisus est hebdomadis aliquot ante solis ortum.

EA tempestate Georgius Vuicelius, uir impense doctus, Lutheranismo admodum erat addictus. At ubi ille a priscis Ecclesiæ Doctoribus editas lucubrationes magno cepit studio euoluere, facile animaduertit dogmata Lutheri tum Christi Euangelio, tum uetustis illis patribus, etiam Apostolorum contemporaneis, prorsus repugnare, seque a uero deflexisse. Itaque ad Ecclesiam Christi Catholicam sese recepit. Quod ubi Lutherus didicit, sua efficit opera, ut Vuicelius per uim Vuitebergam adductus, ceu maleficio obnoxius uel hæreticus in turrim conijceretur. Verum ubi Lutherus diligenti adhibita inquisitione, nihil animaduersione dignum potuit in Vuicelio deprehendere, a Magistratu facta illi libera abscedendi facultate, in patriam suam tribus milliaribus a Vuiteberga distantem, sese contulit. Tum uero Lutherum, & qui illius factionis erant, timor incessit, ne Vuicelius, utpote uir præclare eruditus, illorum existimationi detraheret: multaque ab eis in Vuicelium edita sunt scripta plane commenticia ac contumeliosa, & quæ illius famam læderent. Inter hos præcipui fuere Iudocus Cocus, qui se Iustum Ionam scribit, & duo desertores Monachi, alter Langi, alter Aegydij uocabulo. Vuicelius autem, quod in Electoris Saxoniæ ditione ageret, non est ausus calamum stringere in Lutherum, uel eius asseclas, neque aduersum illorum calumnias & sycophantias suum nomen existimationemq; tueri. Quamobrem fugit ille ad illustrem Catholicumque Comitem Hoyerum a Mandsfelt, cepitque aduersariorum calumnias & conuitia egregie a se amoliri (erat enim, ut diximus insigni u ireruditione, Græce ac Hebraice non mediocriter doctus) multaque in Lutheranos conscripsit. Inter alias suas lucubrationes, Apologiam edidit, qua ille luculenter prosequitur, quibus rationibus permotus Sectæ Lutheranæ nuntio remisso, ad Catholicam sese Ecclesiam receperit: cuius nos hic partem non minimam ueritatis studio inseruimus, maxime quod Sleidanus, qui authores pleros que suæ factionis non sine laude commemorat, huius uiri nullam facit mentionem.

Slei[illegible] thor[illegible] lice[illegible] stud[illegible] alios [illegible] more[illegible]

APOLOGIAE VVICELII, CVR idem ipse a Lutheranismo ad Ecclesiam se transtulerit, pars praecipua, ab ipso authore edita Germanice: quam quod doctissima sit, & Lutheranorum studia luculenter prodat, tametsi ab instituto digredi uideamur, hic interserendam putauimus.

Georgius Vuicelius. CVM sit apud omnes in confesso, me reiecta Lutheri factione, ad Ecclesiam Catholicā reuertisse, plerisq; hoc meum institutum non solum admirationi est, sed etiam stomachum mouet haud mediocriter. Quibus etsi ego Latinis literis saepenumero adhuc satisfecerim, adeo ut nonnulli iam Deo laus uacillare incipiant, quando tamen multi daemonum impulsu & agitatione ea re minime contenti, longius progrediuntur, atq; ut suae obsequantur libidini & furori, apud uulgus me linguis plane uipereis traducunt, equidem pro officio mihi facere uideor, si nominis mei existimationem, meamq; innocentiam a patentibus ijsdemq; putentissimis gutturis eorum sepulchris uindicem, quo tandem illi pudefiant, & apud omēs impudentissimi mendacij rei teneantur.

Principio quidem non sic magnopere necesse est meae a Luthero defectionis rationes reddere, quando eas apud sese quilibet cōijcere potest. Attamen in piorum gratiam quasdam obiter commemorabo. Equidem re ipsa comperi factionem hanc non eam Dei esse Ecclesiam, quam nos Catholicam appellamus & credimus, sed schisma quoddam nuper exortum, cuiusmodi a Christo nato uel sexcenta extiterunt.

Catholica Ecclesia sectas oēs edomuit. Deinde factionis huius occasum animaduerti, uti schismata hactenus omnia ad tempus perstiterunt quidem, sed mox fumi & pulueris instar euanuerunt. Contra uero Dei Ecclesia, quam nos & credimus & confitemur Catholicam, semper ex hostibus quibuscunq; triumphum egit, adeo ut in hanc usq; diem aduersus inferorum portas perseueret.

Tertio mecum ipse perpēdi, quis huius factionis author, dux & architectus sit, qui sane Monachus est, certoq; comperi, ut idem ipse solus hanc factionem excitarit, ita etiā solus eam seruet, promoueat & urgeat, ac pro suo unius cerebro faciat & destruat, uertat & peruertat, affirmet & neget, figat & refigat, unus omnia pro

suo

suo arbitratu& libidine,prout ille suo instituto commodissimum, Ecclesiæ uero maxime aduersum esse perspexerit:ut interim taceã, quid illum huc impellat,quidue in his spectet:illud etiam silentio prætercam,quæ huius hæresiarchæ sit morositas,inconstantia & audacia,quam sanguinarius animus,quam exitiale propositum. Sancta illius uita & Euangelica conuersatio toti Germaniæ notissima est,ut etiam pueris iam in ore sit, Monachum Turcicã factionem excitasse. Videamus obsecto,quo hæc tandem euasura sint. Plerisque iam Turcici quam Romani Imperatoris nomen plausibilius uidetur.

Lutheranis Turcici quam Romani Imperatoris nomen plausibilius.

Quarto factionis huius cruentas primitias, insulsa,infrenata, carni plausibilia, improba ac dissoluta cum meo animo reputaui initia,argumenta sane grauissima,ex quo fonte proficiscatur.Crede mihi frater,non ea olim Ecclesiæ Dei exordia fuere: quamquam sub factionis huius initijs eiusmodi nonnulla interdum & uidere & audire contigerit,quæ plerisq; uiris bonis probarentur, ut quæ ad Ecclesiæ repurgationem pertinere uiderentur: sed paulopost res in diuersum abijt, ut facile iam perspici liceat, quis lupus sub ea pelle ouina latuerit.

Quinto,factionis huius duces ac moderatores uulgo admodũ niti animaduerti.Nam tametsi uulgares ac plebeij auaritiæ & uoluptatum nomine quibus suos concionatores Euangelicos uident addictos,nonnihil eos exosos habeant, malunt tamen illis studere &obsequi quam Pontifici:quandoquidem effrænationi,libertate, aut ut ipsi uocant,Eigenvuillischer,id est, maiori sui animi ac uoluntatis libidine,quam sub Pontifice, uiuere ipsis liceat. Maxime tamen illi Principum suorum gladijs nituntur:qui si resilierint, id quod certo sperare licet, credi uix potest, quam etiam illi resilient canentq; palinodiam.

Sexto,factionis huius institutum ab Euangelio plane discrepans mecum perpendens,uideo in illo pleraq; omnia geri e diametro pugnantia cum Euangelio tantopere iactitato ac celebrato, & sub Euangelij prætextu flagitia & probra omnia designari, ut etiã ipsi quiritantur.Vbi fructus gustum aliquem ceperis,poteris de arbore ferre sententiam.Crede mihi,parum aut nihil bonæ frugis habet.Singuli quæ sua sunt quærunt, a summis ad extremos usq; paganos siue rusticos, Ni rapias,nihil habebis. Cõcionatorũ & qs illi

apud

apud se detinent fœminarum uita & actiones omnibus magis perspecta sunt, quam ut de illis quicquam referendum sit. Possit uel cæcus æstimare, ad quem illi scopũ colliment. Ah Deus bone quando sectæ huius infantia tot scatet sordibus, quid ea futurum esset, si incanesceret? Si paucis annis adeo illa cepit ruinam minitari, quid annis mille quingentis accideret? Si quidem diu hoc in statu, quo nunc est, permanserit, tandem ad ethnicismum recidemus, sacraq; diuinaq; omnia paulatim uenient in contemptum: quicquid est in hominibus religionis, quicquid rationi consentaneum, disciplina omnis pessum ibit, eoq; plane res reditura est, ut fœlices ac beatos prædicemus, quos uel ante, uel post sectam hanc nasci contigerit. Non est, ut in præsens commorem, quam seuere præpotens Deus

Fructus noui Euangelij. in hanc ab Ecclesiæ defectionem intra paucos natam annos animaduerterit, idq; Turcicis uictorijs, rusticorum strage, fame inaudita, & incredibili annonæ caritate. nunquam antehac comperto morbo sudorifero, pecorum interitu, incendijs, peste inmanissima, bellis atrocissimis in diuersis regionibus, magna Principum & Ciuitatum dissensione, adeo ut publica Germaniæ pax in nullo unquam maiori discrimine uersata sit: nec ulla præterierit æstas, quæ non bellorum aut seditionum metum attulerit: itemq; insigni hominum perfidia, fallacia, improbitate. adeo ut tantum nõ alij alios uorare uideantur: deniq; intollerandis ijsdemq; perpetuis exactionibus &c. O fructus nimirum acerbos, o tempora calamitosa.

Septimo, quotidiana ego experientia didici, ut factionis huius occasione, charitas in multorum pectoribus refrixerit, omnis erga Deum pietas uel deuotio pessum ierit, cultus diuinus misere conuulsus, euersus, ac in nihilum redactus sit, oratio uel preces uiluerint, ieiunia in ludibrio sint, eleemosynæ, pœnitentiæ studia & sanctimonia omnis, & laude digna castitas, contemptu laborent, deniq; quicquid est bonorum operum & piarum actionum, quod tamen dictu sit miserabile, nullo in pretio sit: porro uirtutum locũ non nisi flagitia & scelera confertim occuparint, ut iam apud plerosq; uitia non sint uitia, probraque & dedecora nunquam maiori fuerint honori & ornamento. Heu miseros, qui hoc nobis Euangelium peperere.

Octauo, uidere mihi uisus sum etiam politias hac rerum mutatione non mediocriter perturbari, quãdo iam uulgus passim magis est indomitum, & ægrius potest in officio cõtineri, ut est omniũ ubiq;

ubiq; Magistratuum communis querimonia:eaq; causa pædagogia pleraq; fere abolita sunt, non sine grandi Christianæ Reip. & politiæ detrimento:id quod & de Gymnasijs, quæ Vniuersitates uocant, dictum uelim, quæ non minus ubiq; iacent & neglectui habentur, quacunq; lues hæc peruagata est, ut interim taceam, quam etiam sine his nulla iuuentuti seuerius instituendæ cura adhibeatur: tametsi suo quodam texendo Catechismo damnum hoc præstare conentur.

Nono, persuadere mihi non potui, factionem hanc ex bono proficisci, quando ea omnia pessum ire patitur, quæ ad pietatem spectare uideantur: ea uero mordicus seruanda statuit, quæ cum uitio coniuncta sint. Ieiunium Quadragesimale profligatum uidemus, at Bacchanalia manent. Peruigilia diuorum nullius pensi habentur, sunt tamen, qui festos illorum dies colant luxus gratia. Quatuor temporum stata ieiunia obliuioni tradita sunt, at D. Martini, Burchardi, Trium Regum, Ioannis &c. comessationes suum ius & consuetudinem obtinere uidemus. Nec iam quisquam ferre potest, ut secus atq; ipsorũ consuetudo habet instituantur: aiunt enim, id pugnare cum Euangelio.

Decimo, sectas alias ex alijs nasci comperi, qui ceu genuinus est Lutherismi color: siquidem Lutheri factio primaria, iam sex uel septem alias excitauit: ecquid uero tandem fore speramus? In dies Prophetæ noui existunt, ex Luthero tamen prognati omnes, cuius ubera omnes illi initio suxere. Atqui quo tandem rudis plebecula sese conferet? Quibus illa uel suffragibitur uel aduersabitur, quando omnes perinde Dei uerbum iactitant? Eheu miserandas illas perpetuasq; uulgi quiritationes, quod nulli ferme perspectum sit, qui tandem, uel ecquid credere uel agere debeat. Quo errore quid possit esse magis erroneum? Væ miseris nobis, si quidẽ res eo in statu permanserit.

Hodie plus 34. sectas Lutherismus cõplectitur.

Vndecimo & animaduertisse & etiamnum aduertere me fateor, quanta animi audacia, temeritate, impotentia atq; fastu, qui factionis huius sunt Doctores omnes quamuis sanctos, tam ueteres quam recentiores, defunctos perinde ac superstites reijciant, nec ullius uelint esse pensi uel authoritatis: atq; cum his una quæuis Concilia generalia, & salutaria piaq; ueteris Ecclesiæ decreta omnia. Sane cuiuis hic liberum esto iudicium, num hæc cum germana Catholicaq; Dei Ecclesia consentiant, id quod huius factionis archi-

tecti perfricta fronte affirmare non dubitant.

Sectariorum inconstantia. Duodecimo certo ego experimento didici, hodieq; disco, uti illi factionem suam mira quadam inconstantia, incertitudine, minimeque solida, sed prorsus humana ratione foueant ac tueantur. Nulla apud eos certa iustaque ordinatio est uel institutio. Quæ hoc anno in pretio sunt, altero penitus iacent. Hodie uisum est illis hoc instituto uiuere, cras aliud magis placet: ut interim sileam, quanta sit inter illos singulis in Ecclesijs discrepantia. Sua cuique inprimis placent. Modo illi quippiam instituunt prorsus, ut ipsi uolunt, Euangelicum, paulopost in nihilum redigitur. Deinde nouum aliquid commiscuntur, & id paulo momento mutabile, cuius deinceps nulla prorsus mentio habetur: atque hoc illi ordine sine finem progrediuntur. Licet illis pro sua authoritate quicquid libet instituere, ordinare, seruare, omittere, &c. Cui enim fas sit illis præscribere? Tulerunt illi e medio humanas leges & constitutiones, quarum in locum diuinas se reposituros pollicentur: sed quā probe id illi præstiterint adhuc, in propatulo est: & si quidem ita perrexerint, plures habebimus nouas hominum constitutiones & ordinationes, quam antehac unquam fuerint. Videre licet, quam grandi numero factionis huius Visitatores noua quædam decreta legesque nouas sine intermissione instituant imponantque, quæ omnia ad eam sunt formam & effigiem condita, ut a ueteribus discrepent, & habeant quippiam peculiare: nam alioqui non essent Euangelica. Quamquam compelluntur uel inuiti plerosque ueteres ritus & consuetudines repetere ac instaurare, quandoquidem aliter non possunt. Nec id populo obscurum est, cui ea causa res non minimum displicet, secumq; murmurant, & iam mire exasperati sunt atque animo confuso & consternato, adeo ut prope nihil obseruent: sicq; interim ad quādam totius diuini cultus incuriam atq; negligentiam dilabuntur. Quid ego dicam? Sapientissimorū hominum constitutiones, leuissimorū homuntionū constitutionibus, ueteresq; probabiles cōsuetudines nouis quibusdā nec unq̄ diuturnis consuetudinibus pmutarunt. Laborant iam penuria sacrificulorum, quos illi ex sacerdotibus laicos reddiderunt: itaq; in suæ factionis ministros, uilissimos quosq; ascisc ūt, si uel legere norint, siue illi sacris initiati sint, siue non, modo uxorē habeant, aut propediem ducturi sint, eaq; defuncta, mox aliam, rursusq; aliam, si & hæc obierit. Qui enim fieri possit, ut qui sine fœmina est, præclarū hoc

hoc Euangelium prædicet? Non hic libet singula speciatim commemorare. Tantum animus aduertatur, ut illi se gerant erga gazophylacium siue arcam templi, quæ reuera potius fœneratoria dicenda est, quam Dei uel Reip. Cœmiteria iam uersa sunt, in eiusmodi loca prophana, ubi cadauera excoriantur: atq; hæc loca mutata sunt in Cœmiteria. Pleraq; pagorum templa in tabernas transiere, &c. Sed hæc alias. Faxit Deus, ut totus tandem orbis apertis agnoscat oculis, quo nos ater cucullus impulerit. Omnia suo loco ac ordine dimota uidemus, ut difficilimum sit ea in integrum restituere. *Arca fœneratoria.* *Cœmiteria.*

Tertiodecimo, perpendi mecum, quam uana & commentitia factionis huius dogmata sint, utq; nihilo minus illa Euangelij titulo mirifice fucarint, & insigni sermonis lepore ac elegantia ornarint, quo tanto propensius simplicium animos sibi deuinciant. Quam uero Lutheranorum dogmata uana sint & a uero aliena, satis iam quorundam opera probatum est & demonstratum, Deoq; uolente luculentius adhuc demonstrabitur. Eheu fœdissimam & cum summi Dei blasphemia coniunctam imposturam. Cui nostrum paucis ante annis hæc uel persuaderi potuissent? Equidem affirmare non dubito, etiamsi huius factionis dogmata ceu uero consentanea iam probata haberemus, tamen illorum architectũ & authorem summe ea reddere omnibus suspecta. Qui tandem, inquis? Primo quidem, quod nullum eorũ patiatur Censorem & Iudicem, ne angelos quidẽ; quo ille satis prodit, nec Cõcilij cuiusuis sententiam sese laturum æquo animo: sed nec disputationem uel inquisitionem aut examen ullum. Porro quisquis ita affectus est, nulli dubium esse potest, quid ille machinetur.

Deinde, quod solus ille sibi scripturas interpretandi sumat prouinciam, nullum possit ferre magistrum, nemini auscultare, nullũ præter se unum alicuius pensi habere: quod nullum ei dogma uel doctrina satis probetur, etiamsi cunctis aspectantibus ex ipso Dei sinu ad nos defferretur, nisi cum illius genio & spiritu consentiat. Quicquid unus ipse docet, transfert, disputat, scribit, id uerum sit oportet, licet Christus ipse diuersum uelit affirmare, uel ut eius utar uerbis, etiamsi totus eo nomine mundus pessum iturus sit, cũ interim locis innumeris a seipso diffideat, planeque pugnantia scribat.

Ad extremũ, quod tam impotenter incurrat in eos omnes, qui

eius nolint dogmata admittere, uel ab illis semel receptis desciscant, perinde acsi orbem uniuersum, ut ipsi uni fidem commodet, cogere prorsus uelit. Quo sese illius non porrigit manus, eo illius sanguinarius se profert calamus, quo ille quoslibet ipsi renitentes facile tollit e medio. Quod utrum deceat Euangelij præconem, penes alios judicium esto. Sane quisquis non plane mentis inops est, nullo aduertit negocio, quam hoc ipso male sibi consulant noui Euangelistæ, utpote quos dogmatum suorum, quæ tam incerta, fragilia, & iamiamque ruitura cernant, pudeat apud eruditos. Per me quidem iam cuiuis integrum sit statuere, Utrum illi uni fides adhibenda sit, qui ipsus nolit ulli fidem adhibere. Atque has ego rationes in præsentiarum commemoratas uelim, ut quæ me præcipue permouerint, ab Lutheri factione ut discederem. Reliquas uisum est in aliud differre tempus.

Porro utcunq; hæc se habeant, non possunt tamen non merito pudefieri hostes mei, si qua in parte mihi derogare uelint, certi nimirum propriæ conscientiæ testimonio, odio & inuidia percitos se mentiri. Itane propterea illi me tantopere conuicijs proscindere, persequi, & modis omnibus traducere debent, quod deinceps factioni illorum nuntium remiserim? Adeo ne id illi ægre ferent? An non licebit cuiquam redire ad iter, ubi se aberrasse cognouerit? Qui lapsus est, fas non habebit exurgere? Qui bene potus fuit, nunquam ne illi ad sanitatem patebit reditus? An potius perpetim ille suum sequetur errorem, semper iacebit, semper ebrius erit? Grates laudesque ago Deo meo, quod non solus ego resipiscam. Namque eius generis hominum, puta qui resipiscant, ditiones omnes plenæ sunt, neque imperitorum modo, sed etiam literatorum, qui factionem hanc penitius explorantes, re ipsa comperere non nisi arenacio fundamento nitentem, atque hoc ipso permoti haud secus ab illa sese proripuere, atque a turba Core, ne pari cum illis pœna plectantur. Nonnulli uacillare incipiunt, quod animaduertant rem quidem longius progredi, sed non in melius: immo persentiant iam inde ab illius exordio nunquam bene habuisse Rempub. sed tempora extitisse pessima, moresque perditos ubiq; gentium ceu noui Euangelij fructus, apud istos uel maxime excreuisse. Sunt & alij, quos factio hæc admodum perplexos reddat, qui tamen euangelistarum suorum stentorijs uocibus & iactabundis concionibus

distinen-

diſtinentur: ut norunt illi uulgus imperitum ſplendida oratione faſcinare, idque adeo ut animas ſuas pignori eſſe uelint, ſi ſecus res habeat atque ipſi tradant. Sed plurimum ego uereor pignoratitias illorum animas iampridem in ius creditorum conceſſiſſe. Pleriſq; iam ab hac factione deſciſcere liberet, ni Magiſtratus eos timor abſterret, qui ſemel male perſuaſus, ſectam hanc tueri ſtatuit. Alios iam factionis huius pertædet, quando nihil in ea integrum eſt, neque pellis, neq; pili, nec ullo nititur fundamento. At hi lupum auribus tenent, dum animo dubij ſunt, quo ſe uertere debeāt, eo quod Catholicæ Eccleſiæ ſordes necdum repurgatæ ſint, &c.

Quod autem ad me attinet, equidem illis affirmo, ſi quis ex eorum numero ſolida ratione certum me poſſit efficere, ea quæ ipſi moliuntur Deo authore fieri, & eſſe cum ueritate coniuncta, re-ctius me mecum deliberaturum. At illi nunquam hoc efficient, Secta nulla poteſt eſſe Ecclesia Christi. nunquam efficere ualebunt. Non enim poteſt Secta ulla unquam ſibi Eccleſiæ Catholicæ nomen iure meritoque uendicare: etiamſi longe illa pulchrior ſit habitu quam Eccleſia, fruſtra tamen id quiſquam attentauerit. Secta non eſt aliud quam Secta, idq; illi nominis permanere neceſſe eſt, ut ſimia ſemper manet ſui ſimilis, quam tu uis Sectam fucare, ornare laudibus, atque tueri quis moliatur. Priſcis temporibus pleræque extitere factiones, quæ eam præ ſe ferrent ſanctimoniam ac integritatem, ut harum comparatione Secta Lutherana fœtere cenſenda ſit, prorſusque indigna, quæ matulam illis porrigat: at nihilo minus Sectarum illis nomen hodieque permanet. Cum autem illæ graſſarentur, Eccleſia magno perſtitit animo, donec in nihilum redigerentur, ſicut etiam huius præſtolatur occaſum, qua penitus extincta, nihilo illa minus perdurabit.

Atqui ut Laici penitius perſpectum habeant, Sectæ uocabulum quid ſignificet, eorum gratia libet hic nonnihil expatiari. In ipſis Chriſtianæ religionis initijs cum ea per orbem uniuerſum longe lateq; propagaretur, ita ut paſſim omni ex parte Eccleſiæ quædam per Dei uerbum exiſterent, id eſt, ubique oppidani & pagani fidem amplecterentur, atq; per baptiſmum coniuncti, corpus unū & anima una efficerentur, eo animi propoſito ut Dño Seruatori ſuo ſeruirent ex animo in iuſtitia & ſanctitate corā ipſo, omnibus diebus uitæ ſuæ, malignus dæmon inuidens hoībus ſalutē a Deo oblatam,

 in eā

in eam curam & cogitationem totus incubuit, ut suis quibusdam machinationibus Ecclesiam, id est, corpus illud credētium in Christi fide adunatum distraheret ac dissiparet. Primo igitur quandam ille Christianis caliginē offudit, ut illi suæ fidei magistros & doctores alios alijs anteferrent, & qui Petrum auscultabant, Pauli discipulis se putarent meliores, atq; ita ediuerso. Ex hac tenui animi elatione, inter primos illos nostræ religionis professores maior indies gliscebat simultas & dissensio, adeo ut Paulus tandem in eos calamum stringere compelleretur, ut est uidere 1. Corinth. 1.2.3.4. cap. Non enim eo tantum res illa spectare uidebatur, ut Christiani inter se disscinderentur, sed etiam ut Euangelium nascens ueniret in contemptum. Interim tamen nec sic quidem malum hoc consopitum est, sed paulopost extitere inter Christianos, qui noua ferrent dogmata, ab Apostolis ipsis nunquam tradita, ijque quosdam sibi discipulos adiungentes, promittebāt se præclarius quiddam etiam apostolis ipsis præstituros: atq; ea ratione a Christianorum cætu sese abiungebant. Id uero Græci Schisma uocant, id est, scissuram uel diuisionem, ut cum solidi quippiam scinditur aut laceratur &c. qua dictione Paulus quoque Corinthiorum taxat morositatem, quod eum in modum illi inter se disscinderētur, dum alius se Petri, alius Pauli, alius Apollo discipulum assereret, ut nostra tempestate alij Lutheri, alij Zvuinglij, plerique Balthasaris partes sequuntur: idq; non nisi Christi & Euangelij prætextu. Latini scissuram, dissidium &c. appellant, Augustinus plerumq; præcisionem.

Deinde aliud eiusmodi scissionibus nomen obtigit, ut Græce hæreses dicantur, Latine sectæ: qua uoce itidem Apostolus non semel usus est, itemque Lucas: potestque Germanis idem esse, ac si quis obstinato secum animo deliberet, quippiam noui cōminisci, præter ea quæ hactenus sint recepta & usitata, moxque ea quæ e suo finxit cerebro iactabundus proferat, damnet ea omnia, quæ ipse neque dicat, neque faciat, sua duntaxat prædicet, quosdam sibi asseclas conciliet perinde ut magnes ferrum ad se adducit, peculiarem quandam sibi excitet Ecclesiam, dogma quoque peregrinum, peculiares cerimonias, nullique usitata instituta & actiones &c. *Hæreticus quis.* Huius farinæ quotquot sunt, hæretici dicuntur, eorumque instituta, sectæ uocantur, eo quod sponte sua a prima illa magnaque Ecclesia,

perin-

perinde ac si illa eis non satis idonea uisa sit, ob sua illa recens conficta instituta sese praeciderint.

Primae quidem illae sectae, quae Ecclesiam perturbatione sciderunt, fuere Hymenaeorum, Cherinthiorum, Ebionitarum, Nazaraeorum, Nicolaitarum, Basiliadenorum, Carparanitaneorum, Saturnianeorum, Chiliiastarum, Valentianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, Catanitaerorum, Encranitarum, Appellitarum, Montanistarum, Phonianistorum, Antemoniterorum, &c. quarũ singulae suas asserebant opiniones, nec ulla cum alijs omni ex parte consentiebat, quod singulae sibi persuasum haberent apud ipsas esse Catholicam Christi Ecclesiam, caeteras repudiarent. Interim tamen summa in hoc unum consensione illi cõspirabant, ut communibus coniunctisq; armis Ecclesiam Catholicam infestarent, quam tamen singulae priuatim pro uiribus extirpare, sibiq; illius nomen uendicare moliebantur. Quod quidem ut illis cesserit, Chronica satis commemorant. Ecclesia certe, cum tanta importunitate a sectis alijs post alias, uel etiam a pluribus simul impeteretur, molestias quasdam non potuit non perpeti, at ea succubuit nunq̃, sed ad nos usq; semper ex cunctis hostibus praeclaros egit triumphos.

Subinde aliae quaedam Sectae prodiere, quae etsi suas nihilo secius uires in Ecclesia oppugnanda periclitarentur, tamen omnes extinctae sunt: puta, Sabellianorum, Valesianorum, Samosatenorum, Manichaeorum, aliorumque plurium &c. Quamlibet grandi illae essent numero, tamẽ aeque ut priores, salua & incolumi permanente Ecclesia, cum ignominia abscesserunt. Post has sensit Ecclesia Dei incursiones Nestorianorum, Acephalitarum, Euchitarum, Seleutianorum, Heluidianorum, Anthropomorphitarum, Monothelitarum, Agapetarum, Sabbathianorum, Luciferianorum, Iouinianorum, Donationorum, Pelagianorum, Praedestinatorum, &c. at neque his cessit aut succubuit, tametsi grauem tunc fecit iacturam animarum: siquidem nunquam haereses absque illius damno irreparabili extitere. Foelices sane illos, quos Deus in sua Ciuitate seruauit illaesos, atque in finem usq; ut perseuerarent, praestitit.

Deniq; ut ad purum Ecclesia excoqueretur, insuper alias pertulit oppugnationes, nempe Lamperianorum, Dukinianorum, Albigensium, Albanensium, Beggardorũ, Thurelupinorũ, Thaboritarũ,

Orebitarum,Fœlicianorum, Aerianorum,Flagellantium, Colalde rorum,Vualdensium,Picardorum, Vuidephitarum,&c. Horum etsi nonnulli minus quam superiores exitiosa proferrent, atq; Ecclesia,quod a pluribus annis quasdam labes contraxisset,sectis plerisq; ansam præberet, non tamen illas, propterea quisquam iure probauerit.Non enim propter abusus quosdam Ecclesiæ est unitas perturbanda ac dissipanda,quemadmodum Cyprianus & Augustinus luculenter tradunt. Iis uero, quas postremo commemorauimus, sectis Lutheranam quoq; cum eius progenie ubi annumeraueris,quid de ea sentiendum sit, intelliges, Profert nanq; etiam illa interdum boni quippiam,atq; ediuerso non omnino sine uitijs est Ecclesia: at nec sic quidem ea re id effici uel confici potest, sectam hanc esse Ecclesiam,& Ecclesiam sectæ,uel nidi satanæ, ut blasphemat Lutherus,loco habēdam.Id autem certissimum est, quicquid Lutheri factio eiusmodi in uulgus spargit, quod in bonis & frugiferis sit numerandum,hoc plane illius nō esse,sed Ecclesiæ: contraque quicquid in Ecclesia mali ac infrugiferi uersatur, actitatur & traditur, non id germanæ ac ueræ esse Ecclesiæ, sed per quosdam auaritiæ ac luxui deditos paulatim in eam illatum ac introductum, cui tamen absq; animarum detrimento facile possit medicina adhiberi.Habes iam paucis,quid Secta sit& uocetur, nec dubites uera me dixisse.

Quando igitur Lutheri factio sectis memoratis non absimilis est,non possumus salua ueritate,& coram Deo secus illam appellare.Est enim sectis alijs uel in hoc similima, quod Ecclesiam, quam nos Catholicam credimus & confitemur, absq; ulla intermissione acerrime & infestissime appugnat. Quod uero iam etiam regiones & urbes,immo & principes in suam pertraxit sententiam, clarum est plerasq; ex ante dictis idem fecisse.Habet illa uiros doctos, habuere & aliæ, Vulgus sibi habet addictissimum, nec minus aliæ, præsertim quæ tantopere carnis fouerent libertatem. Quod illa scripturas mire prædicat, non potest id quidem reprehendi,sed id plane in uitio est,quod sua scripta diuinæ scripturæ nomine uenditat & obtruditur.Atqui idem fuit & apud sectas superiores.Qua enim alia ratione homines imperiti ac miseri in nostrā possent sententiam pertrahi ac permoueri? Deniq; quod diu illa incolumis persistit,nihil nos mouere debet,quando etiam alias certum est longe diuitius permansisse.Vt ut igitur uerses in omnē partem,ita esse, ut dicis

ut dicimus, comperies. Sed ut meis perinde ut cœpi æmulis pergam satisfacere, libet ex illis percontari: Ecquid uos mea offendit resipiscentia? Quid tandem uobis sumitis? Num Apostolos uos esse putatis? Num Euangelistas? Num Prophetas? Tales quidem & dici & haberi uos uultis. Ecquid uero facta uestra testantur? ecqd scripta loquuntur? ecquid alij de uobis sentiunt? An uero fides illi certa habenda est, quod uos id asseratis? Siquidem a Deo missi uos estis, cur & facitis & docetis præter & contra ea, quæ priores illi & fecisse & docuisse noscuntur, quos dubium non est a Deo missos fuisse? Alterum igitur e duobus uerum fit oportet, aut priores illas Ecclesiæ columnas diuinitus missas nō fuisse, aut uos potius. Quid igitur? Certe priores illi quod a Deo missi essent, miraculis, sanguinis sui profusione, & uita sanctissima declararunt. Vos autem qua id ratione testatum de uobis reddidistis? Ipsi iam intelligitis, quam hic possem corniculam alienis nudare plumis, si conuiciari uirtutis esset. Aio itaq;: Aut male feci, aut bene a Luthero desciscendo. Non potestis id negare. Si ergo recte egi, Lutherus cum tota sua factione iaceat oportet. Sin autem male feci, Christus cum uniuersa Ecclesia sua, cuius ego membrum sum, perierit necesse est. Decet enim, ut cum Ecclesia & intra Ecclesiam semper ego esse uelim, utpote quam Christus per suos apostolos & eorum successores fundarit & exædificarit. Est ergo etiam hoc prorsus indubitatum, nullam aliam neq; esse, neq; posse esse Ecclesiam, quam quæ ad nos usq; per orthodoxæ catholicæq; fidei synceros professores ordine perducta est ac propagata: qua de re inferius plura dicentur.

Libet uobiscum latius agere. Equidem uelim edoceri a uobis, ecquid agere debeam. Num sentire uobiscum? Id uos proculdubio ut uelim hortabimini. Atqui ecce diuersum hortatur soror uestra factio Zvuingliana, dicens me si sic agam errare perdite, bonaque fide admonet, ne uobis auscultem. Itemq; alia ex parte germana uestra, Balthasaris sectam dico, mortales omnes quouis Antichristo deterius in errorem mittere uos asseuerat, iubetq; ne uobis fidem accommodem. His accedit, ut fertur, soror uestra, Campani factio, & cuiusdā Hispani, quæ uos erroris coarguit, aitq; scripturarum esse imperitos &c. Nec quicquam apud me dubij habet, si hodieq; Ioannes Hus esset in humanis, nec illum quidem uobis assensurum, quatenus ex eius mihi scriptis collegisse uideor, utriusq; duntaxat speciei usurpatione, & Cleri ꝓfligatione excepta. Præter

a hos

Sectæ omnes Romanā impugnarunt Ecclesiam.

hos omnes neq; Valdenses, neq; Picardi uobis fauent, sed potius aduersi sunt, cum tamen etiam illi non infimo inter Christianos loco haberi uelint. Interim tamen factiones eæ omnes, quas iam memorauimus, in hoc unum summa consensione conspirant, ut iunctis uiribus Romanam Ecclesiam impugnent.

Quid igitur mihi faciendum est? Vnaquælibet secta ut ipsi subscribam me inuitat, uitamq; pollicetur, aitq; Christum cum Euangelio nō nisi apud ipsam uersari. Quod si cuilibet ex his assentiri uelim, uos me plane execrabimini. Sin ad uos recipere me malim, quotquot illarum sunt partium longe me maiori exeratìoni habebunt. Nouistis uos concionari, norunt & illi. Scripta diuina pro uestro cerebro interpretari uos nostis, illi nihilo minus pro suo iudicio. Flagratis uos uulgi gratia, quod uos perinde ut Dei angelos laudibus uehat, uobisq; pertinaciter adhæresćat: possunt idem etiā illi sibi uendicare. Estis uos artibus & linguarum cognitione instructi, at ex illis pleriq; hac in parte uos excellunt. Estis uos probi & integri scilicet, ut est omnibus in prospectu, at illi probitate & mānsuetudine longe uos superāt. Vos quidē persecutionē patimini, at tum demū cū manus mouere non potestis: ex illis pleriq; & plura & moderatius atq; uos perferuntur: atq; ita de reliquis dici possit, ut uel tandem agnoscatis, si comparatione utendum sit, non nisi infimo uos loco collocatum iri, quantumuis insolentes uos efferatis.

Iam uero quando inter tot ego huius æui sectas positus sum, singulæq; me sibi adiungere nituntur, nec tamen ulla ex eis satis sibi constat, tantum abest, ut me possit certū securumq; efficere, immo etiam inter se digladiantur, adeo ut aliæ alias infestis insectentur manibus, & in carceres coniiciant, &c. neque ego sane, neque quisquam alius rectius sibi potest consulere, quam ut primariam matrem & Ecclesiam hæreditaria ad nos successione deuolutam inquiramus, ad eam nos recipiamus, cum ea nos conciliemus, sectasque factiosas mutuis sese morsibus & ictibus conficere sinamus. Si enim id eis dolebit, cessabunt proculdubio. Certum adeo est, quisquis in illorum castris manet, illum fluctuare semper, nec ulla gaudere pace conscientiæ. Porro quicunque sectæ alicui sese permittit, ille deinceps sui iuris non est, & modo hanc, modo illam se sibi uendicare permittit.

Longe igit̃ satius est inter Ecclesiæ extrema mancipia numerari, quando

quandoquidem in ea duntaxat certum licet esse & securum, in ea sola uita est & bona cōscientia, salusq; perennis. Faxit Deus, ut hæc singuli cum animis suis serio reputare uelint.

Est tamen & aliud, quod me mouet: Vos quidem, quotquot estis Lutheranæ factionis, id plane exigitis, ut dogmata uestra duntaxat, nec ulla alia pro Catholicis probeq; Christianis habeā. Num uos id inficias ire potestis? Atqui minime uos latet, quis uestræ factionis author sit, nempe Lutherus: uir certe eo animo, qui affectibus mire seruiat, & paulo momento hac atq; illac impellatur. Quod si ille tam præclarus uestrorum dogmatum architectus & signifer quandoq; resipiscat & canat palinodiam, quid ego uestra secutus dogmata frontis habiturus sum? quo me uertam? Quicquid in hominem cadere potest, illi quoq; metuendum est: uti ne dicam, ausum illum esse quandoq; mandare literis, quæcunq; annis aliquot superioribus docuisset, ea ut pro irritis haberentur. Vbi uero illos iam degere existimandum est, qui priora illa eius dogmata amplexi, ante quam hæc scriberet, uitam cum morte commutarunt? Anne fieri poterit, ut rursus quippiam eiusmodi designet, hac præcipue tempestate, quando reipsa experitur, quo in præcipitio res illius uersetur? Crede mihi, ubi eo loci res reciderit, ut prouinciæ populiq; in præsens discrimen uenturæ sint plurimū ille mitescet, ut iam annis quatuor compertum est, quod tamen de illo uix quisquam sibi antea persuaderi passus esset. Ecquid tum mihi actitandum erit? Adeo ille gulæ & ueneri deditus est, ut spiritui illius fides tuto adhiberi non possit. O nimium nos deliros, qui animas nostras illis hactenus crediderimus, qui nunc demum plus satis prodant, quid hucusq; spectarint. At dicet fortassis quispiam: Quid mea inter est, cuiusmodi Lutherus sit? Nos Dei uerbo fidem commodamus. Sit illi paucis responsum: Eius generis strophas perplures didicisse me memini. At longe aliter se res habet. Non uos ea estis audacia, ut fidenter dicatis esse hoc uel illud Dei uerbum, nisi certo uobis constaret Lutherum ita tradidisse: uti nec ediuerso affirmare ausi estis, Lutherum Dei uerbum semper & ubiq; docere. An uero mentior? Da ergo Lutheri Germanum sectatorem, qui Dei & Lutheri uerbum ex animo diuersum asserat. At si ab aduersarijs urgeantur, in eas confugiunt latebras, ut Lutherū abnegent.

O bene fidos discipulos. Equidem certo noui bonos homines adeo illi cucullo esse addictos, ut si qua ille magis absurda uelit

comminisci,libenter illi fidem sint habituri: quando semel eis persuasum est Lutherū ipsum esse Eliam, nec facile posse allucinari, &c. immo si secus atq; ille uel mutire ausi sint, id impietatis loco habēt: nec eius priuata duntaxat dogmata, sed etiam actiones, gestus, corporis cultum, tantum non plus nimio dicturus eram, sibi imitanda statuerunt: atq; si quis uel in una ab illo sententia discrepet, facile ille sibi ignominiæ notam contraxerit. Et tamen nō pudet istos dicere, Quid Lutherus nostra interest? nos a Dei uerbo stamus. Sed tu illos mox perconteris: Num Lutherus Dei uerbum non tradit? Si aliud ille docet, cur uos illi creditis? Sin autem docet ille uerbū Dei, cur nihil ille uestra interest? Verum frontem isti perfricuere, aiunt & negant pro suo arbitratu, & ut res postulare uidetur.

Est tamen adhuc aliud, quod uobiscum conferam. Iubetis me in uestram ire sententiam. Age igitur, quibus tandem e uobis me uultis subscribere, quādo etiam inter uos dissecti estis? Quam ego prouinciam uel oppidū, uestræ factionis adibo? Ponamus me iam in eiusmodi aliqua uersari urbe, quæ multas complectatur Lutheranæ factionis paræcias. Cui tandem ex his uultis ut me adiungam, cum inter illas nulla sit, quæ cum alia plane consentiat, & singulæ suos concionatores præ aliis prædicent? Non enim potest uocari in dubium, creberrime id apud illos usuuenire, ut quod alius pro cōcione dicat, alii non placeat, immo ab alio publicitus ac priuatim damnetur, ut id tacitus præteream, quam illi dispates habeant ritus & ceremonias: quo tamen ipso id apud uulgus efficiunt imperitū, quæ est apud omnes iam usitata querimonia, ut plerique animo sint confuso ac perplexo misere: quamquā idem omnibus scopus propositus est, tametsi perniciosissimis sint erroribus implicati, in eumque conatus suos omnes dirigunt, uti solent eius generis homines factionibus addicti.

Itaq; uel manibus uos iam palpare potestis, si uidere non libet, nō me duntaxat, sed quemlibet etiam alium iure meritoq;, immo & consulto, uestræ huic impuræ ac perniciosæ factioni nuntium remittere, eoq; se iam reuocare, unde ille simplici animo uestris persuasus uerborum lenociniis se meminit excidisse.

Nec potestis sane uitio id mihi uertere, uti nec illud quidem ulli omnino, si quis ab amentia redeat ad sanitatem, aut si improbus propudiata improbitate, deinceps probi frugique hominis officio fungi uelit. Labi nō habet ignominiam, sed nolle resurgere. Vobis certe

certe id & probro & uitio uertendum est, quod in impia & impura hac secta plane iacetis ac uolutamini, maledictis & cōuicijs proscinditis unicam illam Ecclesiam, in qua uos & baptismi gratiam & Dei notitiam estis consecuti, contemptui & execrationi nec alio quam hæreticorum loco habetis, atq; etiam misere diuexatis eos omnes, qui uobiscum nolint currere, solos uos Christianos ducitis, atq; eo ipso reliquos omnes & uiuos & defunctos flammis tartareis adiudicatis. Apud uos quidē mihi resipuisse magnæ est ignominiæ & dedecori, nec cum minimo uitæ discrimine cōiunctum: præterea uero apud nullos uiros bonos. Atqui ut uestra uobis pertinacia pœnitere nesciens & temporariæ in hac uita inurit notam ignominiæ, probrumq; infert in futura uita suppliciumq; sempiternum coram Deo cunctisq; tum angelis, tum sanctis: ita mea mihi resipiscentia honorē conciliat & gaudium apud pios omnes, hic quidem temporarium, illic uero apud Deum, diuosq; & angelos & creaturas omnes sempiternum.

Sed nec inconstantiæ, multoq; minus leuitatis arguere potestis, quod me ad Ecclesiam receperim, nisi dedita opera mendacio uos obstringere uelitis. Quis enim Iudæum damnet inconstantiæ, si relicto Iudaismo Christi fidem amplectatur? Equidem plus satis tum & inconstantiæ & leuitatis uitio laborabam, cum ab Ecclesia ad sectam deficerem, in qua uos etiamnum ceu in nido quodam permanetis, donec tandem Ziskam nobis excudatis: quamquam hac in parte nonnihil mea me excusat adolescentia: cui accedit, quod ad id temporis nullum unquam Ecclesiæ doctorē uel inspexissem, tantum abest ut legissem: unde facile poteram in errorem induci, licet etiam trito illi apud Germanos prouerbio locus suus fortassis non defuerit, Libenter saltanti quemlibet sufficere tibicibem. Porro si putatis uos firmos esse atq; constantes, etiam Mahometistæ cōstantes putandi sunt, quandoquidem semel receptum dogma tam mordicus retinere non dubitant. At eam a me constantiam Deus prohibeat, quæ obstinatio potius & peruicacia uel pertinacia dicenda est.

Quod uero Euangelij me strenuū quandoq; ꝓpugnatorē fuisse dicitis, quæso respondete mihi, Cuius tandē Euangelij? Christi ne an Lutheri? Fateor me dogma uestrū non alio q̄ Euangelij loco assiduo prosecutū, sed hoc ipso Dei Ecclesiam esse persecutū: quod tamē quia ignorans feci, tanto maiorē Dei misericordiā consecutus sum.

Vuicelius persecutus est Ecclesiam, sed imprudens.

a iij Et

Et quamuis negare non possim, quin ita se res habeat, eo tamen in hanc usq; diem fruor conscientiæ meæ testimonio, me certe pro mea uirili uoluisse semper quod rectum esset agere, & Christianæ religioni quam maxime ut consuleretur optauisse: adeoq; Deus ac Dominus meus eam mihi semper mentem adspirauit, ut nunq̄ in res impias & a recta ratione discrepantes ex animo consenserim, quatenus quidem eas posse potui. Itaq; quicquid hac in parte a me gestum est, equidem pro meo captu & quatenus potui intelligentia consequi, ita mihi contingat propitium habere Deum, in Christianæ Reip. gratiam & commodum gestum est in Hassia, Turingia, Saxonia, idque maximo studio, multis uigilijs & cura ingenti, ut haud difficile testabuntur quotquot me nouerunt, & pleraq; lucubrationes meæ. Possum etiam certo affirmare, mature admodum quendam huius sectæ gustum diuinitus mihi oblatū, adeo ut animus meus iam a plerisq; eius placitis abhorreret. Namq; & ante illā rusticorum stragem quorundā mihi conatus minime probabantur, ut hodieq; quædam mea autographa possunt esse documento. Multa uidebantur mala impendere: at tamen quod res ipsa per se ipsam meo adlubesceret stomacho, audacter eā tueri conatus sum, nec modo contra Ecclesiam, sed etiam aduersus Andream Carlostadium & Thomam Muntzerum, qui ea tempestate sectam hanc iam dissectam latius propagarent, donec tandem alterū mihi Deus aperuit oculum, ut quanto exactius quæq; pensitarem, tanto mihi illa factio minus arrideret. Iam tum enim sentire cœpi, quod illa non nisi carnem resiperet. Ita factum est, ut illa mihi indies magis magisq; puteret: nec tamen committere potui, quin in ea persisterem, quod me coniugij cuiusdam nexibus implicasse uideretur.

Deinde uero Deus utrunq; mihi patefecit oculum, squamasque Saulinas abstergens, & uelamen a corde meo submouens, e Lutheri synagoga me eduxit: atq; tum demum qualis ea esset mihi declarauit. Cum enim illi ego addictus essem, non tam ea mihi potuit esse perspecta, ut nunc est, quando illi nuntium remisi. Interim tamen laudes gratesq; ago Deo meo. Si quis me authore euersus est, equidem doleo plurimum, precorq; & obsecro Deum pro illis omnibus, quos ego tum institui, ut suo ille sarciat spiritu in cordibus omnium & singulorū, si quid plus minusq; uel docui ipse uel præstiti. Siquidem parochiani illi mei ueræ sunt oues, merito debent suum sequi pastorem iam resipiscētem, quem errantē secutæ sunt.

Atq;

Atq; ea causa meus ad omnes sermo est, si quis me sectarium secutus est, ut idem ille me iam quoq; Catholicum imitetur. Si cui id non placet, suo ille arbitrio pereat licet: equidem eius perditionis & apud Deum & apud Imperatorem immunis ero.

At nec id quidem absq; ueritatis iniuria dicere uos potestis, tametsi id ex uestris quidam asseuerent, me donis quibusdā aut eximijs ꝑmissis adductū uos deseruisse. Ea nanq; munera uel promissa hactenus mihi incognita sunt. Præstaret sane uos tam esse munerum expertes atq; ego sum. Id sane negare non possum me reditus annuos non contemnendos una cum ipsa Secta reiecisse, nec id tamen, teste Deo, cuiusquam ope uel pollicitatione fretum: uti ne dicam, me iam, laus superis, sic satis esse nudatum omnibus, nec habere reditus uel prouentus ullos. Quod si me facultatum & honorum ambitio tenuisset, equidem apud uos permansissem. Atqui ego paradisum cum frugum exuperantium horreo cōmutare nolui: nec eius me quādoq; pœnituit. Ita enim mihi iam persuasi, qui hæreticum alat, eum & posse & uelle Catholicum alere, quāuis non eadem ratione.

Quod si quis dicere uelit me Cæsaris metu adactum a uobis recessisse, tāquam qui crucem subterfugiam, illi ego contra asseuero, me hanc factionem diuini iudicij formidine adactum a me abiecisse, cum non essem nescius, quam ille disertores omnes & in præsenti & futuro seculo male sit habiturus. Crucem equidem ea ratione subterfugi, uti nunc demum, laus superis, eam mihi & inuenisse & in meos leuasse humeros uideat, &c. Et hactenus quidē dicta sint, quamobrem Vuicelius a Lutheri factione desciuerit. Atqui idem ipse in illa sua Apologia, quænam sit Catholica Christi Ecclesia, ad quam ille sibi redeundum statuerit, explanans, inter alia multa, hæc quoq; adducit: Ecclesia non nisi una est, quemadmodum Christus eius uerus sponsus & caput nō nisi unus est. Est illa ciuitas Dei, uerum templum & tabernaculum Dei, mons Sion, uinea electa, hortus cōclusus, oliua fructifera, & folijs & amœnitate gratissima, quam Deus ipse fundauit, & ædificauit super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Reliqui lapides uiui sunt germane Christiani, ab ipso inde Abel iusto usq; ad extremum credentium, qui simul omnes domū quandam spiritalem, immo & corpus unum efficiunt, cui nec ipsæ inferorum portæ possint præualere. Ephes.2. Matth.16.

Huius

Huius uero spiritalis domus structuram iaminde a mundi exordio molitus est Deus, maximeq; a sua incarnatione, quãdo Apostolos in orbem misit uniuersum, qui Euangelium prædicarent: quo tempore primum ædificata est Ierosolymis, Antiochiæ & Romæ, ceu locis orbis primarijs.

Quando autem Ecclesia, Romæ potissimum Deo id efficiente præualuit, atq; in ea urbe præ cæteris & plures & constantiores extitere Christiani, præcipue uero quod in ea Dius Petrus Apostolus postremo sederit, & post eum tot sanctissimi pontifices, tum etiam quod ea esset mundi caput & domina, inde adeo accidit, ut ab urbe Ecclesia cognomen acceperit, dicta Ecclesia Romana, uti dicta est Ecclesia Ierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, Lugdunensis: non quod eæ urbes Ecclesiam condiderint, effinxerint aut illi dominatæ sint: sed quod illis in locis Deus eam peculiariter fundarit, extruxerit, & ornarit: est eius nanq; alioqui origo longe celsior & præclarior, quam ut a terrenis urbibus nomen accipiat. Interim tamen ab eiusmodi illustribus locis appellanda uenit, ut unde prima ab origine in terris profecta sit, possit haberi exploratum. Alias quando e cœlis uenit, & Christum habet Dominũ, sedentem a dextris Dei, terrenæ appellationes omnes longe infra eius sunt dignitatem.

Ita ergo Christi Ecclesiam non absurde Romanam Ecclesiam uocamus, utpote sub qua uel intra quam nos in hac orbis parte degimus, & speciatim quidẽ, quod per Bonifacium & Kilianum ab ecclesia Romana missos ab ethnicismo, in quo nati & educati eramus, ad Christi religionem primum traducti sumus: tum eo quoq; nomine, quod Romano paremus imperio, in propheticis apostolicisq; literis confirmato. Deniq; ob eam quæ Romæ est spiritalem uel ecclesiasticam monarchiam. Orientales poterant Christi Ecclesiam, quod in ea orbis parte morarentur, & Apostoli itemq; apostolici uiri illic suas habuissent sedes, Antiochenam uel Alexandrinã cognominare: quod ea quoq; causa fieri potuisset, quod interdum diuersos ab Ecclesia Romana ritus & consuetudines colerent, tametsi eadem dogmata ac indissimilem fidem, pro eo atq; par est, retinerent. Ita fit, ut Christi Ecclesiam apud Græcos Græcam uocitemus, uti e diuerso nostra plerunq; Latina dicitur, cum tamen reuera non nisi una sit Ecclesia. Neq; enim diuersæ eiuscemodi appellationes quicquam eius unitati derogant. Audi hac de re D. Hieronymi

nymi

nymi ad Euagrium sententiam: Nec altera, inquit, Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis. Audi & Irenæi: Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen uirtus traditionis una & eadem est. Et neq; hæ, quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hiberis sunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Aegypto, neq; hæ quæ in Libya, neq; hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ. Irenæus lib. 1. Cap. 3.

Eam ob rem Catholicæ nomen obtinuit, puta quod quaquauersum sese porrigat ab ortu solis ad occasum usq;, in totum orbē, in quæuis tempora, mortalesq; omnes tam qui procul quā qui prope sunt, senes & iuuenes, quotquot modo spiritus, & fidei atq; doctrinæ & uitæ unitatem retinent, complectatur. Dicitur autem & Apostolica, quod duodecim Apostolorum studio primum plantata, atq; eorum prædicatione irrigata sit, ut insignis palmæ instar excresceret.

Huius Ecclesiæ uiuum membrum me confiteor, neq; ullius alterius, uti nec ulla alia esse potest, sicut nec aliud Euangelium, præterquam quod Ecclesia ab apostolis accepit, & iam ann is plus mille quingentis retinuit.

Ecquid habes æmule, quod in his reprehendendum putes? Primo quidem non tibi placet, ut Romanam uel Catholicam Ecclesiam appellem. Hæ namq; uoces tuum haud secus animum atq; claui oculos pungunt. Ecquur tandem uos non pudet Vuitebergensem nuncupare ecclesiam, quæ tamen nulla est? Romanæ nomē expungere, & uestræ substituere? quemadmodum etiam in symbolo fidei non uos dubitastis Catholicæ Ecclesiæ nomen eradere, & Christianæ in eius locum subrogare. Quoties Romanæ Ecclesiæ apud uos mentio fit, eam uos conspuitis: at ubi Vuittebergensis profertur, scilicet in cœlis rident angeli. Anne uera sunt, quæ dicimus?

Quod si quidem cuiquam de uestro grege dicere uisum sit, ecclesiam uestram esse Catholicam, nō tamen quisquam illi aut uelit, aut possit adhibere fidem, quandoquidem scripta diuina, & cum his Cyprianus & Augustinus aliter sentiunt, ut etiam ipsa uocis interpretatio plane diuersum testatur. Itaq; si prorsus stupidi sint omnes,

angulo uestro Catholicæ Ecclesiæ uocabulum tribuent. Nam si uester iste angulus Catholicæ Ecclesiæ nomẽ sibi iure uendicat, prior Ecclesia nulla sit oportet, cum altera ab altera plane discrepet. Iam si prior Ecclesia nulla est, certa ratione sit consequens, Christianitatem intra paucos annos iam demum cœpisse, & omnes nos hactenus ethnicos fuisse, donec Lutherus prodiret.

Ego uero ita sentio ueterẽ Ecclesiã, quæ iam annis mille quingentis perdurauit, solam esse unicam illam Catholicam, apostolicã, Christianam & authenticam Ecclesiam, nec posse fieri, ut sit quæuis alia, uti nec Christus alius esse potest. Hæretici quidem omnes suas priuatas ecclesias (sectas intellige) aliquandiu habuere, idq; ad ueræ Ecclesiæ confirmationem & declarationem: at nulli ex eis Catholicam sibi Ecclesiam uendicare potuerunt. Et qua tandem id illi ratione potuissent, quando ab Catholica Ecclesia ceu perfidi defecere? Lutherus sane & ipse suam sibi erexit ecclesiam (efficiunt enim & uespe suos sibi fauos apium instar) quamdiu uisum erit præpotenti Deo id permittere, sed obex illi obiectus est, puta Catholicæ uocabulum, ut ille absq; conscientiæ iniuria germanæ & unicæ Ecclesiæ nomen sibi non sit ausus usurpare. Vtitur quidem & ille scri-
2.Pet 2. pturis, sed nihil illis efficit. Obsistit enim illi Diuus Petrus, quemadmodum asina Balaam in itinere, dicens: Omnis prophetia propria interpretatione non fit, tanquam diceret: Non est frater, ut tibi fas esse putes pro tuo cerebro scripturam interpretari. Nam si id licitũ sit, nulla hæresis possit in crimen uocari.

Ne tamen in ea uerseris opinione, Romanæ Ecclesiæ uocabulum nuper natum planeq; Pontificium uel Papisticum, ut uos dicitis, esse, disce iam ex uetustissimis authoribus, qui proxime apostolos secuti sunt, ecquid illi ea de re posterorum memoriæ commen-
Lib.3. Cap.3. darint. Irenæus quidem scribit in hæc uerba: Sed quoniam ualde longum est in hoc tali uolumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & cõstitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & an-
Damnantur hæreticorum conuenticula. nuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum peruenientem usq; ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo uel per sui placentiam malam, uel uanam gloriam, uel per cæcitatem & malam sententiam præterquam oportet colligũt. Ad hanc enim Ecclesiã propter potentiorẽ principalitatẽ, necesse est

eſt omnem conuenire eccleſiam,hoc eſt,eos qui ſunt undiq; fideles &c. Tertulliani quoq; ea eſt ſententia:In Italia habes Romanam Eccleſiam,cuius nobis etiam authoritas eſt propoſita. O fœlicem Eccleſiam,cui Apoſtoli integram doctrinam cum ſuo ſanguine profuderunt,&c. Vide eundem lib.4. contra Marcionem. Lege etiã Irenæum lib.5.cap.2. & multis alijs locis. Si quæras,cur Irenæus & Tertullianus tam exacte Romanam commemorent Eccleſiam, nos ea cauſa id illos feciſſe reſpõdemus, quod illo quoq; æuo ſectæ emergerent,quæ ſibi unicæ illius Chriſtianæ Eccleſiæ titulum uſurparent:aduerſum quos illi Romanam hanc ceu unicam & apoſtolicam Eccleſiam prædicatione efferre ac uindicare nitebantur : quẽ in modum nobis quoq; contra hanc Lutheri factionem eiuſq; malam ſobolem prædicanda uenit. At dicas forſitan : Si quidem tam ea hodie eſſet immaculata,ut tum fuit, fortaſſis ab ea non deſciſcerem. Sed paucis reſponſum accipe: Ita ergo ſi parentem tuum gallica ſcabies totum occupet,tu illum parentis loco minime es habiturus,eumq; ceu alienum deſeres? Hoc mihi reſpondeas uelim, fateatis ne Romanam Eccleſiam Irenæi ac Tertulliani ſeculo germanam fuiſſe Eccleſiam? Negare tu id neutiquam potes. Age igitur, hoc quoq; fatearis neceſſe eſt eam hodieq; talem eſſe,quando eadẽ prorſus eſt,quæ tum fuit,niſi quod nũc uetuſtior, debilior, rugoſior ac deformior conſpicitur. Eſt ea in hodiernum antiqua illa domus Dei, uetuſta Dei ciuitas, uetus illud ac uerũ Dei templũ, quod illo fuit æuo,præterq̃ quod nunc ruinoſa magis eſt minusq;, quam id temporis,habet decoris & elegantiæ,eſt itidem eadẽ quæ quondam fuit Vinea Domini,quanquam nõ tam fertilis modo ſit: quæ non eſt Vineæ culpa,ſed negligentium cultorum & operariorum, qui in eam miſſi fuere. En hic ego iam te adeo conſtrictum teneo, ut non poſſis non obmuteſcere.

De presbyteris honorandis.

Matth.20.

Quod ſi pergas dicere,uos ueterem hanc Eccleſiam uelle repurgare ac inſtaurare,audies continuo,O miſeram illam repurgationẽ ac inſtaurationem. Certe ſi annos adhuc triginta ea qua cœpiſtis ratione pertexeritis,neminem ego pium fore arbitror, qui non ſe iã uira functum uelit. Vosne ueterem Romanam repurgabitis Eccleſiam,quam nidum & ſynagogam ſatanæ appellatis? quam porcorum inſtar nunq̃ non cõtumelioſiſſime & acerbiſſime in cœno uolutatis? Vosne,inquam,illam reſtaurabitis, quam ut apoſtatæ deſeruiſtis? odioq; habendos & inſectandos ſtatuiſtis eos omnes, qui

intra illam sese continent, quos etiã Antichristos, Cainos, Baalicos, atheos, hypocritas &c. Vocitatis: quicquid bene institutũ & ordinatum est cõuellitis, nec quicq̃ tamẽ ꝙ melius sit substituitis: noua fingitis dogmata, q̃ uetus Ecclesia nesciat: destruitis, rapitis, ꝓfligatis, decernitis, constituitis, agitis & omittitis quæuis ꝓ uestro arbitratu, nulla neq; Dei, neq; Cæsaris habita ratione. Sane si ueterẽ Romanam Ecclesiã repurgare animus erat, non eã oportuit penitus euertere, & pugnis in eã incurrere. Purgare & demoliri diuersa sunt. Eluere ollam fictilem longe aliud est, q̃ illam saxo impingere. Verũ id uos agitis, ut dãno dato, quoad eius fieri potest, uerbis uos purgetis ac tueamini: id unum maximo uobis incommodo est, quod libri per uos editi, omnibus uos produnt.

Frustra igit' Ecclesiã iactitatis, utpote a qua uosipsos per superbiã ꝑcidistis. Ecclesia integra illa Dñi tunica est: uestra factio portiuncula quædam est ab illa separata. Ecclesia arca Noe est: uestra secta non nisi asser quidam est inde auulsus. Ecclesia totũ est corpus: Vestræ partes nõ nisi brachium quoddam sunt ab illo distractum. Quid ita? Quod uestra factio nõ sit integra Ecclesia, nec etiã credat, doceat, obseruet, actitet quod integra.

Atqui sancta illa Romana Ecclesia præcipuorũ Apostolorũ studio est erecta, illorumq; doctrina, sanctitate & sanguine dedicata, munita & confirmata. Post hos tanq̃ capita, ad summũ est perducta & exædificata per illorũ successores Linum, Anacletum, Clementẽ, qui Apostolorum fuere discipuli, Euaristũ, Alexandrũ, Sixtũ, Telesphorum, Hyginũ, Piũ, Anicetũ, Soterẽ, Eleutheriũ, uti eos enumerat Irenæus, multis etiã martyrũ millibus declarata & cõprobata, ꝑclarissimis & inuictis confessionibus suffulta, innumeris Deo gratis actionibus & operibus ornata, illustrissimis præstantissimorũ Patrum scriptis celebrata & prædicata, & aduersum quaslibet subrepentes hæreses defensa semper & conseruata: ut illi plane miserrimi censendi sint, qui intra hanc Ecclesiam in tanta sanctorũ Deoque cõformium fratrum ac sororum frequentia nolint numerari.

Lib. 3. Cap. 3.

Anne prorsus miserabile est, ut unus homo cunctis mortalibus, quotq̃t hodie supersunt, & intra annos mille in humanis fuere, ꝓpria temeritate & detestabili philautia se nõ dubitet anteferre: Anne modũ omnẽ excedit, ꝙ homuntiones istos oĩa etiã uetustissimorũ Patrũ cõmentaria nõ pudet superbissime reijcere, cũ tamen sine illis nihil possint noui cudere, nec ullã ausint scripturæ sententiam explicandã suscipere: Si satis est solã habere Scripturã, qui fit, ut nouis

ut nouis istis in scripturā, qui in dies prodeunt, cōmentarijs expleri nequeas: Dicis Scripturam absq; cōmentarijs legendā, cū tamen tute id minime præstes. immo nouis istis interpretationibus pertinacius multo inhæres, quā quiuis alij uetustissimis. Sed mera hæc nequicia est, & uersutum hæretici cōmentum: quod qui nō sentit, næ ille pituita laborat. Equidem certus sum ueteres Doctores scripta diuina probe esse interpretatos, atq; unicum in cœlos iter in illis magna consensione attigisse, reperisse & Ecclesiæ demonstrasse.

Estq; hoc illustri documento, certissimoq; argumēto Lutherismum ueterem non esse Ecclesiam, sed sectā potius, quod antiquæ Ecclesiæ Doctores ducat pro nihilo, solosq; sectarios habeat in precio: quod fieri non posset, si recte cum illo ageretur.

Literis sane annotatum comperimus, quam sancta & inculpata aliquot seculis Ecclesia permanserit. Tandem cū Tyrannorum & hæreticorum, quæ gemina sunt satanæ cornua, psecutio deferbuisset, alia cœpit uia satanas Ecclesiam impugnare, quandoquidem illius regno maxima illa adferret detrimenta. Itaq; tum Primores, tū plerosq; e populo ad ea quæ carni sunt iucunda & plausibilia incitauit. Quod cum illi haud incommode cessisset, ingens illi eo ipso ad maiora mala, ilico fenestra aperta est. At huic actu tum a sanctis Patribus pro eo atq; decet seuera animaduersione est obuiatū: quanquam nihilo secius satan in proposito perstitit, quo Christi regnum nonnihil labefactaret: atq; eo usq; progressus est, ut quidam Romani Pontifices, Episcopi, presbyteri, sui officij parum memores, a Patrum suorum uestigijs exorbitarint, maxime quod Ecclesia omni ex parte pace & tranquillitate frueretur. Interea tam Biblia quam patres antiquissimi minori studio esse cœpere: Ita factū est, ut Ecclesia passim affligaretur, atq; eo tandem prolapsa sit, quod ad mores attinet, ubi iam, pro dolor, cōspicitur. Atq;, ut paucis agā, duo sunt, in quibus Ecclesiæ dignitas non parum læsa & imminuta est, quæq; id efficiunt, ut apud incredulos minus bene audiat, nempe Cultus diuinus in nonnullis nō satis reformatus, & uita improba. In his reuera plus satis necessaria est opera, ut gemina hæc plane exitialis suscepta macula tandē quandoq; deleatur. Vos hic Ecclesiæ primores appellatos uelim, ut tandem experrecti, fidem quā debetis Christianæ Reip. pstetis, serio Conciliū ut cogatur, efficiatis, uitia pponatis, quæ sit Ecclesiæ necessitas attēdatis, q̄ nihil bonæ frugis habēt & offendiculo sunt remoueatis, noxia præcidatis. Per-

petuis uos clamoribus Christiana Resp. cōpellat, maxime tot iam sectis acerrimam impressionem facientibus. Væ, uæ, atq; iterum uæ uobis, si hoc in opere maxime necessario, saluberrimo, laudatissimo satanam uos per incuriam, uel alia mundi negocia distineri ac præpediri patiemini.

Ita pro dolor sese res habet. Sed quid tandem obsecro? Num propterea Ecclesiæ unitas scindenda est, quod arte satanica quasdā labes contraxerit? Num Moyses Synagogam propter abusus & uitia quædam deseruit? Num Elias, num uero Ieremias id fecit? D. Bernardus etiam sua ætate quædam Ecclesiæ, præsertim Romanæ curiæ, quæ etiam tum non parua erant, perspexit, num ille hoc nomine sibi ab ea desciscendū putauit? Optimus ille Thaulerus, itemque abbas Tuiciensis, Gerson, Picus, Petrus de Aliaco Cardinalis, & pleriq; alij minime fuere nescij, Ecclesiam in moribus non omnino recte habere: an illi tamen ea causa ab ea discessere, nouamq; sibi Ecclesiam conflauere? Minime gentium: sed magna uocis contentione uitia repræhenderunt, nec illis parcendum putauere, uocemq; suam quasi tuba exaltantes, Christianis ipsorū scelera denunciarunt, ut animas seruarent. Multis sane hominibus bonis admodum doluit eam Ecclesiæ calamitatem adeo esse diuturnam. Plerosq; insigni pietate & eruditione Antistites, Doctores, Concionatores male habuit ea Ecclesiæ deformitas, nec tamē illam relinquere reuoluere. Est enim ea nihilo minus spiritalis mater nostra, etiamsi quædam illi inuitæ aspersæ sint labeculæ. Atq; eo fortassis nomine permisit Deus, ut ista factio uel secta longius serperet, quo eius occasione Ecclesia citius ad sui cognitionem, reformationem, emendationem deducatur. Sed ea causa Secta nihilo iustior est.

Ecclesia plane est, cui secundum Deum, quamlibet deformis uideatur, bona omnia tum æterna, tum temporaria accepta ferre debeamus, non autē factioni Lutheranæ. Dic enim, obsecro, quis nos salutari expiauit lauacro? Ista nimirum mater nostra, non ulla alia nos regenerauit. Qua igitur fronte illam abnegamus? Cur meretrici tantum tribuimus, ut relicta Ecclesia, ad illam nos adiungamus, cum tamen ea non sit iusta parens nostra, ut ut sese iactitet?

Vnde quæso ad nos scripta diuina profecta sunt? ab Ecclesiane, an uero a secta? Dubio procul ab Ecclesia. Num igitur ea causa nobis Ecclesia scripturas tradidit ut ñs ipsam oppugnemus? Quid hoc aliud sit, quam sibiipsi malum conciuisse? At dices,

Scriptus

Scripturam ad nos diuinitus profectam. Recte nimirum. Tu uero quando cœlos adijsti, eamq; ex Dei manibus, perinde ut Moyses tabulas in monte Synai, accepisti? O hoim acutorȝ mirã insulsitatẽ. Vnde porro tum ipsius Dei, tum eorũ omn ũ quæ sunt fidei Christianæ notitiã habemus? Anne ab Ecclesia? Aut forsitan nulli mortalium toto terrarũ orbe annis superioribus ulla Dei & fidei Christianæ imbuti notione fuere? Vosne primi extitistis, qui intra paucos annos eam sint adepti? Vbi igitur eam estis assecuti? Num ex scriptura? Et ea tamen etiam ante hos decem annos & probe est intellecta, & homines qui eam legissent, minime defuere. An uero ex spiritu? Agedum igitur, spiritum illum signis & miraculis declaretis. Nam etiam uos ipsi alijs uobiscum furore percitis, id opponere soletis, ut si quid proferant antea incognitum; prodigijs quibusdam id astruant. Reuera si ante hos decem annos spiritus & scriptura cum sui intelligentia nulli adfuit, male egit Christus cum sponsa sua, atque os suum mendacij, quod dictu nefas sit, condemnauit, sitq; plane consequens, nullam hactenus sub sole uixisse gentem, quæ tam esset misera, errabunda & iniqua, atq; nos Christiani sumus. Deinde & id nosse uelim, unde nobis tum triuiales, tum illæ quas Academias, uel Vniuersitates uocant, Scholæ sint natæ: unde tam doctos habeamus uiros, & artes eximias? Nũ Secta ea nobis peperit? Immo uero Secta ipsa unde suas habet artes & disciplinas, quibus tamẽ non recte utitur? Anne hæc omnia ex Ecclesia promanarunt, quando adhuc nulla fuit huius Sectæ mentio uel notitia? Vnde uero administrationem tum politicam, tum œconomicam? Vnde Iura, disciplinam, complures ritus & instituta optima, probatasq; constitutiones & ordinationes habemus? An non antiquitus isthæc obtinemus? an uero hæc nuper orta nobis Secta ista peperit? Immo uero, ut omnibus in prospectu est, ea ferme abrogauit & aboleuit, atq; e diuerso improbis moribus, prauisq; constitutionibus aditum patefecit, id quod iam nemo non querimonijs & suspirijs testatur. Si quid uero etiamnum in Secta residet, quod sit cum religione, probitate, bonis moribus & recta ratione coniunctum, id etiam antequam Secta nasceretur, fuisse dubium non est, non autem ex ipsa Secta profectum. Nam, si tamen id potes, ex septem hominum milibus non nisi septem ad me producas, qui prius plane diuini timoris expertes & improbi fuerint, & nunc demum postquam in Lutheri uerba iurarunt, in probos ac religiosos uiros euaserint.

Ego

Ego uero eos tibi proferam, qui ante hanc sectam Deo deuoti, pij, mansueti, & uitæ internæ studiosi fuerint, at nunc Euangelio huic dediti prorsus mutati sint. Faxit Deus, ut qui hu̇ius sunt tragœdiæ architecti, & incentores, ipsi se agnoscant, uideantq; quas in Germaniam calamitates inuexerint, Amen. Hactenus quidem in Ecclesiæ Catholicæ gratiã, uisum nobis est hæc ex doctissima Vuicelij Apologia hic inserere, non quod historiæ breuitati admodum conueniret, sed quod ea ratione magnam nobis Ecclesiæ utilitatem allaturos speraremus.

Hæc igitur atq; eius generis alia multa non parum commendanda scripta, Postillas quoq;, Vuicelius, ut qui longa experientia Lutheranorum consilia probe cognita & explorata haberet, in publicum emisit, satis superq; testatum ijs efficiens, Lutheri dogmata quã e diametro pugnent cum Euangelio: qua re factum est, ut multorum ille odio acerrimo hodieq; laboret, nec quoquam sine periculo tuto possit proficisci. At tamen constans ille permanet & imperterritus, nouaq; dogmata ipsis scripturæ diuinæ sententijs tam luculenter confutat, ut in hunc usq; diem quotquot partis sunt aduersæ, nullis eum solidis rationibus possint refellere.

Eodem ferme tempore etiam Ioannes Crocus Doctor, desciuit a Luthero, & ad Catholicam Christi Ecclesiam se contulit. Atq; hoc pacto Lutherismus tum temporis uiris cordatis & eruditis cœpit displicere, quod haud obscure aduerterent, illum non nisi carni ceu fundamento inniti.

An. 1533 ANno M.D.xxxiij. Romanus Pontifex & Imperator Legatos suos in Germaniam misere, qui Imperij ordinibus testatũ efficerent, Concilium generale celebratũ iri, quo religionis in Germania dissensio sopiretur, & pax atq; concordia instauraretur. Atq; Imperatore consentiente, Pontifex Principibus denunciari iussit, se liberum atq; Oecumenicum Concilium indicturũ, eum in modum, quo prisci patres consueuissent, quos dubium non esset Sanctospiritu permotos fuisse; utque illi, qui ad Concilium uenturi essent, fidem darent eius decretis & definitionibus se prompte obtemperaturos: qui uero Concilio corã interesse non possent, suos eo legatos mitterent: simul etiam, ut ante Concilij definitionem nihil innouaretur: tum quoq; necessarium fore, ut certus designaretur locus, qui satis haberet annonæ & salubre cœlum: cuiusmodi ipsi

quidem

quidem Pontifici uel Placentia, uel Bononia, siue etiam Mantua tanquam urbs imperialis, Germanicæ nationi non incommoda, uideretur.

His ita constitutis, Elector Saxoniæ tempus sibi dari petiit cũ suis, id est, qui Smalcaldici essent fœderis, deliberandi atq; consultandi. Id uero Pontificis & Cæsaris legati gratum habuere.

Vltima Iunij scripto illi responderunt in hunc modum: Petere ipsos quidem ut Concilium celebraretur, sed intra Germaniam, ubi hæc primum esset orta dissensio: deinde ut non ex Pontificio Iure, & pro Scholarũ consuetudine, sed ex solis scripturis decerneretur.

Ad hæc uelle ipsos liberum habere Concilium: atq; eam ob rem neminem se ad præstandam illi obedientiã obligare debere. Quando enim Pontifex reges & Principes sibi uellet obstrictos, id eis esse argumento, illum sub Concilij prætextu suam potestatem summumq; dominium tueri statuisse. Itaq; se nolle ea ratione obligari: nec ullum se decreuisse Concilium admittere, in quo leges humanæ aut Pontifex Iudicis partes sustineret: se omnino deliberasse Pontificis iugum procul a se reijcere, nec dubitare alios reges idem præstituros. Præterea uero nihil esse, quod non Imperatoris causa & in illius gratiam essent suscipere parati.

Protestantes nouam celebrandi Concilij rationem postulant.

Hoc illi responsum multa uerborum copia & elegantia perpolitum typis excudendum curarunt: atq; suis concionatoribus & Iurisperitis id dedere negocij, inter sese communicatis consilijs statuerent, quænam in Concilio proponi oporteret.

Per hoc tempus in uillula quadam dicta Holtzhausen in Electoris Saxonis ditione sita, haud procul a Lipsia, quæ paret Duci Georgio, Linteo quidã fertur fuisse, qui Lutheri dogmata pro concione traderet: ad quem eo nomine magnus fuit hominum cõcursus, quibus etiam Sacramentum contra Ecclesiæ morem & Catholici Principis edictum, sub utraq; specie porrigere non dubitauit. Quod ubi Dux Georgius resciuit, Lipsensibus suis interdixit, ne quis deinceps ad Lutheranum illum concionatorem ex urbe egrederetur. Atq; ut Lutheranos a Catholicis posset internoscere, apud Para[illegible]s egit, ut ijs, qui in Paschate confiterentur & communicarent, symbolum quoddam traderent, quod illi qui confessi essent, ad [illegible]tum indicatis suis nominibus d[illegible].

Ex Actis Lutheri.

Ea res plerosq; ciues male habuit, ut qui Lutherano dogmati

 fauerent,

Sleidanus hęc narrat infide liter.

fauerent, datisq; ad Lutherum literis, perconiabantur ex eo, num absq; conscientiæ offensione, quo sui Principis irā declinarent, sub altera tantum specie cōmunicare possent. Quibus Lutherus respondit more suo: cuius literas, ne Catholicis offendiculo sint, uisum est hoc loco omittere. Inuehitur enim petulanter in optimū & cumprimis Catholicum Principem Georgium, ut erat ille ad maledicendum & conuiciandum instructissimus.

Porro ubi tales eius literæ in feriis Paschalibus Lipsiam perlatæ sunt, hincinde per ciues quosdam circumferebantur, & identidem describebantur. Quod ubi Senatus didicit, ne qua existeret seditio, Duce Georgio earum literarum exemplum ilico misere, ut iis de rebus certior factus, sciret quid se facere oporteret.

At Georgius Dux cognato suo Ioanni Friderico, qui patris loco Saxoniæ Elector erat, scripto conquestus est, Lutherum eiuscemodi literis non parum iniuriosis nedum suum nomen & existimationem traduxisse & conuitiis proscidisse, sed suos quoq; subditos ad rebellionem & proteruiam permouere instituisse, atq; iis rebus pacis illa fœdera cum ipsius Electoris parente anno xxvii icta esse uiolata. Itaq; petere sese, uti Elector talem se erga hoc maleficiū præberet, quo posset omnibus esse perspectum, ipsi eiuscemodi cōuicia & maledicta minime probari, ageretq; ut Lutherus a contumeliis & iniuriis quandoq; cessaret.

Hæc Sleidanus scire noluit.

Interea Lipsensiū Consul Vuolfgangus Vueideman scripsit Luthero, mittens una literarū ante dictarū exemplū, rogansq; comiter, certū testa[illegible] efficeret se illas literas Lipsiā misisse, & cui tandē eas misisset, & u[illegible] haberet. Plerosq; enī ea causa Lipsiæ in suspicionē uenire: suo igit responso anteuerteret, ut qbus cū illis literis nihil esset cōmercii, & nihilo minus suspecti haberent̄, eam a se possent suspicionē amoliri. Illis quoq; literis cū ꝑ suo instituto Lutherus respondisse audacter & minaciter, nuntio etiā minas intentauit, si qua eius generis scripta ad ipsum perferret. Quæ res cum ad Ducis Georgii notitiā esset ꝑducta, denuo scripsit Electori, orans eum humaniter, eo in negotio ita se gereret, ut ipse sibi uellet fieri.

Scripsit igitur Elector Saxoniæ Luthero hunc in modū: Ferre se nō posse ipsum cognati sui, uel alio[illegible] subditos suis scriptis ad seditionē incitare: quod si euenire[illegible], n[illegible] posse se id inultū relinquere. Daret igitur operam, ut sese, quo[illegible] ad illas querimonias a[illegible]neret, purgatū efficeret: q̄d si negligeret, non posse se eum a culpa alienum arbitrari.

His

His cognitis, acriori Lutherus ira percitus, librum edidit, quo se conatus est expurgare, tanq̃ qui falso a Duce Georgio sit conci- tandæ seditionis insimulatus. quo in libro multa ille habet, quæ piæ aures ferre non possint. Scripsit autem prolixe aduersus illum librum Doctor Ioãnes Cochleus, Ducemq; Georgium abunde de- fendit, simul etiam Electori Saxoniæ significans, esset ne satis ad cõ- tumeliam, existimationis iniuriam atq; seditionem appositum, si quis tantæ nobilitatis & integritatis principem, cuius esset Dux Ge orgius, sicarium, prædatorem, Euãgelij hostem, satanæ apostolum ausus sit appellare: testatum quoque efficiens, Lutherum sæpius in Ducẽ Georgium multa falso confinxisse, & apertissimis eum men- dacijs traduxisse. Si cui placet, legat Acta Lutheri. Fol. 149.

Non tamen interim destitit optimus princeps Georgius habe- re excubias, & quantum ipsi esset possibile, ante uertere, ne sui sub- diti Lutheri dogmatibus inficerentur. Comperit autem e suis sub- ditis septuaginta nolle Eucharistiã ritu Ecclesiastico accipere: quos ille iussit intra Pascha & Pentecosten secũ deliberare, utrum apud ipsum & Catholicam Christi Ecclesiam permanere, uel ad Luthe- rum mallent deficere. Quod si illi cum Luthero sentire pergerent, se in sua ditione illos minime laturum: permissurũ tamen, ut suas ædes & alia quæ ad ipsos pertinerent diuenderent, atq; alio commi- grarent.

Verum in his iam pleriq; ad emigrandũ sese compararant, qui- bus admodum ea applauderet gloriola, quod passim propter Dei uerbum acti in exilium dicerentur: sicq; factum est, ut in his septua ginta uix duo essent, qui ad sanitatem redirent: tametsi Episcopus Merspurgensis Ducis Georgij precibus adactus, magno opere & summo studio eos ab errore reuocare uideretur. Sed cum illi solis scripturæ luculentis uerbis institui uellent, dictum est eis, Christũ disertis uerbis in Euangelio p̃cepisse ut Ecclesiæ mos geratur, nuſ- quam uero illum iussisse, laicis sacramentum Eucharistiæ ut sub utraq; specie necessario porrigatur. Sed nihil apud illos promoueri potuit. Iussit igitur Princeps, qui in eos potuisset seuerius animad- uertere, ne Lipsiæ morarentur: permisit autem domos & reliquas facultates suas, immó & coniuges & proles cũ familia Lipsiæ, si uel- lent, relinquere, nec ulli eorum uel obolum eripuit.

Atqui cũ res longius procederet, metusq; esset, ne duo illi Prin- cipes, Elector Saxoniæ & Dux Georgius inter se committerentur,

ne subditi damna acciperent, utriusq; Principis consiliarij quandã confecere pacem, estq; tum Catholicis, tum Luthero mandatum, ut deinceps in suis scriptis & disputationibus illorum duorum principum, & quæ ditionis eorum sunt urbium, nullã omnino facerent mentionem.

Ex Actis Lutheri. Eodem anno in nonnullis Lutherismo addictis oppidis ingens increbuerat rumor de extremo die, quod ille iam etiam certo imponderet eo, quo quidam prædixissent, die: sicq; factũ est, ut e uulgo plurimi, qui illi rumori fidem commodassent, nulla uellent moliri ædificia, agricolæ neq; ararent neq; sererent: quidam etiam nobiles sumpta Eucharistia modis omnibus haud aliter sese gererent, quã si statuto die essent morituri. At ubi ille dies effluxit, & mundus suum tenuit cursum & ordinẽ, miseri illi nõ poterant nõ erubescere, cum illis diceretur, si quidem essent Euangelici, aut Euangelium unq̃ ita ut oportet legissent, nõ posse illos ignorare dixisse Christum, de die illa & hora neminem scire, nec angelos quidem, *Matth 24.* præter solum patrem. itemq; in Actis apostolicis: Non est uestrum *Act. 1.* nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.

Sleidanus his cõmemorandis non bona fide utitur. Hoc ipso anno Henricus eius nominis octauus Angliæ Rex, qui hactenus regem se inprimis Catholicum & celeberrimũ declararat, legitimam coniugem suam Catherinã Ferdinandi Regis Hispaniarum Filiam, & Imperatoris Caroli materteram, repudiauit.

Rex ille Henricus iam pridem amorem suum in quandam ex *Rex Angliæ legitimã repudiat uxorẽ.* Reginæ contubernio fœminam contulerat, eam quæ Anna Boulein diceretur. Sed ne rex iniquo, quo Annam complectebatur, amore adactus legitimam a se coniugem, ex qua nullam haberet masculam prolem, sed unam duntaxat filiã, eamq; forma egregia, multis ornatam uirtutibus, & prope iam matrimonio idoneam susc episset, repudisse uideretur, proposuit ille consultum ipsi esse, ut aliam sibi copularet coniugem, non tamen absq; Romani Pontificis & peritorum cõsensu, ex qua masculum haberet hæredem, ne ipso uita functo Regnũ bellicis aut alijs periculis esset obnoxium. Nec deerant hac in parte adulatores quidã & homines malæ fidei, qui Regi suis blandicijs obsequentes persuaderent, haud difficile eam posse impetrari a coniuge separationẽ, quod Regina Catherina Regis Henrici fratri fuisset desponsa, eoq; defuncto Pontifice consentiente Regi Henrico esset iuncta matrimonio.

At ubi res ad Pontificẽ deducta est, ille Regis Angliæ amicitiã iustitiæ

iustitiæ & æquitati sibi statuit posthabendam, adhortatusq; est Regem, & grauissimis intentatis minis etiam mandauit, ut reiecta Anna, legitimam suam coniugem Catherinam ad se reductam, in pristinum locum restitueret. *Paulus Iouius Sleidanus tur piter mētitur de Pontifice.*

Tum uero Henricus Rex erga Pontificem ira excandescens, mox proposito edicto, seipsum supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput declarauit, uetuitq; ne quis Romano Pontifici primariam in Ecclesiam Anglicanam tribueret authoritatem, mortis constituto supplicio, si quis id ausus esset.

Hoc anno Carolus Geldriæ Dux quinq; millium peditū fretus auxilio, Comitē Orientalis Phrysiæ, quē Embdensem uocāt, cū omnibus eius popularibus, 15. ad millia strauit & funditus euertit.

Eodem anno pernitiosissima Anabaptistarum factio Monasterij, quæ est Vuestphaliæ metropolis, collecta est, qui se dicerēt in animo habere, nouū Ierosolymorū regnū gladijs & armis instituere. Itaq; ab Episcopo suo, penes quem erat rerū potestas, se subducentes, eius cōsiliarios manu uiolenta ceperunt. Ea re perterriti pleriq; ciues & incolæ Monasterienses, ad Episcopum profecti sunt, consilium & auxilium, quibus tam seditiosæ Sectæ iretur obuiam, ab illo petituri. Qua uero ratione ea repressa sit, ubi ad sequentis anni res gestas commemorandas uentum erit, annotabimus. *Anabaptistæ Monasterij.*

Hoc ipso anno Sueuiæ oppidulū Schiltachiū triduo ante Pascha, machinationibus mali dæmonis, & opera maleficæ cuiusdā penitus cōflagrauit. Aliquandiu ante multum cū ea uetula cacodæmon cōmercij habuerat, crebroq; per oppidulū cū tympano hac illac circūcursans, a multis auditus quidē fuit, sed uisus minime. Nō diu post execrabilis mulier, crimē cōfessa suū Oberdorphij flāmis tradita est. *Lycosthenes. Diabolus cum tympano circumcursat.*

Eodem anno Mediolani & Paduæ tam inaudita extitit fulgurū choruscatio, & terribilis tonitruum fragor, ut præ nimio terrore homines perinde ut amentes hac illac cursitarent.

Deniq; eo ipso anno in Octobri Basileam ingens terræmotus tertio concussit.

ANno M.D.xxxiiij. Lantgrauius cū Gallorū Rege depactus, copias conscribit, qbus instructus, dat literas denunciatorias ad Ferdinandum regem, ipse & Vlrichus Vuirtenbergicus. Rex igitur Ferdinandus, negocium in ius uocari postulat: recusant illi, bellumque decernunt, & posteaquam in prælium descendissent, *An. 1534 Lantgrauius ope Regis Galliæ Ferdinandū Romanorū Regem oppugnat.*

machinas obijciunt, & in exercitum Regis iaculantur ualide. Nam Philippo Palatino, calcaneus ictu tormentario decutitur, & milites Regis in fugam conuersi partim submerguntur in flumine Nicero. Quare secundante aduersarijs fortuna, Vlrichus plurimas dominij quo fuerat eiectus, partes recuperat.

Vlrichus Vuirtenbergicus Dux, manu uiolenta, dominij sui potitur.

Durante bello interuenere Moguntinus Archiepiscopus, & Saxoniæ Dux Georgius, Lantgrauij affinis, qui inter Ferdinandũ Regem & Saxonem, pactum hoc cõstituunt, scilicet, ut Ferdinandum Regem Romanorum agnoscant, habeantq;, sic tamen ut is uicissim curet, ne Camera in Protestantes litem dirigat, in quibus tamen nec Sacramentarij nec Anabaptistæ sint comprehensi.

Conditiones fœderis.

Accessit præterea alia quædam inter Ferdinandum Regem & Vuirtenbergensem conuentio, huiusmodi nimirũ. Vlrichus Princeps & hæredes ipsius nempe masculi, clientelam a Ferdinando Rege tanquam Austriæ Principe suscipiant, & dominij Vuirtenbergici eidem acceptum ferant. Extirpata forte familia Vuirtenbergensi, & cessante hærede masculo, tum demum Austriam obtineant Principes Austriaci quasi beneficiarij, ipsius nempe imperij donatione, cui & hoc nomine deuinciantur. Vlrichus Dux, Ferdinandum, Regem Romanorum accipiat & cognoscat, nec aliquam in eum coniurationem intendat. Quicquid bonorum, militiæ, ademptum sit, a Lantgrauio & Vlricho occupatum, dominis restituatur. Neminem insuper ad Religionis nouationem cogant, Ecclesiasticis liberam possessionem concedant. Qui pudore aut timore cessissent, domum redire concedatur. ijs qui alio commigrare uelint, sine dispendio aut bonorum suorum iactura idipsum permittatur, tormenta bellica, quibus Aspergum superius, munitum erat, Ferdinando Regi reddantur, Debitum quod Ferdinandus Rex in utilitatem suam contraxit, idem ipse persoluat: Id uero quod in commodum regionis esset impensum, Vlrichus uicissim exoluat. Quicquid bonorũ in territorio Vuirtenbergico extaret, quod sub tutela Regis Bohemiæ sit, eo nomine, Vlrichus & hæredes, Ferdinando suisq; hæredibus Bohemiæ Regibus teneantur, tanquã Beneficiarij seu ut uulgo aiunt Vasalli. Philippus Palatinus cæteriq; captiui absq; prætio dimittantur. Die præscripto Lantgrauius cum Vlricho Duce ueniam a Ferdinando supplices petant, ipsimet aut ipsorum legati. tum etiam plenum ius possessionis in dominium Vuirtenbergeñ. a Ferdinando Rege Vlrichus accipiat. Solicitet

præterea

prætereaFerdinandus apud Cæsarem fratrem,ut uicissim ipsi recon cilientur,pro belli sumptibus utroq; nihil exigatur,tantum ex co= piis quas Lantgrauius,& Vlrichus Dux sibi conflauerant quingen tos equites,& tria milia peditum Regi Ferdinando iidem submi= nistrent,qui ipsorum expensis ad obsidionem Monasterii Vuest= phaliæ,profecti,Regi iuramentum præstent,& si expediat, tribus etiam mensibus mereant.Vlrichi Ducis cõiunx Sabina, iis potiatur bonis,quæ in dotem ei constituta erant. Hanc autem pactionem populus omnis & nobilitas ratam habeat.

Rebus Itaq; in hunc modum compositis,Lantgrauius ad Cæ= sarem dat literas,rogans ut & sibi & Duci Vlricho ignoscat,simulac promittit se & Vuirtenbergicum deinceps ipsi & Fratri Regi obse quentissimos per omnia fore.

Respondit Cæsar.Totam tragœdiam se iam ex Fratre Ferdi= nando cognouisse:quid præterea suæ sit mentis,literis ad illum mis sis significasse,etiamnum misso legato nunciare. Futurum igitur ut ex eo de sua clementia & conamine pacis rescisicat. Hortatur de= inde ut quod uerbatim pollicetur,reuera præstet, obsequentem se exhibeat, caueat denique ab omnibus seditiosis consiliis,conati= busque.

Paulo ante de Anabaptistis mentionem fecimus, quomodo ii uidelicet,Monasterii Vuestphaliæ grandem commotionem ædide rint,quæ ita se habuit,ut iam iam dicetur.

Ad ciuitatem Monasteriensem locus est ubi nimirum templũ D.Mauritio nuncupatum,situm erat,in quo, quidam Bernardus Rotmannus dictus, anno 32.Euangelium Lutheri e suggesto de tonare cœpit.Populus nouæ doctrinæ cupidus turmatim eo con= fluit.Ciues nonnulli eum in ciuitatem introducunt, & domo sua excipiunt.Cum autem Catholici locum in suis ecclesiis concionan= di denegarent,nec omnino admitterent, illi suggestum suo nouo præconi in porticum templi erigunt. Crescente interim quotidie Lutherastrorum multitudine,uenerunt etiam duo concionatores Marpurgo illuc,qui cum aliquot asseclis deliberarunt ibidem qui= bus modis Euangelium Lutheri per uniuersam ciuitatẽ libere pro= mulgent,sublata penitus antiqua illa religione.

Bernhardus Rotmannus Monasterien siũ impostor.

Refert Sleidanus,Catholicos hic ad magistratũ dixisse:Nõ ha bere se quo causam suã defendant: Quod autẽ hactenus dixerint, statũ atq; conditionem ipsorũ æquũ ac salutarẽ esse,id ex aĩo bono

Crassum Slei dani menda cium.

&

& ignorantia profectum. Cæterum quam impudenter, in suggillationem Religionis auitæ, & disciplinæ ecclesiasticæ, Sleidanus hic scribat, ac ita ueritatem ipsam impugnare studeat, satis utiq; manifestum est, maxime cum neq; tunc, neq; modo, Catholici a quoque uere saltem, erroris & falsi dogmatis, ut ait falso tamē Sleidanus, cōuinci potuerint. Nam nobiliores quiq; & primi in Senatu municipio illo, consentire noluerunt nouæ prædicationi, nec Lutheranicā doctrinam recipere, quin cum ipsi animaduerterent, plebem sic cōcurrere, applaudere, & obsequi huic nouæ doctrinæ omnibus modis uelle, relicta ciuitate ad Dominum suum Episcopum perrexerunt, consilium subsidiumq; postulantes, quo nimirum seditio plebeiorum sisti seu sedari queat.

Ioannes Leydanus, Anabaptistarū Coriphæus.

Per id tempus, Sartor quidam Ioannes Leydanus ex Hollandia Monasterium appulit, qui sese Bernardo Rotmanno cæterisq; Lutheranicis concionatoribus adsociauit. Cœpit is grauiter & familiariter cū illis de Religione cōferre, contemnens exibilansq; paruulorum baptismua. Accessit præterea quidam alius consors & socius Hermannus nomine, cognomine Stapredt. Hic suo cōsortio fretus, palam in baptismum paruulorum inuehi cœpit. Breui post Bernardus ille Rotmānus, qui primus monasterū, Lutheri dogma asseruerat, infantum baptisma damnare cœpit. Ad hanc adeo impiā doctrinam, mandat ilico Senatus Anabaptistis, ut ciuitate cedant, impetrato ipsis ab Episcopo cōmeatu, quo libere per diœcesin proficiscantur, imo etiam uictualia profecturis suppeditant. Illi uero ad eos se conuertunt, qui ipsorum professioni consenserant, adhæserantq; apud quos etiam aliquantisper delituerunt.

Error Anabaptistarum.

Breui post unus illorum a spiritusancto excitatum se simulans, passim ciuitatem percurrit & uociferatur, Pœnitemini, rebaptizetur quisq;, alioquin uos ex insperato diuina opprimet ira. Tum primum dolor parturīt, & calamitas magna exoritur. Hi nempe qui se rebaptizari permittebant, clamabant & uociferabantur, ut ille malo & uesano potius genio concitatus præco. Plurimi sane timorosi, cum cæteri iam rebaptizati, Dei uindictam ingeminarent, ex simplicitate aut potius pusilla minitate, catabaptismo se submittūt, alioquin probi, quidam autem illum quoq; suscepere, sua bona melius conseruandi ac retinendi causa. Siquidem Anabaptistæ suos aduersarios pessime tractabant, bonis nimirum eos priuabant. ū uero qui, ut dixi, obstiterāt, rem iam in uado esse cernentes, prepunt

e suis

e suis angulis,& latebris,ad forum concurrunt,uociferãtur, ac eos omnes qui baptismum iterare nolebant,ueluti Ethnicos& atheos trucidari iubent. Deinde in armamentarium & prætorium irruentes,maximam uim exercebant. Alia uero pars ciuitatis, ad locum ibidem natura munitum sese recepit,ut iniuriam hanc & uiolentiam depellant,suamq; libertatem uindicent,multos quoq; anabaptistas capiunt.Huiuscemodi furor, tumultus,& uallationes,contra Anabaptistas uersus forũ & alia passim loca, tam diu durarunt, donec utrinq; datis obsidibus fœdus pangeretur, quo decretum erat, ut quisq; religioni suæ adhæreat,domum redeat, & pacem deinceps omnes sua sorte contenti colant.

Porro Bernardus Rotmannus & Knipperdollingius, quasi antesignani Sectæ illius,epistolas interea clam ad circumiacentes uillas mittunt,ac eos qui suæ farinæ ibidem erant,hortantur, ut omnes prouentus ac bona diuendant, moxq; ad ciuitatem properent, decuplo plus accepturi quam amisissent. Tam grandi itaq; & constanti pollicitatione populi illic commoti, infinito numero proficiscuntur uiri atq; mulieres, spe quasi certa & indubitata lactati, plura recuperandi,præsertim autem ægeni magna copia confluunt, qui ex pœnuria rei familiaris commode apud suos uiuere nequibant. Vt autẽ ciues ipsi, potissime diuites, ciuitatẽ alieniginis & inquilinis indies cooperiri uiderunt,opportunitatẽ nacti discedunt, urbemque,patriam & municipem exteris Anabaptistis & residuo uulgo dimittunt. Istud factum est, circa carnisprivium mense Februario, Anno supra Millesimum quingentesimum, 34.

Anabaptistæ igitur rerum in ciuitate potiti,nouum magistratum ex se creant, Consules quoq; decernunt, inter quos Knipperdollingius erat. Post paruam deinde moram D. Mauritij templũ inuadunt,& cum a diacentibus domibus incendio tradunt,post omnes ædes sacras diruunt atq; spoliant,metropolitanam Ecclesiam intus prophanant,& deuastant,inde turmatim per uicos & plateas, angiportus & angulos ciuitatis prosiliunt,& uoce stentorea exclamant:Pœnitẽtiam agite,hinc uos impij mox mox facessite, fugite procul,nisi uitam profundere uelitis. Accurrunt præterea armati coniuratores,& eos qui sectarijs accensiti non erant,sine discrimine sexus uel ætatis urbe pellebantur,ita ut etiam in huiusmodi cõmotione, & pernicitate fugæ, mulieres quædam grauidæ de fœtu periclitarentur. Tandem bona profugorum diripiunt, & scrinia compilant. *Anabaptistarum insania.*

d Turbus

Turbulentam adeo seditionem & inauditam tyrannidem & impietatem compescere uolens Episcopus, infinitis copijs ciuitatē uallat. Nam uicarij Brabantiæ, Episcopi Coloniensis, Principis ad hæc Cliuensis, aliorumq; Principum legati, Episcopo uidelicet Monasterieñ. in subsidium uenere. Ciuitatem crebris ictibus pulsant, frequentes etiam irruptiones faciunt, sed non absq; iactura suorū. Virorum nempe 4. milia in crebris illis incursionibus occubuerunt, inter quos multi sane nobilissimi & strennui milites fuere non pauci.

Erat tunc temporis apud Anabaptistas, uir quidam Ioannes Matthæus, quem summū prophetam nominabant. Hic igitur pro authoritate sua, omnibus præcipit, ut quisq; sub pœna capitali possessionem suam siue auri, siue argenti ea esset, aut bonorum mobilium, ad se afferant. Cui etiam rei domus quædam peculiaris destinata erat. Vulgus mandati istius seueritatem abhorrens, plurimum extimuit. Fraudi etiam aut ullo dolo nullus locus erat, nec quicquam reponi inscio illo poterat. Vtebatur nempe duabus puellis phœbadibus, quæ per spiritum pythonicum ipsi aperiebant si quid usquam repositum lateret. Vulgus igitur non propria tantum, uerum etiam ea quæ iniuste profugis Catholicis ademerāt, aut potius rapuerant, in locum destinatum asportant.

Libri uulcano traditi. Præterea mandat idem ille Pseudopropheta, ut omnes libri pariter tollantur, & palam in unum quasi immensum aceruum congesti flammis exurantur, nec alio uolumine deinceps utantur quam sacris biblijs. Istud enim oraculo diuino depromptum sibi & inspiratu didicisse se aiebat. Quapropter urgente mandato libri innumeri comportantur, & in cineres diris ignibus rediguntur.

Per idem tempus Faber quidem Hupertus Trutlingerus nominatus, ridiculi quicquam in eos qui seipsos prophetas diceret, proferebat. Quod cum rescirent, uulgum ad se euocant, & unumquenque armatum procedere iubent. Arreptus igitur Faber in iudiciū, productis in illum querelis, morti adiudicatur. Vnde in maiorem populus metum & horrorem incidit.

Biduo post Solennitatem Paschæ, in Ecclesias concurrunt, & pariter omnes campanas pulsant. Diebus iam aliquot exactis, Knipperdollingus futurum uaticinatur, utij qui ampliori fungerentur dignitate,

dignitate, de gradu deijciantur, & humiliores ad honoris fastigiũ euehantur. Postea persuadet populo diuinum esse iussum, ut templa demoliantur. Populus obsequitur, & eo quidem diligentius, ac libentius acquiescit, quia diceret tale mandatũ e cœlis ad eum esse demissum. Per hosce dies, Ioannes Leydanus gladiũ iustitiæ Knipperdollinge porrigit, quo nempe ex consule in lictorem creatur, ut uerum comprobetur ipsius præsagium, quod innuebat, potentiores de gradu deijciendos, uiliores autẽ sufficiendos. In suiipsius igitur honorem oblatum officium nõ recusat, Knipperdollingus, sed cum gratiarum actione suscipit, ut ab omnibus quasi prophetes suspiciatur. *O fallacem & scurrilẽ prophetiam.*

Hi igitur Principes qui ad obsidionem ciuitatis Episcopo in auxiliũ uenerant, uidentes uiribus eam expugnari non posse, propugnacula quædam & munimenta uallaria condunt, ut nimirum hac arte, annonam intercipiant; ac fame tandem obsessos enecent. In singulis propugnaculis, quingẽti fere pedites, & equites aliquot seruabantur, qui ibidem in castris hybernarent. Vt autem obsidio & bellum firmari posset, & diutius subsistere, quandoquidem omnes belli gerendi occasionem haberent contra seditiosos illos, petit Episcopus a proceribus & ciuitatibus Regni tanquam uicinis suis opem & subsidia. Idcirco dies Confluentiæ indicitur Idibus Decembris anno 34. Tota nempe Germania in sex orbes est diuisa, In Franconiam, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Ripamrheni, & Burgundiam. Iuxta numerum igitur orbium, omnes Principes & ciuitates in comitio pro ueteri more censebantur. Iam uero Saxonia in Superiorem & Inferiorem partiebatur. His præterea Nationes Germaniæ inferioris, Vuestphalia, & Austria annumerabantur, ita quod modo Regnum Germaniæ decem orbibus comprehendatur. *Obsidio Monasteriensis.* *Sex regiones Germaniæ.*

Cum itaque nullis excursionibus irruptionibusque quantunlibet importunis & uiolentis, nihil ad expugnationem ciuitatis, ut dictum est, promoueretur, Ioannes ille Leydanus quieti sese dedit. Et triduano iam somno expleto expergiscitur, nec ullũ uerbum proloquitur, sed tacite chartam postulat, in qua uiros duodecim partim ex nobilibus, partim etiam ex popularibus, designat, penes quos, ut olim apud Israelitas, maneret omnis potestas, siquidem ita fieri Pater cœlestis præcepisset. Horum duodecim patrocinio uiam sibi sternit ad ius regni, & uocatis ad se concionatoribus *Somnolentia Anabaptistarũ Polygamiã uni eodẽ tempore licitam peperit.*

quasi theologis, aliquot themata proponit, quibus ipsi scripturæ sacræ testimonia uicissim obijciant. Quod si non possent, eadem populo communicare uelle se dicit, quo tandem pro ueris & indubitatis habeantur & confirmentur. Thematum illorum hæc erat sententia: Virum scilicet non alligatum esse uni tantum uxori, sed tot sibi coniungere quot uellet, licere. Quam sententiam, cum concionatores illi oppugnarent, & acriter refellerent, ad prætorium eos uocat, ubi coram duodecim, pallium suum in terram cum noui testamenti codice quem fore manibus tenebat reijcit, & protestatus cum iuramento, hanc se e cœlo accepisse ait. Quocirca grauissimis uerbis eos comminatur, ut si recipere nolint uel etiam acquiescere, Deum se habituros offensum & immisericordem. Postremo consentientibus omnibus, de coniugio tribus diebus prædicatum est, utq; suo exemplo cæteros prouocaret, & animaret, mox e uestigio tres simul ducit uxores, sic ut etiam laudi uerteretur, plures coniuges habere.

Ioannes Leydanus uno tempore trigamus.

Ciuium autem nonnulli, quibus hæc res & turpitudo nimis impudens oppido displicebat, dato signo ad forum omnes prouocāt, quotquot honestatis amantes essent. Igitur congregati, Pseudoprophetas, Knipperdollingum Carnificem, & concionatores omnes comprehendunt. Quod quidem facinus cæteri multitudine maiores & improbiores quamprimum resciuerunt, arma capessunt, ac irruunt, & comprehensos magna ui liberos dimittunt, eos uero qui factū illud patrarant, numero uidelicet quinquaginta, crudeliter suffocant. Nam abreptos, arboribus & palis alligant, & sclopis transuerberant: proclamante ad eam rem pseudopropheta maxime idoneo: Quicunq; nimirum obsequium præstare Deo gratum uellet, primus eiaculetur. Cæteri deniq; alijs tormentis & supplicijs interfecti sunt.

Anabaptistarū tyrannis.

Prodijt etiamnum alius quidam Pseudopropheta octauo calendas Iulij, arte Faber aurarius. Hic totum uulgum in forum conuocat, ut palam omnibus edicat, hanc esse uoluntatem & præceptū patris cœlestis, ut toti mundo Ioannes Leydanus imperet, omnesque Reges ac Principes sine delectu, ualido secum educto exercitu, subijciat, & interimat, uulgo tantum parcat & seruet, qui tamen iustitiæ æquitatisque amans sit, deniq; ut is quoque Patris sui Dauidis solium teneat, donec Patri regnū tradat, sublatis enim tunc

omni-

omnibus impijs, soli pij ac probi hoc mundo fruerentur. Hoc igitur promulgato uaticinio & somniato uerius oraculo, Leydanus in terram procumbit, & porrectis ad sydera manibus, sic populum affatur: Viri Fratres charissimi, istud mihi negocij diu perspectum fuit, attamen quasi inscius manifestare nolui: Quin potius alio praecone atque ministro Deus Pater uti in eam rem uoluit, ut nimirũ eo uerior habeatur & credibilior fiat. In Regem itaque sic assumptus, duodecim illos, quos prius toti praefecerat communitati, officijs amouet, ac Regum more, Senatum quendam stabilem & fixum sibi creat. Duo item diademata, uaginam & torquem aureum, Sceptrum aliaque ornamenta sibi ex optimo auro parari iubet. Posthaec dies fastos atq; nefastos populo praescribit, ut si quando causa grauior incideret, per ipsum tempestiue decernatur & moderetur. Quoties in publicum procedebat, toties a stipatoribus & aulicis suis deducebatur. Ipsum proxime sequebantur duo pueri equestres. Qui ad dextram obequitabat, diadema & uolumen utriusque testamenti, qui autem ad leuam, nudatum gladium baiulabat.

Joannes Leydanus oraculo diabolico Rex declaratur.

Tali cum pompa, sua praecipua pellex, quippe qui plures haberet, incedebat. In foro quoque solium aurata ueste opertum adornatum erat, in quo nimirum suo popello ius ille diceret. Quicquid autem controuersiae uel querelae tunc oriebatur, coniuges plerunq; & repudia ipsorum concernebat. quandoquidem nihil aeque tritum atque familiare iam esse ceperat, quam disceptare de uxorum pluralitate atque delectu, seu denique repudio, adeo ut ij qui unico contenti matrimonio simul una uitam caste, fere transegerant, iam primum a congressu atque thoro diuellerentur.

Accidit praeterea ut Knipperdollingus manibus pedibusq; super populum exiliret, tanta nempe turba in forum conuenerat, ut se inter se propemodum opprimerent: Quare commode satis id fieri potuit, & ita circunquaque adrepens & insiliens, singulis insufflabat dicens: Accipite Spiritum sanctum, pater enim sanctificauit uos. Altero quoq; die, coram Rege tripudians ille aiebat: His gestibus solebam subinde cum mea pellice uestem ducere, at uero nunc ex praecepto Patris hoc ipsum in conspectu Regis frequento. Sed cũ diutius molliusq; tripudiaret, nec cessare uellet, indignatus Rex, abijt. Tũ ille cõscenso solio, se in modũ Regis transformat.

Interea rediјt Rex, & hominis illius supercilium detestatus, throno suo cum indignatione pellit, eumque triduano carcere multauit.

Transactis posthæc hebdomadis aliquot, pseudopropheta qui, ut antea memoratum est, nuperrime quasi e cœlis prodierat, tuba uicatim clangere cœpit, tali significatione, ut nimirum ad Ecclesiam metropolitanam sub dio uniuersi conueniant armis bene instructi, si quidem hostes ab urbe arceri deberent. Cum autem ad indictum locum uenissent armati, cœnam adornatã comperiunt, moxq; quatuor milia discumbere iubentur, post uero illi qui excubias interim egerant, fere mille, ministrabat Rex & Regina cum aulicis. Absoluta cœna, Rex panem conuiuis iam utcunq; saturis porrigit & ait, Accipite, comedite, mortem domini annunciate. Regina quoq; arrepto poculo ait, Bibite, mortem Dñi nunciate.

His ita gestis pseudopropheta suggestum ascendit, & populum interrogat, num uocem domini audire uelint, & obsecundare, annuente populo, subiecit ille: Hanc esse patris uoluntatem ut concionatores uiginti octo aliquo mittantur, qui uidelicet ad quatuor cœli plagas profecti, doctrinam in urbe receptam euulgent. Deinde mittẽdos nomine designat, & nominatim euocatis indicat, quo singuli proficisci debeant. Sex igitur Osnaburgum, totidem Vuarendorfium, octo uersus Suzatum, & totidem Cosfeldum legantur. Legatione hac significata Rex & Regina cum aliјs ministris & deputatis pseudopostolis iam iam pfecturis discubitũ eũnt. Rex inter cœnandum surgit, dicens, esse sibi quod agat, ex iussu patris. Fuerat ea tempestate miles quidam comprehensus, quẽ Rex proditionis insimularat, & ob id eum Iudæ nomine compellans, caput illi amputat: reuersus à cæde militis, ad apparatã suorum cœnam, fallendi temporis causa, ceu animi gratia, cædem quasi beneficium & officiosum facinus narrat.

Mittũtur e Monasterio ciuitate, 28. pseudecclesiastæ ad uicina loca.

Tandem facta iam cœna concionatores illi duodetriginta sub noctis silentio, ciuitatem egrediuntur, & pro monimento discessus & legationis suæ symbolo quisq; rotatũ aureum accipit, quem ibidem relinquant, ubi ipsorum doctrina exploderetur, in signum imminentis calamitatis, & æternæ damnationis, propter repudiatã pacem, & huiuscemodi tam sanctam & integram doctrinã. Cum igitur in præfinitum sibi locum uenissent, oppidatim uociferari

ceperunt,

ceperunt, & ad pœnitentiam homines cohortari, alioquin funditus eos perditum iri. Coram magistratu uestimenta deponunt in terram, & numeratos nummos proijciunt, protestanturque sese a patre missos esse ad annunciandam pacem, quam si uellent amplecti, abdicata proprietate, omnia communia habeant: Sin autem, testificaturos se aiunt illo numismate aureo tanquam pignore, peccatum ipsorum & ingratitudinem.

Tempus namque illud appropinquare de quo omnes prophetæ uaticinati sint, quando uidelicet iudicium atque iusticia per uniuersum terrarum orbem religiose colantur & obseruentur. Cunque ipsorum Rex officio suo respondisset, & rem eo deduxisset, ut iustitia passim regnet, fore tunc demum ut Christus Patri suo regnū contradat.

His dictis corripiuntur, & cum serio, blande quoque, post etiam adhibitis quæstionibus & tormentis fidem & uitam ipsorum, & ciuitatis denique statum perscrutarentur, huiusmodi confessionem ab illis tandem extorsere. Nam ueram saltem doctrinam se professos esse testantur, pro qua corpus simulac uitam obijcere uellent. Verbum Dei ab Apostolorum temporibus nec rite tractatum, nec iustitiam aliquam exhibitam esse. Prophetas quatuor reliquos esse quidem, sed duos tantum iustitiæ obseruantissimos, Dauidem uidelicet, & Ioannem Leydanum, alios uero duos nimirum Pontificem ipsum Romanum, & Lutherum, iniquissimos, at Lutherum Pontifice longe iniquiorem. Præterea interrogati cur homines innocentes, contra pollicitationem ipsorum iuramento quasi firmatam ex urbe & proprio municipio pepulissent atque fugassent, direptis insimul bonis, uxoribus prolibusque orbassent: quo tandem huiusmodi nefas & piaculum scripturæ loco, quod tamen opus æquitatis esse putabant, comprobare uellent: responderunt ipsi: Tempus illud præ foribus esse, de quo Christus alicubi dicit: Quod mites possessuri essent terram. Adhæc Deum etiam olim Israelitas sacrificaturos sibi Aegyptiorum spolijs ditasse.

Insuper quoque Ciuitatem ipsorum iam circunsessam ab hostibus, alimonia militibusque curatam & munitam esse, copias etiam expectare se ex Frisia & Hollandia, quæ quamprimum aduentassent, Regem ilico exercitum suum eductū, ad subiugandū sibi

totum orbem, qui cæteros etiam monarchas & Duces trucidaturus esset, quod iustitiam neq; exercuissent, neq; protexissent. Post questiones & tormenta capite plectuntur, siquidem mordicus in sua persistere uolebant sententia, nec aliam agnoscere potestatem, quam Anabaptistici Regis, unus tantum euaserat reliquus ex illis.

Vtq; ad obsidionem de qua dicere incepimus, reuertamur, ciuitas tantis angustijs circundata est, ut nemini iam pateret uel exitus uel introitus. Cœperunt imminentem ceruicibus ipsorum ij qui in ciuitate erant, calamitatem perpendere, quæ ex fame euenire poterat. Idcirco Regem seditionis & miseriæ authorem capere & captũ Episcopo tradere cogitarũt. Quo comperto Rex, qui huiusce molitionis a proditoribus certior factus erat, duodecim ex omni plebe creat Duces, quos sibi sperabat fideles ac integros fore. His itaq; Ducum titulo militantibus ciuitatem seruandam tradit, ut nimirũ quisq; partem ipsius occupet, muniat, & protegat, & ne usquam exoriatur seditio, apparitores constituit. Posthæc toti uulgo iam utique satis perturbato & pene exhausto, promittit in paschate liberandum ab obsidione & omnibus angustijs. At ijs quos sibi duces creauerat, multo equidem sanctius promittere uisus est, quasi plurimorum diuersorumq; dominaturi sint. Adhæc sigulatim nominatimque recenset quæ unicuiq; uellet oppida, quas arces, quos denique pro uentus elargiri, solũ ait, Cauete ne Lantgrauio uim ullam inferatis, nam spem esse sibi, quod is aliquando ipsius partes acturus sit.

Inualescente passim per domos annonæ caritate, intantum ut etiam fame & calamitate miseram redderent plerîq; animam, una reginarum seu potius concubinarum, ex cõmiseratione qua erga pauperes afficiebatur, ad socias ait: Haudquaquam Deo gratum putare se, quod pauperes emori fame, homines permittant. Quod ubi Rex intellexit, qui sane non modo ad necessitatem, uerumetiam ad superfluitatem de uictu sibi prospexerat, ad forum eam trahit, & coram cæteris iubet ut ad genua se cõponat, ictumq; extento collo expectet. misera imperio tyranni cedere compulsa, ab eo cuius amplexibus potiri consueuerat, crudeliter & amara morte multatur. & insultando cadaueri quasi scortum detestatur. Qua quidem iam expleta sceleris immanitate, tanquam benefactum admirantes reliquæ pellices, patri cœlesti gratias cum iubilo dicunt.

Rex uxorem capite plectit, quod pauperibus cõmiserata fuisset.

Posthæc tripudia Rex celebrat, aliosq; qui tum forte aderant, & uix

& uix panem ac sal aut aliud obsōnium domi suæ habebāt, ad choros & uoluptatem exercendam prouocat.

Porro nullum indicium adhuc aut deniq; uestigium apparebat uindictæ & liberationis, quam nefandus ille Rex futurā sub festū paschatis, quod profecto instabat, populo persuaserat. Quare ut magnificum promissum, sed uanum & inane aliqua temperaret excusatione, & prætextu quodam, miseri popelli spem ac animum leniret, diebus sex infirmum se simulat, quibus expletis in forum prodit, ubi populo persuadet interea se impositum fuisse dorso unius asini cœci, ac Patrem ita ipsorum omnium peccata in eo posuisse, ob id eos esse mundos plane, & omnibus peccatis uacuos. Hanc quippe eam esse liberationem, quam nuper illis addixisset. Quocirca bono sint animo.

Ridicula & blasphema prorsus imaginatio.

Interea prorogari cernens Episcopus hanc obsessionem diutius quam sperasset, multum anxius esse cœpit, propter expensarum grauitatem, adeo ut compulsus sit subsidium a proceribus Regni implorare. Dies proinde uerno tempore Vuormatiæ indicitur & agitur, ubi Dynastæ totius Regni, auxilia quoq; postulata, stipulati sunt. Ac primum quidem ciuitatibus Regni summa quædam pecuniaria imponitur, ad sustentandam obsessionem diuturniorem, & uallares munitiones contra insaniam hostium corroborandas. Profectus eo Comes Vuigerichus Oberstanus, Regni totius Dux gerendi belli primus regem Anabaptisticum sæpius alloquitur, num uelit Episcopo suo dedere ciuitatem, in gratiam tamen Regni Romani percontatur. At a Rege uicissim semper durius reddebatur responsum, & improbis conuitijs Regni Primipilarem a se tyrannus reijciebat, sperans & expectans quotidie a conerronibus cum quibus in inferioribus nationibus clam commercium habuerat, copias & auxilia, quæ si successissent, iam utiq; totus inferioris nationis tumultu cuncta perstrepuissent, quod profecto serio uerendum erat.

Nam Amstelredami, quod est emporium Hollandiæ, plurimi se obarmarant, hanc nimirum nacti opportunitatem. Mos ibidem inoleuerat, ut circiter Pentecosten curiales armati procedāt, auem deiecturi, qua deiecta, tota ciuitas uictori quasi Regi congratulabatur. Cū ergo pro recepta apud ciues illos consuetudine, uoluptati & gaudijs opera daretur, hora decima noctis classicū personuit, hoc quasi signo excitati Anabaptistæ concurrunt in compitis &

plateis uociferantes, Vitam uestrā emendate, qui hac nocte saluus & diues esse uelit, nos accedat. Tum quisq; ad suā se recepit factionem, & manipulatim iam discurrentes præfectum uigilum & stationarios inuadunt, & prope prætorium interficiunt, in quod & irruunt & occupant. Pars altera ciuium sanior atque constantior illud mox obsidione cingit ad diluculum usq;. In quo machinas & schalas erigunt, glandibus concutiunt, conscendunt & assiliunt, & cedente uictoria iustis omnes factiosi tam ualide conclusi & superati partim globis tormentarijs, transuerberantur, partim pugionibus & hastis cōfodiuntur, & decollantur. Et ut omnibus hæc uindicta iustissima timori & exemplo foret posteris, cadauera cistis inclusa e turribus undiq; suspendebantur, & insepulta manebant. Hanc igitur mercedem ac finem inglorium ac miserabilem prorsus, consequuta factio, tunc quidem desijt, sicut sectæ aliæ, quæ pro nefas Dei uerbo & euangelio quasi impietatis pallio, suam iniquitatem cōtegere nituntur, ut multis hactenus claruit exemplis.

Multis uxoribus Rex undiq; stipatus uitā prorsus animalē potius dixero brutalē agit.

Rex interim Monasteriensis suorum necem & bis miserum exitum ignorans, & inopum quibus in ciuitate sine commiseratione imperabat, calamitatem paruipendens, splendide molliterq; uiuebat. Nam meretrices quindecim uxorum nomine habebat. Fas enim esse cuique sex uel septem uxores ducere: Sic matrimonium innouandum, ut baptismus, aiebant. Quod equidem scripturis industrie satis & callide, nescio tamen quibus comptum uidebatur, nisi forte sanctissimorum Patriarcharum uitam in procreanda ex diuersis sobole in exemplum temere producant, ac ita fucum faciant, uel etiam quod Dei uerbum & benedictio ipsius sit, crescere, multiplicari & replere terram, & proinde omnem congressum & uitæ institutum esse peccatum, excepta puerorum procreatione. His etiam addebant: Quod cum uir Dominus & caput mulieris sit, æquum esse ut ipse mulierem libertate superet.

Huiusmodi cauillationibus & fabulamentis populus nouarum rerum cupidissimus, plurimum delectabatur, quia carnem ipsam pruriebant, & uitam indulgentiorem molliorem que præstabant, ita quidem ut quemadmodum barbari homines athei & Turcæ Mahometem quasi Deum colunt, sic homines in fide Christiana edocti & educati, deliramentis quibusdam obfascinari stulte se permittentes tyrannum istum cum suis pseudoprophetis

conf-

consiliarijs, & belli ducibus, non solum pro diuinis quibusdam ue nerati sunt, uerumetiam omne suum peculium, omnem thesaurũ, omnem suppellectilem, omnia ornamenta & monilia, in commune comportantes, proprietatem communitate immutant seu potius peruertunt. Rex satellites suos, uiridi cæruleoq; colore tincto, serico uestiebat, quo inquam ornatu, cœlestem ac terrenam potestatem sibi concreditam significabat.

Et hoc sibi loco idiologij usurpauit dictum, Dei potentia, mea uirtus est. Sic oportere uidebatur, tremendum Dei nomen luere, & omnis malitiæ ignominiosum quoddam uelum constitui debere. Cæterum Rex pro sua calliditate, seditionem ueritus rei frumentariæ quosdam præfecit, qui populum famelicum certis mensuris & horis alimoniam præbeant. Quæ cum ipsos deficere cœpisset, inita est aduersus Regem coniuratio, de qua certior ipse factus quadraginta septem e numero coniuratorum gladio cæcidit. Consumpta igitur annona, & euacuatis condis atq; promis ad muros magno labore arua parant, rapis pisisq; serendis, & herbis radicibusq; humano æsui cõmodis opportuna, quæ cum prouenissent ea æstate se sustentarunt. His deniq; pariter absumptis, canes feles, & huius generis feras mactarunt, ut nihil etiam animalium iam superesset, quam duo equi, plerique nimia fame confecti humana cadauera arrodebant. Postremo corium undiq; ex detritis calceis alijsq; indumentis relictum per officinas quoq; discurrentes huc illucq; comparant, quod una cum pellibus, fragmentisq; ac sarmentis interens tes, panem inde sibi conficiunt, & pro obsonio melotes elixant, lana setisq; euulsis. Nihilominus tanta circumuentis & oppressis calamitate, impostor ille uersipellis homines inducit ad amarã & mortiferam patiẽtiam, nedicam luem præsentissimam, & his uerbis solatur, Deus ipse uos probat, uestramq; constantiam, tentationibus istis explorat. Pater ipse breui uos liberabit. Quod etiam æqui boniq; consulunt, nec ullis licet præsentibus iam tribulationibus, & extremis periculis credunt. Hac nimirum arte suadendi non modo rudiores, imo uero peritiores tam stabili fiducia fulcit, ut emori potius fame uellent, quam sese propicijs dedere principibus. Quidã ad hostes fuga cõtendebant, spe exigendæ uel inueniendæ clementiæ, alioquin sane citius emoriendi, eo quod fame diutius & grauius cruciarentur, anteaquam occumbere queant. Nullum quippe mortis genus grauius putatur, quam id quod famem consequitur.

Dictũ Sathanicæ & Luciferianæ superbiæ cõforme.

Calamitas ciuilis ex annonæ defectu.

Nonnulli præ imbecillitate uirium & defectione, manibus pedibusq; repebant, alij deniq; in itinere præ fame suffocati in terram corruerant. Res sane horrenda & uisu miserrima. Adeo nempe tabe tacti & erosi erant, ut cutis ipsa sine carne squalida uix ossibus neruisq; hæreret, uidisses cutem in adolescentioribus uietam & corrugatam: Caput uero collo tam tenui & gracili extare, ut magis portio illa humani corporis gruibus responderet, quam hominibus. Sinciput excauatum, aures flaccidas, pallentia labra, genas rugis persulcatas, mentum acutum & uacillantes poplites, nares deniq; conuulsas, & corpus macie confectum, uigoribus exhaustũ, & exangue uidisses, ita ut uix corpus sustentare ac circunferre possent, tantus ubiq; languor, tantaq; ne dicam impotentia, imo tabes obsessos inuaserat. Quidam ad hostiũ castra bacillo subuixi transibant inermes, ij uero qui foras proserpebant, cum ad medium iter peruenissent, exanimati sunt. Quicunq; ciuitatem egredi propter pœnuriam ac famem uolebant, ij primum regi se sistere, & necessitatem indicare debebant. dimittebat igitur, sed nudos, bonis eorũ proscriptis, cum tali imprecatione, nunc ecce discedite & ad hæreticos conuertimini. Insuper quinquaginta duo milites, matronæ cõplures & uirgines, nec non uiri senio forte graues & imbelles emittuntur, quos intra muros & gerras manere coactis, frondibus & gramine seu etiam fœno more brutorum animantium, uesci oportuit, donec natura penitus deficiẽte & tabescente extinguerentur. Interea uiri ac milites illinc dimissi & adhuc residui, qui sericis & deauratis uestibus quondam sacris erant ornati, ab hostibus discerpti sunt, ac uulneribus confossi, mulieres uero utpote matronæ & uirgines quibus uires abeundi erant, in exilium relegantur.

Sed eo iam uenerat penuriæ Rex ut uix mensibus aliquot spacium uiuendi suis Ducibus quos nouiter creauerat, satrapisq; & duplarijs, qui assolent quotidie allatis ex aula Regis, cibis, exaturari, concederetur. Nam septem dolia uini, uas unum cereuisiæ, carniũ & farinæ unum iam solum supererat: Quæ cum Rex militiæ ferarat, mittit ad castra. At uulgus quod uidelicet panem tribus septimanis non gustauerat, consiliũ captat, quibus artibus posset auxilia, & alimenta consequi. Tum quidam Ioannes uocatus Langenstratus, Regi multũ familiaris, & Vigilum Præfectus, uir magnæ authoritatis ac fidei apud Regem & socios, se mox offert quasi

periculum

periculum facturus de commeatu & trecentis præsidiarijs intra quatuordecim dierum spacium, in urbem adducendis. Hoc igitur prætextu profectus inde, ad hostium castra uenit, cupiens bona fide quod in rem ipsorum omnium foret, quædam Episcopo communicare, cui tandem ea lege ut nimirum illæsus ac liber abeat quo uelit, numerata summa pecuniaria, ciuitatem proditione tradere uelle spondet. Sortito rem omnem sic agit sub horam noctis (quæ D. Joanni Baptistæ sacra erat) decimam, promittit si tempore statuto ad portas crucis silenter adsint, ciuitatem se tradituram illi. Hoc modo pactus cum hostibus index ad ciuitatem reuersus Regem salutaturus accedit, consolaturque, nunciabat enim omne negocium ex animo sibi successisse opitulante Deo Patre. & ut ante septimanā tertiam commeatus & suppetiæ præsto sint curasse. Nocte illa iam imminente, hostibus nimirum præscripta, Præfectus Vigilum qui index fuerat, ad uigiles sic loquitur: Hac nocte exercitum & commeatum præstolor, quare uestram seruate stationem quietam atq; tranquillam, frontem exporrigite, uestra nihil interfit.

Hora noctis decima hostes aderant, & aperta porta cum certa significatione ab Indice data, irruunt, & sine strepitu pedetentim & caute ingrediuntur ad quingentos usq;, cum antesignanis aliquot & legionibus, ac primum quidem stationarios omnes occidunt. Deinde latius progessi obuios quosque gladio feriunt. Magno hinc inde excitato clamore atq; tumultu, ij qui in ciuitate morabantur, concurrunt, resistunt & obluctantur, & quum in hostes facto impetu irruere moliuntur, non proficiunt, & clausa porta confestim in eos qui fuerant ingressi facto impetu complures interficiunt. Post ubi horis fere duabus inter se acerrime dimicassent, milites qui in turri aut etiam specula nocturna a foris erant inclusi, ui magna obices & repagula illius effringunt, ac ita socijs introitum parant, qui mox turmatim intro irruunt. Licet autem Catholicis Anabaptistæ primum fortiter satis resisterent, et forum in tutelam et offirmationem sui obtinuissent, tamen cum animaduerterent se uinci et primo duellio magnam in eos editam stragem, ut in gratiam recipiantur postulant, et impetrant. Rex autem et Knipperdollingus eo tempore uiui comprehenduntur.

Ciuitas proditione capitur.

Rex comprehenditur.

Quod Bernhardus ille Rotmannus (qui malis sane auibus pseudeuangelium Lutheri primus ibidem ebuccinare præsumpsit)

comperit, animum protinus despondet, seseque gladijs hostilibus obiecit, uolens potius in acie acceptis uulneribus miseram animã reddere, ne quemadmodum & socij uiuus in spectaculum ad uaria supplicia trahatur.

Capto iam Rege cæteri qui tum adhuc supererant Anabaptistæ, hastam, ut est in adagijs, abijciunt, nunc huc nunc illuc ad latibula, ut pote ad penaria, recessus etiam sordidissimos, antra, angulos deniq;, sese ut poterant commode & tempestiue recipiunt, & tanta mortis angustia pectora ipsorum concutiebantur, ut refugij locum uix usquam consequi possent, & quemadmodum somnianti contingit, qui dum periculorum spectris, & mortis imaginibus commotus, atq; perterritus cursu euadere laborat, nec ita potest, quin sæpius impingat, & tandem obrui se putat & præcipitari, ita & hi nimio horrore perculsi uix effugium aliquod mortis reuera imminentis, (quæ uitæ humanæ periculum omnium maximum esse uidetur) reperirent. Instabat hostis ferox & truculentus nemini parcens, sed furore succensus passim per tecta ruit in domos, omnia deuastans, & qui usquam latebant, non dissimulat, sed mactat & trucidat. Cædibus hic diebus decem grassatũ est, mulieribus aut nullis aut sane perpaucis forte grauidis, non tamen ijs omnibus parcitur. Ciuitas igitur aut fame aut gladio interfectis, plateatim constrata uisu horrenda erat, domus passim cadauera habebant adhuc insepulta, quæ fames partim, partim hostis absorpserat. Per uicos, uxores maritos suos, matresq; natos & pusiones deplorabant, cœlum lamentationibus clamoribusq; replebatur. Porro infandus sceleratissimusq; Rex tantæ miseriæ tantæq; in homines immanitatis patratæ principium & causa, uinctus millo ferreo post triduum inter equites in oppidulum tribus miliaribus distans ducitur, ad castrum Dulmense. Quamprimum uero Episcopus hominem illum flagitiosissimũ intueri cœpit, ad eũ sic ait: Ah Nequam, q̃ tu meos misere perdidisti? Tum nefandus & crudelis tyrannus contumeliose, seipsum nimirum honorans, & Episcopum irridens subiecit, Nihil penitus damni tibi intulimus, Papa, imo ne teruncium quidẽ abstulimus, quippe qui ciuitatem munitissimam tibi dedidimus. Quodsi aliquo putas te affectum dispendio, nostro si uti uelis consilio, facile resarcietur. Hominis temeritatem admiratus Episcopus, subrisit. & q̃modo inquit? Mox ille, Ferreo includas me inquit, ergastulo corio obducto, & undiquaq; p regiones uehito. nec prius cuiquam

cuiquam facultatem cōueniendi me & uidendi facito, nisi album unum soluat, ac ita plus tibi pecuniarum corrades, quam in castris tuis expendere potuisti.

Verumenimuero non plane uana fuit & conficta Anabaptistarum sententia, qua sibi persuasum habebāt, Esse quosdam qui uellent ipsis opem ferre: Nam circa obsidionis initium excreuerat magna Anabaptistarum colluuies, qui ex Hollandia, Gelria, & Diœcesi Traiectensi conuenerant, ut socios obsidione liberarent. Tres sibi naues compararant. In duabus uiri inermes erant, in tertia mulieres tantum, quæ hastas, bipennes, puluerē nitratū, bombardasq; habebat, & id generis instrumēta, secretius abdita. Quibus exploratis, a Carolo Gelriæ Duce, Georgio Schenckio ꝑfecto uicario Ditionis Traiectēsis, cū uiris & mulieribus in profundū maris merguntᷓ.

Cæterum ut redeamus unde per occasionē digressi sumus, Captum tyrannum Episcopus serijs uerbis adoritur, & interrogat, Quo iure, quaue potestate sibi in Ciuitatem & municipium suum talem tyrannidē uendicare præsumpsisset? Tum ille uicissim pertentatur. Quisnam inquit, tibi dominium ciuitatis contulit, a quo cedo potestatē hanc obtinuisti? Dicente Episcopo, Ditionē sibi cōsensu principū ibidem & populi obtigisse. subdidit ille, a Deo se uocatum esse ut administrationē ibidem & gubernationē susciperet. Sed missam faciens tam ineptā & impudentē responsionē ipse Episcopus, & dimittens, Monasteriū Rex & lictor Knipperdollingus quondā Consul, ducunt, ac inibi carceribus singulis mancipantur. Quo etiā die uenerunt eodē Episcopi, Colonieñ. & Monasteriensis, cū legatis Ducis Cliuensis. Biduo proximo ꝓposita sunt & exhibita fidei Christianæ, captiuis nimirū, exēpla, & obseruationes, quo ab erroribus suis conuertantᷓ & resipiscāt. Tunc Rex (ut scriptis ꝓdidere nōnulli) peccatū & errorē cōfessus, Christo ꝑcibus se cōmendauit, reliqui duo nullo modo impietatē & delictū suū cōfiteri uolebant, sed ꝑtinaciter omnino causam iniquissimā q̄si iustā tuebantur.

Die tandē xxiij. Ianuarij, anno M.D.xxxvi. Rex ad spectaculū deductus palo alligatᷓ, & a duobus lictoribus ignitis forcipibus discerpitᷓ, ad trinā arreptionē cōticuit, ac deinde diuinam implorat misericordiā. Toto igitᷓ iā corpore ꝑ unius horæ spaciū dilaniatus, ultimū acerbissimumq; pugione in cor infixo ictū tulit. Pari supplicio socij quoq; interierūt. Cadauera ferreis ergastulis inclusa e turri excelsissima suspendunt, regis quidē cadauer cū Ergastulo aliquot cubitis altius cæteris duobus mediū imminebat. Hoc

Regis Anabaptistici & sociorū supplicium & interitus.

Clementis septimi obitus, Pauli Tertij successio.

Hoc eodem anno, mense Septembri, Clemens Septimus Pontifex Maximus, excessit e uiuis, ueneno ut fertur sublatus. In cuius locum Alexander Farnesius surrogatur, qui deinceps Paulus Tertius uocatur.

Eadem tempestate, Clareuallis oppidum Galliæ fulmine succensum in spacio trium horarum funditus corruit. Ciues flammis sic intercepti sunt, ut quum non possent per portas effugere, coacti sint e muris in fossas seu mœnia se præcipitare, & miserabiliter interijre.

Erat eo tempore calor æstiuus adeo uehemens & intensus, ut multi pagi ac uillæ calore concepto incenderentur, & repente absumerentur.

Montaburū, quatuor horarum spacio penitus incēdio conflagrauit.

Duobus miliaribus oppidum quoddam a Confluentia distans uulgo Montabur, miserabili prorsus incendio conflagrauit. Erat enim in æditiori loco situm, totius ditionis Asylum, & Emporiū. Hæc autem conflagratio ex carbonibus plaustro impositis, nec satis apte extinctis ortum habuit, unde tanta uis incendij prorupit, ut intra quatuor horarum spacia totum illud oppidum ad solum usq; concrematum sit. Centena aliquot ædificia ad fundū usq; conuellebantur, ita ut ne una quidem domus subsistere ualeret, adeo cuncta concoxerat ardor, tota ciuitas quasi una aliqua domus flammis exæstuabat atq; fumabat, Campanæ liquefactæ e turribus soluuntur, & magno cum tinnitu particulatim præcipitantur, portæ dilapsæ, & ad fastigium usq; cōcrematæ sunt. Denique tanta erat ibidem uastatio, ut ne teruncium aliquis secum inde quiuerit auferre, multorum bona & armenta dissipata sunt & exusta, plurimi euasere, alij præuenti per muros se demittere compulsi fuere.

An. 1535.

Inundatio & tempestas.

ANno uero M.D.xxxv. circa Moguntiam tanta intemperies aeris deseuijt, glarea, imbribus atq; nimbis intermixta, ut cuncta quæ passim in agris nascebantur radicitus subruerentur, diffluerent, & uastarentur. Aquarum autem hinc inde confluentium exundantia sese ad pagum Vndenhemium receperat, quod cum in ualle situm esset, magna & copia & celeritate & impetu totum ipsæ aquæ permearunt, imo potius submerserunt. Nam intantum excreuerant, ut dormientes subito abriperētur, & ij qui tecta & areas conscenderant absorbebantur, nullum erat tam firmū ibidem ædificium in quo se tuto committerent, homines & iumenta, mariti,

uxores,

uxores,ac nati nataeq; fluctibus inuoluuntur cum domibus omniq; supellectili.

Homines nimirũ quadraginta,equi quinquaginta, praeter alias pecudes,pueri centum & quinquaginta miserrime suffocati perierunt.Et postquam illa inundantia iam substitisset suam nacta tranquillitatem, magna quaedam pars aquae glaciae coacta & spissa reperta fuit:quae quidem colliquari non potuit,sed cum tandem diffisa & sublata esset,multitudo hominum submersorũ inuenta est.

Hoc insuper anno Carolus quintus, Lusitanorum ope, & Andreae Doreae Ducis Melphiaui (qui nimirum per mare Ducem belli agebat) industria fretus,cũ innumera nauium & triremium multitudine simulac militibus bellicae rei peritissimis, utpote Germanis, Hispanis, Gallis, Siculis instructos, Barsalona prima Iunij soluit, & in Aphricam fauste celeriterq; traiecit. Tandem die decimo sexto Iunij Thunetũ appulit, & eductis secum copijs pedestribus, barbaros ibidem oppugnare,mox turrim quae ad mare spectabat uulgo Canaliam expugnare,om̃es tunc suffocationibus perierunt, qui pro turri certabãt. Deinde in ciuitatem Goletam irruptionem fecit,foeliciterq; suo subiugauit imperio, trucidatisq; ijs quos in ciuitate repperit, diripuit & spoliauit. Posthaec aspirante uictoria, Thunetum cum arce capit, & profligato Barbarossa,qui cum paucis uix euaserat,Regem Thunetanum in regnum restituit,quippe qui Barbarossae tyrannidem expertus, ad Caesarem supplex uenerat.Ciuitatem sibi tributariam constituit,quae singulis annis loco tributi uiginti quinq; milia Ducatorum penderet. Christianorum milia uiginti,quos Turcica immanitas illuc quasi in pistrinum abduxerat,& iamdudum afflixerat redemit,at cum incidisset in milites,numero quinq; fere milia,qui partim ex Gallia merendi causa aduenerant,in Christianorum tamen castra militaturi,quod perfidiae erat, omnes gladio perimi iussit,cum alijs puta Turcis,Mamuluchis,& armamẽtarij praefecto.Consecutus est praeterea inibi, Caesar ipse,carissimum Barbarossae thesaurum,commeatum naues atq; trieres magno equidem numero.Porro ut parceretur Regi profugo,Caesar cum suo milite prudenter egit,ne diriperetur aut etiã spoliaretur ciuitas,sed manubias & spolia maiora promittit,ac alio modo illi uelle se prospicere.Propugnacula uero Canaliae Caesar sibi retinuit atq; muniuit. Reuersus inde Caesar incolumis & tot uictorijs diues,Siciliam appulit,ubi a Messanensibus & Neapolitanis

In Thunetum expeditio,eiusdem foelix & insignis expugnatio.

gloriose exceptus est. Nam ubiq; triumphi & infiniti præciși specta cula, Scenica trophea, & columnæ triumphales obuiam sibi celebra bantur.

Schiltaci oppidi conflagratio.

Sub id temporis, Schiltacum oppidum ad Herciniam syluam situm, penitus conflagrauit, a cacodæmone ut quidam referunt, & literis proditum extat, succensum, quod equidem mihi haud fit ue risimile, cum spiritus sit per se incorporeus, licet permittente Deo assumpto corpore suo maleficio satis idoneo, multas in rebus humanis perpetret illusiones, damna & pericula. Credibile tamen ma gis esse uidetur, hoc euenisse per filios iræ & diffidentiæ, cũ quibus ipse depactus quasi instrumentis ad omne malorum genus abuti tur, quos etiam tanquam Iudaitas diabolicos appellare non iniu ria possem.

Adhæc nobilem quendam equestrem repente hiatibus terræ ab sorptum esse uiuum, quod frumenta suis egenis oblato iusto ni mirum præcio recusasset. Præterea Patremfamilias cum suis proli bus præ inopia ac fame suspendio se peremisse. Quæ quidem scribo non tanquam certa & uera, aut mihi deniq; perspecta, sed ut ut est, dimitto. Vellem nihil, edi typo, nisi uera atq; comperta, in historiis potissimum, in quibus res ueraciter gesta, non placita aut somnia cuiusquam recenseri debent atq; describi, quo tandem etiam typo graphia nihil temere effutiat, sed authoritatem & dignitatem suã obseruet. At prohdolor hoc nostro seculo, mentiri studiose & fraudulenter imponere ac si liceat, liberũ fit, & quod magis est dis simulatur, imo applauditur quasi recte factum, nec deniq; curæ cui quam est, quomodo, uel qua merce pecunia habeatur, aut deniq; quid dicatur, scribatur, agaturq; & imprimatur, ita quod eo de uentum sit nequitiæ & insolentiæ, ut cum exhausti sunt scriptores & typographi quidã, uaria, insolita, peregrina & ut ita dicam mon stra & prodigia pro rebus cudantur gestis, & ita pro uera uenditur delirium historia. Quo sane fit, ut non solum populus seducatur, & lingua auresq; uulgi laxentur, uerumetiam siue per fas, siue per nefas ab huiusmodi nugiuendonibus uulgi crumena emungitur. Simul ita confidentissime cõstantissimeq; tricæ siue nugæ pro num mis, mendacia pro ueris, somnia pro gestis afferũtur in publicum, quasi merces egregiæ & præciosæ.

Vnde dubitat Historiographus & ignorat, dum hæc legit, quid nam imitari debeat; quod in istis circunforaneis libellis, nihil ueri

narretur.

narretur,aut sane quod sit credibile.

Hoc itidē anno in profesto Petri & Pauli,ciues aliquot & municipes Ambergenses,uiginti quinque numero,fœdus ineunt sociale. Erat enim tribus instinc miliaribus distans inter montana non pcul a pago Predenvuindensi,spelunca inaudita & infrequēs, nongentarum claphterarum siue ulnarū. Sancito itaq; fœdere pergunt eam lustraturi,& quo tutius & facilius exeundi facultas concederetur,restem quasi Theseum quoddam filum tendunt,& cum lucernis & thedis, scalis, commeatu, esculentis & poculentis (quibus per dies aliquot sese sustētarent) ingrediuntur. Vbi mira quædam spectra, utpote ædificiorum,statuarum,orchestras quoque & theatra conspexerunt,torrentes præterea & sonantia flumina,fontes deniq; suauiter scaturientes, & multa sane prodigiosa & tenebrosa perceperunt. Nam inter cætera multitudinem quandam cadauerum quasi morte damnatorum repperereunt, quæ humanam quidem speciem habebant, sed magnitudine & uastitate gigantea, in cuius rei ueritatem,aliquot ossa ex istis arripuerunt & postea secum extulerunt.

Spelunca miræ & prodigiosæ magnitudinis.

Loca umbrosa,ambages tenebrosas abditissimasq; inueniebāt, latibula quoq; angustissima, ut etiam unus post alterum uicissim perserpere colubrorū siue anguium more deberet. Et ne quisquā effugeret,nec ullis pateretur se periculis a sodalitate dirimi, duos sibi præficiunt tanquam antesignanos, quibus obediant, & fidem seruent. Vnus tamen illorum nimio metu perculsus, factusq; profugus,restim arripit, & ad os speluncæ prope mortuus euasit. Quidam aderat qui uarias apud se habebat herbas lustrales. Is ergo lapide petitus tantum sanguinis profudit,ut prope exanguis redderetur. Nam a socijs refocillari debuit, & post ictum uno priuatus est oculo. Dum autem circunspiciunt, undenam hoc infortunij accidisset scire cupientes, forte fortuna speciem quasi mulieris conspexere. Tandem nihil aliud cernentes ludificationem siue illusionem esse duxerunt. Cum iam ulterius progredi non possent, reuersi, in mirabilem & horrendam quandam speciem transformati, & fere exanimati omnes speluncam illam prodigiosam exierunt. Horis tantum octo ibidem manserant. Viderunt insuper præter alia spectra,palatia,amphitheatra cum basibus atq; columnis quasi per se natis,statuas,& imagines tanquā in prærupta rupe aut monte excisis, alicubi locum tam amplum, ut simul omnes illi, uiginti

f ij nempe

nempe & quinq; coniunctim incedere cõmode possent, nonnunquam uero tam uasta & arcta loca sunt nacti, ut unus alterum donec pertransisset, expectare coactus sit. Hactenus ut Bertholdus Buchnerus literis testatus est (qui & socius itineris illius erat) bona fide retulimus. Quicquid autem uisorum fuit, Deo committamus, cuius omnipotentia ubiq; mirabiliter & gloriose relucet, qui uastissimam & immensam terræ molem homini possidendam, & gubernandam dedit, in qua tot flumina, fontes, aluei, stagna & maria existunt, ut ea transuadare uix unus homo queat, tot montes extant adeo sublimes, ut nequaquam emetiri possint, quorum fastigia nubes multis parasangis transcendunt, & his deniq; cauernæ, specus, & latebræ profundissimæ, aliæ quidem mineræ opulentissimæ, aliæ uacuæ, obscuræ penitus & abditissimæ, quarum originem ac finem homo scrutari nõ potest. multa quippe sunt, & fiunt quorum causas Philosopho teste, ignoramus, quas ita quoq; Deus nos latere uoluit, quia ad nos minime pertinent.

Selesiam horr[illegible] tempes[illegible] [illegible]

Prima Septembris tanta tempestas quandam Schlesiæ Ciuitatem uulgo Els, quarto miliari a Breslá distantem, sub noctem intempestam spacio unius horæ occupauit atq; concussit, ut quadraginta domus nudarentur tectis, sicq; æquarentur ac si ex industria fuissent complanatæ, homines octo turbine ibidem exagitati occubuerunt, multa fastigia, testudines atq; camini in terram magno cum impetu corruerunt, currus quidam coriaceo uelo obductus turbine correptus, & sublatus in tectũ domus exiliJt, ita quod posterioribus rotis suggrundijs interetur, prioribus uero hereret siue dehisceret in terram. Hoc prodigij in exemplum diebus aliquot inde pendere ciues permiserunt, donec Princeps eorum adueniret, de iactura hac & detrimento ciuitatis percepturus.

Monstrum Marinum

Erant eo tempore Monstrum quoddam Marinum septiceps consecuti ipse nautæ, quod primum Venetias allatum fuit, & inde Augustam ad pharmacopolam quendam.

Casparus Querhamerus, [illegible] Christi [illegible]sarius.

Sub id temporis Ciuis quidam Hallensis, Casparus Querhamerus nomine, triginta sex themata sibimet inter se plane contraria ex scriptis Lutheri selegit, quæ typis procudi fecit, forma mensali, quo nimirum pensilis haberetur & parieti commode aff.xa, omnibus conspicienda & lustranda proponeretur. Vt tandem improba Lutheri & fœda inconstantia cunctis ad oculum innotesceret. Titulus autem huius tabulæ hic erat:

Tabula

Tabula ĳs omnibus qui se a Luthero non patiuntur seduci, utilis & necessaria.

Hoc insuper anno, Henricus octauus, Anglorum Rex, considerans nulla ratione Pontificem Max. adduci posse ut in diuortium consentiat (quemadmodum supra memoratum est) magis, magisq; exacerbatus est ipsius animus.

Vt igitur talionem Pontifici reddere uideretur, uirulentam Lutheri doctrinam, quam prius adeo constanter & strennue scriptis, & libris improbarat, erroris & mendacĳ, ne dicam impietatis conuicerat, sensim in regnum suum atq; dominium subrepere permittit, in contemptum uidelicet Pontificis, omnes authenticæ & Catholicæ religionis assertores & cultores, seu etiam eos qui suo diuortio contradicerent, persequitur. Mandat sub pœna proscriptionis & mortis, ne quisquā decreto quod ipse cum Senatusconsulto & socĳs æditurus esset, reclamet uel obmurmuret. Habebat autem Decretum, ut omnes subditi Regem suum agnoscant, obseruent, & colant, tanquam caput ecclesiæ, Christoq; uiciniorem, Pontificem uero non ita. Præterea, Dicat unusquisq; & sentiat, Regem iuste recteq; fecisse, quod repudiata uxore sua legitima, alteram duxisset. Huius sane Decreti uidelicet forma & euulgatio, probis quibuscunque Catholicis seu Christianis dura & indigna uidebatur.

Origo immanitatis in fidos [illegible] religiosis [illegible] propugnatores et sanctissimos [illegible] per Anglicam patres [illegible]

Erat eo tempore inter alios Viros Christianæ religionis amantissimos, Thomas Morus, fama celebris, nobilis & ingenuus heros, regni totius Archigrammateus, quem Cancellarium denominant, alter a Rege. Hic animaduertens ut uir erat prudens & solers, quorsum tenderet id Decreti, sponte ac libere muneri quo hactenus erat diligenter functus renunciat, ne tam impio diuortio subscribere, consilium & auxilium ferre cogeretur. Perpendebat itidem apud se, si pro ratione sui officĳ subscribat, multos honestos & integros ibidem uiros qui consentire nollent, Regis decreto, se debere condemnare, & morti innocenter adiudicare.

Thomas Morus officium suum [illegible]

Tum Rex quod futurum erat suspicatus, proscriptione bonorum inprimis Thomam ipsum multat, & perpetuis quasi carceribus mancipat. Qui postea quā mensibus aliquot, carceris angustias esset perpessus, tandem mense Iulio, anno nempe XXXV. supra millesimum Quingentesimum, ad præscriptum sibi tribunal, quod

Thomas proscribitur.

longius a castro captiuitatis, puto, loco, ad alteram Ciuitatis partē destinatum, distabat, rationem sui propositi redditurus coram iudice deputato, educitur. Itaq; Morus, bacillo subnixus, & calamitosus, corpore marcido & exhausto, sed intrepidus & uultu sereno e carcere descendit.

Ac primum quidem ipsi aliquot propositi sunt articuli, accusationis seu potius calumniæ, de trangressione edicti. Quibus iam in medium adductis & recitatis, Cancellarius nuper creatus & Dux Nortvuidicus, ad Thomam Morum his uerbis loquuntur: Modo consideras Magister More (nomine Magistri gens Anglica uiles atq; plebeios etiam dignatur) quam grauiter Regiam Maiestatem offenderis. Veruntamen speramus omnino si huiusmodi opinionem tuam adeo absurdā & cōtumacem, q̄ hactenus sustinuisti eiurare uelis, fore, ut cum Rege in gratiam redeas. Tunc Morus sermonem exorsus, sic ait: Gratias in primis toto pectore Viri Principes uobis ago pro uestra erga me beneuolentia, simulac Deum Omnipotentem obnixe rogo, ut mihi animum uiresq; concedat, hanc meam sententiam in mortem usq; defendendi. Præterea cum perpendo & examino quam prolixi & graues sint illi articuli quibus quasi reus decernor, sane uereor ne uel ratione, aut solertia, uel deniq; memoria destituar, quinetiam metuo ne frustrer oratione digna & necessaria, quæ sufficiat meæ purgationi, propterea quod longa incarceratione totus fere marcore quodam confectus, & ita fractus corpusculi istius uiribus defecerim, & obriguerim. Interim iubente iudice sedes Moro posita est, & cū sessum cepisset, inchoatum sermonem prosequitur in hunc modum: Vt igitur ad primam obiectionem respondeam qua mihi imputatur, quod uidelicet, in actione & tractatu instantibus iam sponsalibus & coniugio, maleuolum & seditiosum animum in Regiam Maiestatem exercuerim, fateor ingenue uerum quidem esse, consilijs meis Regi semper in hac parte restitum esse. Et eiusdem plane sententiæ sum modo, ut nihil diuersum ab eo quod prius in hac ipsa de faciendo diuortio dissuasi, dicam. Siquidem fides & conscientia dictant & urgent, ut Regem ueritatem ipsam non celem, sed absq; fuco manifestem. Quocirca nō est quod ulla ratione proditionis uel seditionis insimuler. Verum potius, si hac in re tam graui & difficili unde honor Regis, Regni deniq; totius pax & concordia pendet, consiliū non communicassem, sed gnatonum more ueritatē ipsam palpare & ob-

& oblinere assentādi causa studuissem, tum demum dignus essem, qui proditor censear, qui nequitiæ, perfidiæq; coarguar. Et sane in emendationem seu correctionem potius excogitatæ calumniæ du riter castigatus sum. Nam publicationem bonorum pertuli, posses siuncula mea, prædiolum, & prouentus omnes ad alienorum manus deuenerunt, insuper perpetuis carceribus adiiudicatus sum, & subiectus, ubi mensibus septendecim huc usq; me talem ut cernere coram potestis, sustentaui. At uero hæc lubens prætereo, ut interim ad alia transeam, & planius negotium intricatum explicem.

Quum itaq; obijcitur, quod pœnam uiolati regij edicti inciderim, cuius nuperrime in Consessu quando ipse uinctus in carceribus detinebar, promulgatio & declaratio facta est, quod honori dignitati Regis aliquid derogarim & iniuriam fecerim, qui etiam illo edicto & decreto præcepit, nimirum ut sua Maiestas post Christū Ecclesiæ caput Anglicanæ declaretur habeaturq;. q̃d deniq; ab Amanuense siue Secretario Regis rogatus, qui decretum & Edictū mihi arrideret, nihil amplius adiecerim, sed tātum istud responderim, Me quidem optare feruenter negocijs & curis secularibus defungi, & Deo deinceps seruire, ad hæc inquam diluenda aut sane latius declaranda, dico quod iure aut uigore uestri Edicti & Decreti iam diuulgati, ex quo taciturnus istiusmodi constitutionem nec cōmendarim, neq; uituperauerim, non sit uobis ulla potestas me aut damnandi aut occidendi, quia neq; uestro. imo ne totius mundi quidē edicto potest quis propter taciturnitatē suam condemnari uel deniq; perimi, at bene quidem propter uaniloqṗium & commissum suum, quippe solius est Dei de arcanis & occultis, qualia sunt cogitationes corde tantum conceptæ, hominem iudicare, qui idipsum potest.

Ad hæc Regis causidicus & actor repetendo ait: Huiusmodi taciturnitas tua, o More, ualidum & manifestum satis argumentum & testimonium est alicuius in te sinistræ opinionis, quæ non faueat, constitutioni huic Regiæ, quia de hac ipsa quid sentias, quidue cōsultum uelis non eloqueris. Quandoquidem subditum decet æquū uidelicet, & Regi suo fidelem, siquando alicuius constitutionis per Regem editæ causa, percontatur, tum inquam decet illū, tenetur quoq; & obligatur iuramento, libere absq; conticentia siue dissimu latione, cum ingenua & aperta quadam attestatione respondere, constitutionē huiusmodi Regis legitimā ac ratam haberi debere.

Ilico

Ilico Morus subintulit: Si uerum est, ait, illud quod allegant Iura, ut nimirum is qui interpellatur, nec tamen respondet, sileat autem, tacitus nihilominus consentire sic uideatur, iam certe mea taciturnitas constitutionem uestram & Decretum magis confirmauit, & corroborauit, quam sit uel calumniata uel etiam improbarit. Quod uero dicitur, quemuis subditorum Domino suo fidelem, Statuti alicuius uel causæ gratia interrogatū incontanter & aperte debere suam sententiam indicare & enucleare, ad hoc responsum uolo: Fidelem subditum, qui candidi est animi, decere potius, imo oportere, ut Domino Deo, suæ Conscientiæ, & animæ saluti consulat & obtemperet, quā ulli omnino rei. præsertim cum nec mens ipsa nec conscientia dictet aut fateatur me aliqua in rę Maiestatē Regiam læsisse, tantum abest ut proditionis reus siem. Nam ausim uere quidem asserere, quod hac de re nemini mortalium sententiā meam unquam communicarim.

Nunc uero ad alios, quibus impetor, articulos, me conuertam. Occurrit igitur hic articulus, quo mihi denuo obijcitur. Vel hinc me posse conuinci pertentatæ seditionis in Constitutionem Regiam, quod ad Episcopum Roffensem sedecim fere dederim literas, quibus eum ipsum in Edictum illud concitassem. Sane peruellem hic, ut eæ examinentur & coram legantur, quo tandem manifestum euadat, Num illæ me condemnent, an uero contra, me potius excusent, & a sinistra hac suspicione & accusatione liberent. Sed quia obijcitis huiusmodi literas Vulcano tradi, idcirco libere & ingenue istud mihi concessero & uere quidem, quod nimirū aliud nihil in ijs unquam scripserim, quam id sane quod nos ambos concerneret, cuiusmodi neq; ad Regem neq; ad alium aliquem pertinebat, sed potius ut solent familiariter amici & necessarij inter se candide literis de suis tantum rebus ac si præsentes sint, conferre, quemadmodum etiā ueterem atq; sinceram decet amicitiam. Tametsi inficiari nolim in una literarum illarum responsionem quandam contineri, quæ licet Edicti mentionem faciat, nulla tamen ratione hocipsum conuellit. Siquidem cū Roffensis Episcopus certior fieri scripto uellet, quid quoue in statu super Regis Edicto Senatui respondissem, rescripsi, quod meam ipse Conscientiam exonerassem, quod uicissim & ille faciat. Hæc ita nec aliter se habere per salutem animæ meæ palam attestor, Deumq; mihi testem inuoco, ut & ipse meus sit fideiussor. Quamobrem certe uestræ constitutionis

tionis uigore,nec possum nec debeo iudicari uel etiã condemnari.

Ad articulum deniquetertium mihi præterea respondendum incumbit,qui talis erat: Quod ego nimirum rogatus quidnam mihi de Constitutione illa uideretur,responderim,hanc bipenni comparari posse,nimirum. Quod si quisquam illi Decreto parere uellet animæ suæ iacturam,si rennueret, corporis ac uitæ simul,huiusmodi passurum.Quod insuper memoratus Episcopus fassus sit,ut dictis, manifestam inter nos coniurationem siue confœderationem initam esse,ad hæc inquam sic respondeo: Ad interrogationem me non nisi conditionate nec simpliciter loquutum,sub inuolucris & prætextu uerborum, aut deniq; allusione quadam usum fuisse. in hunc nempe modum: Si huiusmodi statutum edatur,quod gladio simile putetur ancipiti,quis modo uellet imminens inde periculum expectare?Sic ratiocinabar. Quid autem Episcopus Roffensis dixerit, utrum ipsius responsio meæ cõformis extiterit,me profecto latet. Atq; adeo nulla inter nos habita est coniuratio,sed prudenter,ut solent doctiores, familiariterq; literis nos inuicem communicauimus. Et ut rem paucis & contractioribus uerbis explicẽ, persuasum uobis modo sit & compertum habete,quod uerissimũ est,uidelicet nihil prorsus a me uel dictum uel scriptum, quod uestræ constitutioni uel deroget,uel aduersetur. Fieri quidem potest quod maleuoli quidam Zoili falso ad Regem me detulerint.

Data hac responsione Thomas Morus, custodi carceris siue lictori traditur, & more patrio duodecim euocantur, qui postulationem accipiant & discutiant,habita igitur modica deliberatione palam uerbo uernaculo Kyllim usi,reum mortis esse pronunciant. Mox e uestigio consurgens Cancellarius,in eum mortis sententiã ex præscripto Constitutionis illius profert. Tum Morus uerba facere cœpit hoc modo: Agedum, Quandoquidẽ igitur morti sum adiudicatus,sed quo iure,& quam iniuste nouit Deus, uolo nunc libere ingenueq; profari,quid mihi de uestra noua uideatur Constitutione,ut Conscientiam meam penitus expurgem. Principio autem dictum uelim toto iam septennio animum me diligenter appulisse, hactenus in cognoscenda huius uestri Decreti ratione, libros, Scripta, commentatores euolui & examinaui, nondum tamen a quoquam scriptorum saltem Ecclesiasticorũ&orthodoxorũ istud inueni probari nimirum ut laicus & secularis Princeps possit aut debeat dici uel esse caput Ecclesiæ, moxq; sermonem Mori interrumpens

Morus innocenter morte damnatur.

rumpens Cancellarius, sic ait: Mi bone Domine, uis ne prudentior & sincerior omnibus Episcopis, proceribusq; aut deniq; toto Regno haberi? Subiecitq; hæc ilico Morus: Si unus aliquis Episcopus uestræ Opinioni subscribat, Domine Cancellarie, & adhæreat, in pclivi mihi sane fuerit plusquam centum equidem probiores & doctiores uiros recensere, qui huiusmodi Decreto aduersantur, mihiq; adeo suffragentur. Et pro uestro Concilio atq; Statuto, qualecunq; id fuerit Deo manifestissimum est, omnia Concilia Oecumenica sedulo perlegi, quæ ab annis mille in hanc rem agitata sunt. Postremo licet totum forte Regnum paternum fidem hic mihi deroget, & quod grauius est, uitam hac in parte recuset, meas nihilominus partes agunt, & qui Franciæ præsunt, cæterisq; Ditionis Christianæ nationibus. Tum Dux Nortvuedinus subdidit: Iam utiq; More tua se prodit modo iniquitas. At ille uicissim: Hæc neq; malicia neq; ira commotus, Domine ac Princeps illustrissime, dico, quin potius necessitas ipsa, testis sit mihi Deus, omnino cogit, Conscientiam liberare. Nam idem ipse abditissima cordis scrutatur. Quamobrem confidenter assero uestram Constitutionem, falso & iniuste æditam esse, eo quod sitis polliciti, imo iuramento ac data fide confirmaueritis, uos nunquam aliquid contra decreta & Canones Ecclesiæ, quæ profecto ut etiam Communio est fidelium, per uniuersum orbem Christianũ, concors plane, indiuidua prorsus & una eademq; est, atq; idcirco uestræ facultatis est minime noua decreta aut canones, inconsultis aliis Ecclesiæ Proceribus & conuentibus condere, atq; sancire. Cæterum scio equidem cur me mori oporteat, nempe in causa est, quod in actionem illius indecentis diuortij consentire noluerim. Confido tamen Deo in quo spes omnis mea uersatur, & futurum spero, ut quemadmodum Paulus B. Stephanum lapidibus obrui permisit, zelo paternæ traditionis accensus, qui tamen postea multis laboribus, persecutionibus & certaminibus exantlatis, particeps factus sit consortij Beati Stephani in regno cœlorum, ita quoq; nos licet modo discordes, iterum uisuros in æterna illa uita ad plenum reconciliatos per consummatã charitatem. Simulatq; Dominum Deum obtestor ut ipse uos omnes una cum Rege seruet incolumes, aptosq; bonis semper prudentissimisq; consiliis. His dictis in carcerem denuo abducitur. Interea spectaculum quoddam ipsa etiam condemnatione seu mortis iniquiori sententia miserabilius editur.

Sleidanus rẽ hic gestã non tã cordate fideliterue narrat, quã si Lutheranus aliquis iuste damnatus castigãdus esset.

Nam

Nam Filia Thomæ Mori natu maior, nomine Margareta, tenera & speciosa bonis moribus, prudens deniq; & liberaliter edocta, patri simillima, audiens parentem sibi charissimum mortis sententiam accepisse, nulla sui uel sexus, aut pudicitiæ modestiæq; ratione habita, omnem uerecundiam & pudorem deponere uisa per turbas irruit, & concita prius ad portam uenit carceris, quam Morus ipse pater. Obuium igitur patrē osculis & amplexibus excipit, animo certe quam amaro, plorat diu, nec potest præ gemitu & suspirio dolorem atq; tristitiam uerbis explicare. Lachrymas tantum in sinum & collum patris sui profundere solatij erat, atq; ita eum detinere. Quæ sane res lictores & custodes carceris alioquin certe in uinctos satis austeros ad commiserationem cōmouit, ut etiam colloquium Patri cum sua filia indulgerent. Tum Morus uerba facturus blande ea malloquitur, & his uerbis cōsolatur: Quæso mea dulcissima nata, patere hæc patiēter, sine lachrymas, nec ulterius te torqueas, quia sic placitū est Deo, a multis quippe annis animi mei arcana nouisti. Et ut mos est patriæ, cum nimirum alter ab altero discedit, eam osculo dimittit. Illa uero decem uix aut duodecim passibus progressa, ad Patrem denuo cursu contendit, iterum adosculatur, & in collum ipsius irruit. at nihil eloqui potuit, intercluso fere aut fluctuante inter angustias cordis pectorisque spiritu, ita ut etiam Pater profusis lachrymis conticesceret, seruata interim modestia & constantia uultus. Tandē uero profatus ait, Ora Deum pro me, mea filia. Erat profecto dolendū & miserandū spectaculū adeo ut quidā ex apparitoribus illachrymari cogerentur. Quod equidē nec mirū, nec insolēs uideri debet, quū sympathia, & amor pietatis imo etiam patris erga prolem affectio res tanti momenti ac ponderis sit, ut etiam Bruta animantia permouere possit. Tunc enim facile cuiuis erat diuinare, quibus machinis & arietibus innocentissimi Mori cor concuteretur. Nam ipse cæteris ita compati & condolere solitus erat, ut omnes misericordia benignitateq; uinceret. Verum hanc filiam unice tenerrimeque semper dilexerat, propter heroicas plane uirtutes, quibus ad miraculum usq; eminebat, & animi sui singularem solertiam. Neq; uero mirandum est, cur Morus Vir incorruptissimus, accepta mortis sententia non expauerit, sed contra constanti & placido uultu sustinuerit obieritq;, multo minus demirandum existimo, quo pacto amorem erga suos, uincere & tam leniter ferre potuerit, quia dubium non est, quin plus sit ex-

Deplorandum spectaculum.

Morus filiam fibrantice dilectam, conjiciens ter alloquitur & cōsolatur.

ulceratus quum sobolem adeo ingenuam & ingenue sibi dilectam deserere debuit, quam ullo aliquo tormento atque carnificina.

Post hæc feria nimirum quarta quæ fuit septima Iulij, in planiciem Morus deducitur ad Castrum sitam ubi rei super æditiorem quandam structuram ad populum uerba facere consueuerant. Veruntamen Morus paucula præfatus, rogat omnes ut pro se Deum præcibus in hoc seculo interpellent, siquidem uellet & ipse uicissim in futuro seculo idem præstare. Adhæc ut pro Rege Deum obsecrent hortabatur, quo tandem ipse cum suo Senatu diuina gratia illuminetur, simulac palam omnibus attestatum iri uult, equidem se libenter occumbere uelle, ut probum decet ministrum & fidelem Regis sui Consiliarium. Postremo hæc ubi dicta tulisset, ad genua prouoluitur supplex, & animo prorsus uirili collum trunco imponit ac securi fortiter submittit, non absq; grandi omnium commiseratione & dolore, quandoquidem ita se gesserat, probauerat cõmendaueratq; cunctis, ut pariter ab omnibus amaretur.

Paucis ante diebus quindecimo calendas Iulij, Reuerendissimus D. Ioannes Fiscerus Episcopus Roffensis, qui non modo incorrupte & sine reprehensione uitam transegerat, uerum etiam huiusmodi qui se in administratione Sacramentorum, psallendo, docendo & prædicando exhibuerat ut fidelem, dignũ & iustum Præsulem condecuit, tantus inquam uir ab arce ubi seruabatur ad locum tribunalis prope Monasterium quoddã uulgo Vuestermonster, producitur, cinctus undiq; terra mariq; uiris armatis, qui partim equis partim scaphis sese conglomerarant. Licet autem Dignissimus ille Præsul, iã imbecillior & Senior esset, & corpore assiduis lucubrationibus, uigilijs ieiunijsq; confecto, ac deniq; longa incarceratione macerato & uiribus ita exhausto, simul etiam certo sibi constaret, oportere se diræ mortis spectaculum subire, nihilominus tamen tot calamitatum & angustiarum procellis obnoxius, non cessit, uerum animo mansueto, uultuq; ad hilaritatem composito coram Iudice apparuit, qui sic mortis condemnatus est, ut Morus ipse, sed multo crudelius. Nam sententia mortis ferebat, ut ad patibulum extractus laqueo suspendatur, & intestina eius euiscerentur, quamprimũ Regiæ Maiestati integrum & opportunum uideretur.

Reuerendiß. Dominus Roffensis morti adiudicatus.

Prolata igitur huiusmodi mortis sententia, inde ad arcem & custo-

custodiam cum armata manu Roffensis iterum deducitur. Qui cū ad portam arcis uenisset, conuersus ad equites totamq; cohortem lepida ac blanda uoce sic eos affatur: Gratias uobis ago maximas amici & comites dilectissimi, quod euntem & iam reuersum deduxeritis. Heu dolor si quis eum tunc fuisset intuitus dixisset utique, non a tribunali rediisse, sed opiparo ac læto conuiuio, adeo enim natiuum sibi colorem conseruarat. Nam uiuus in aspectu, candor erat, & mores & gestus exprimebat honestos ut erat uir prudens & strennuus, ita ut animi sui robur & magnanimitas multis inclaresceret. Non secus enim gratulari sibi uidebatur, quam is qui confecta iam diuturna & periculosa nauigatione ripam aut potius littus est adeptus.

Die tandem uicesimo primo mensis Iunij iubente Rege ad locum supplicij (quem collem siue tumulum arcis ibidem nominãt) perductus ipse Roffensis Regi in primis totiq; Regno bene precatur, ac deinde precibus se Deo cõmendans, collum penitus marcidum ac iugulum nimia macie contractum in truncum deponit, & Carnifici obijcit. In Anglia quippe non gladio sed secure obtruncantur ij qui capitali sententiæ deuouẽtur. Quantum autem istud horrendum & miserandum plane spectaculum, dolori ac mœrori fuerit pijs omnibus ac iustis, cuiuis diuinatu facillimum est. Quod autẽ mitiori supplicio sit affectus, quam ipse Iudex præscripserat, in causa quidem fuisse aiunt nonnulli metum quendam quo Regni proceres uerebantur ne propter exoletam Roffensis uidelicet senectam & corporis grauem & squalidam imbecillitatem prius in traha deficeret & per continuos illos raptus & uolutationes expiraret, quam alioquin ad Spectaculi locum uiuus aduehi posset. Nec dubium est quin seuerius illud tormenti genus a Iudice in Roffensem ideo prolatum sit, ut ipse metu supplicij absterritus a laudabili optimoq; suo proposito resiliret, & iniqua palinodia Regis Decretum publice comprobaret. Sunt tamẽ nonnulli qui dicant id propterea factũ esse, ut nimirũ eo citius perimeretur, ne Summi Pontificis Pauli Tertij nutus, quo fuerat in Cardinalem creatus, locum haberet. Nam haud dubie eo titulo & honore propter uirtutum insignia, uitæ scilicet sanctimoniam, doctrinam & iustitiam dignus est habitus. Sed amplius seuitum est, siquidem caput iam obtruncatum oblongiori fusti, quasi sceleratissimi hominis, fu-

per pontem Ciuitatis Londoniensis imponitur. Quod utiq; singulari quodam miraculo non modo non a corruptione extitit immune, uerum magis magisq; uigere & florere uisum est, quasi iam iam ad sermocinandum aptum, ut quondam martyribus alijs euenisse sacris historijs proditum est. Huius rei fama quum inualesceret, Rex ueritus seditionē, caput clam auferri iubet, nam alioquin uulgus seditioni proximum est. Quale quid imminere uidebatur ex capite Thomæ Mori, si recens furcæ infigeretur. Idcirco in bullientem aquam prius proijcitur, quo deformius horribiliusq; appareret.

Alij præterea complures propter huiusmodi Regis Edictum atq; Diuortium, Viri insignes profecto & prudentissimi, pœnas dederunt acerbissimas, ac tandem crudeliter interfecti sunt. Quandoquidem Regi non satis erat, si quis tacitus suum Decretum atq; Diuortium præteriret, seu etiam prudenter dissimularet, uerū ubiq; cunq; locorū, uiros doctrina & pietate claros, fama celebres, & populo gratos esse nouerat, hos ipse sciscitari noluit, quo pacto placeret illis suum institutum, cupiens ut interposito iuramento cuius sint sententiæ uerbis insinuent. Erat eo tempore Londonij in Abbatia Ordinis sanctæ Brigidæ, quam Syonem nominant, celeberrimus quidam Theologiæ professor Dominus Reginaldus, qui cū alijs plerisq; Laicis & Ecclesiasticis arreptus Vuestermunsterum in atrium maius siue aulam potius principalem Idibus Maij adducitur, ubi mox in eum & socios, subornati actionē intendunt, quasi uel ipse aut cæteri Regis Decretum & Diuortiū criminati fuissent.

Hos itaq; supremus Iudex sic alloquitur: Quid uos homines inquam temerarij proponitis, & nimia freti cōfidentia præsumitis, ut Decreto aulæ primariæ, cui tot Episcopi, & optimates subscripserūt reclamare audeatis? Tū Reginaldus Theologus ait: Tametsi exemplo Christi coram Herode producti silere penitus decreueram, animus tamen est in gratiam auditorūatq; consessus, quid sentiam edicere. Proinde nunc palam edico plures haberi Episcopos & doctores Ecclesiæ, imo & Principes, qui uestræ constitutioni magis aduersentur quam consentiant. Licet enim in Aula nostri Regni quidam sint, qui comprobent, totus tamen Christianismus nobiscum repugnat. Adhæc in Regno sunt, sane non pauci, qui alterius sunt quam uos, sententiæ. Nam licet perinde se gerant, ac si Edictum placeat, Conscientia tamen eorundem reclamat.

Tantum

Tantum enim dissimulant,ne Regem in sese prouocent,atque ita honorem quo ualent apud homines,bona & uitā denique perdant.

Is uero qui Regia Secretis erat,iubet ut sub multa uiolati Decreti insinuet,qui sint illi. Respondit,omnes ait,boni uiri,quotquot nobiscum in Regno passim degunt. His quoque accedit,quod mecum sentiant Concilia Oecumenica, omnes Doctores & Pastores Ecclesiæ,quotquot ante annos Mille & Quingentos uixerunt. Cuiusmodi sunt D.Hieronymus, D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Gregorius, cæteriq; Christiani nominis Doctores. Et certissime scio, modo Regiæ Maiestati Veritas ipsa persuasa fuisset, aliquot Episcopos & Magnates fore,qui ob sinistrum consilium & peruersum iudicium de amicitia Regis periclitarentur.

Tunc inhibitum illi fuit,ne quid amplius hac de re diceret,sed ut saltem simpliciterq; indicet,qua tandem malitia & præsumptione fretus,edicto Regis tot Principum & summatum consilijs stabilito,aduersari pertentauerit. Respondit autem Theologus ille, pie atque prudenter: Si inquit ante tribunal ipsius Dei assisterem examinandus,tum demum uere & manifeste omnibus inclaresceret, me nunquā aduersus Regē siue alium aliquē, ex præsumptione aut denique obstinata malitia, arbitriū aut beneplacitū meū alicui mortalium communicasse,nisi quod aliquoties exonerandi conscientiam gratia in confessione sententiam meam aperuerim. Nam ingenue profiteor,dolorem animi mei,dum mecum reputo,quam grauiter Regia Maiestas oberret,at testis mihi sit Deus, quod nulli unquam mortalium doloris & tristiciæ huius causam reuelarim, nisi meo confessario inter confitendum. Quod equidem adhuc mihi faciundum incumberet,nisi iam hoc ipsum præstitissem, quippe qui Deo & Conscientiæ magis deuinctus sim,quam ipsi Regi. Nec potest istud meum propositum Regem aut alium quemuis iuste uel merito offendere.

Iussus denuo tacere,adiecit nihilominus, dicens: Quoniam inquit non conceditur ut amplius loquar,iuxta præscriptum Decreti uestri me iudicate,quod etiam factum est.

Adiudicatus igitur mortia duodecim illis Viris qui pro more Thomā & Roffensem condēnauerant,intrepido uultu ait: Hoc est iudiciū mundi. Simul etiā arbitros illos obnixe rogat, ut sibi spacium dierū triū uel quatuor indulgeāt,quo posset interim pparare se morti,eamq; sic obire ut Ecclesiasticū & probū decet Christianū.

Respon-

Respondentilli: Quod peteret, non esse in ipsorum potestate conferre, sed in manu & clementia Regis illud situm esse. Tandem uero respondit Doctor Reginaldus. Credo, inquit, uidere bona domini, in terra uiuentium.

Erat praeterea tunc temporis celebre quoddam Londanij Monasterium Carthusianorum uidelicet, ubi quam plurimi pij & religiosi patres die noctecp obsequebantur Deo. Igitur ij Virum sane perugilem & pium sibi praefectum & praecessorem habebant Ioannem nomine Houthonium. Ad quem Legati Regis missi, interrogant, quid sibi & suis Coenobitis de Constitutione Regis & diuortio uideretur, num etiam placeret. Respondit Coenobiarcha, Neqꝫ suae uocationis esse aut etiam suorum fratrum, ut Decreto Regis se occupent, siquidem nihil aut sua aut ipsorum interesset, quam Rex ipse in uxorem duceret, uel repudiaret, quamdiu nihil quod hanc causam concernat, ab ipsis exigatur. Legati mandant, ut fratres suos conuocet, ut interposito iuramento testentur, prius coniugium Regis non fuisse legitimum, idcirco secundum & modernum tanquam legitimum agnoscere se uelle, nec non & liberis inde propagandis fauere & obedire. At ille se non posse prius matrimonium improbare ulla ratione respondet, quod secundum morem Ecclesiae Catholicae contractum esset, & multis adeo temporibus apud quosuis ratū extitisset. Tunc manus in Coenobiarcham & Oeconomum suum fratrem Hunfridum iniecerunt, & uinctos perduxerunt in carcerem ciuitatis. Tandem post menstruam incarceratione accessere d cti plerique & cumprimis probi uiri, qui ipsos excusare & argumentis ostendere ceperunt, quod nimirū propter huiusmodi responsionē nequeant quasi morte digni, condemnari.

Sed anteaquam dimitterentur ad iuramentum conditionatū coguntur, nimirum sic iuramento testari coacti sunt: Quod si diuortium, iustis & aequis legibus initum esset, uelle se tanquam iustum & aequū habere. Hoc itaqꝫ praestito iuramento, a custodia publica liberi dimittuntur.

At uero post breue Rex Edicto uniuersis & singulis praecipue Ecclesiasticis mandat, ut iureiurando fateantur & asserant, ipsum esse caput Ecclesiae Anglicanae Deo proximius. Et si qui recusarent, eos quasi laesae Maiestatis reos esse habendos, atque ita horrendis & ignominiosis supplicijs afficiendos, & trucidandos. Quod cū Carthusianis innotesceret, coeperunt omnes ex animo condolere, &

summopere

summopere anguſtiari. Nam communicato conſilio, mori potius eligunt, quam a Catholica & Chriſti fideli Eccleſia diſcedere, quæ huiuſmodi poteſtatem homini prophano ſiue laico conferre non nouit.

Interea Priores aliquot Carthuſienſium Londonium uenere ut Priorem ibidem conueniant. Nam inprimis Prior Belleuallen.& biduo poſt eiuſdem inſtituti Prior, Auguſtinus Vuebſterus ibidē comparuerunt. Hi igitur ubi iam inter ſe conueniſſent, & Regis furorem, certum quendam mortis nuncium eſſe intellexiſſent, Deo ſe commendantes, pergūt Regis animum obnixis præcationibus emolliturі. Veniunt igitur ad Thomam Crouvuell Regis Vicariū, ſperantes ab eodem præcibus ſeſe obtenturos, quo a graui & ipſis quidem præſtitu difficillimo quin etiam impoſſibili liberentur iuramento. Sed quam primum ille petitionem & ſententiam corū intellexit, mox iuſſit illos comprahendi & in carcerem mitti. Poſt octiduum uero ipſe qui Regis locum tenebat quem Regis Vicarium antea dixi, cum conſiliarijs Regiæ Maieſtatis carcerem adit, ut eis inibi detentis, præcipiat, quatenus Pontificis Romani ius & poteſtatem abiurent, quaſi qui nullum prorſus in Eccleſiam ius poteſtatemq; habeat, ſed e contra Regem primarium eſſe Caput Eccleſiæ tam in ſpiritualibus quam ſecularibus negocijs iuramento confirment.

Adhæc ita reſponderunt Carthuſiani: Equidem omnia ſe ſacturos, quæcunq; diuinis conſentanea forent decretis. Inſtat ille Vicarius ac dicit, nullam ſe exemptionem paſſurum, quare plane cum iuramento Conſtitutionem reciperent & confirmarent, ſiue diuinis conſentiat ſtatutis, ſiue non. Aiunt illi, Eccleſia Chriſti Catholica ſecus ſemper & docuit & obſeruauit. Tum idem ille Præfectus. Non eſt inquit mihi curæ Eccleſia: Vultis igitur an non, meis dictis acquieſcere? Et illi eadem animi conſtantia ſubiungunt: Beatus inquiunt Auguſtinus teſtatur, Se nolle Euangelio Chriſti credere, niſi ab Eccleſia Catholica illud edoctus eſſet & accepiſſet. Quapropter non audere ſe ab Eccleſia Catholica diſcedere, nec eiuſdē uiolare præceptum, ne Deū ſibi infenſum reddant. Tandem comperta ipſorum conſtantia, carceribus recluduntur.

Deinde una dierū ad Tribunal educti, denuo interrogantur: Num uelint Regis Edictum iuramento firmare, & tanq̄ rectum cenſere: Illi pari feruore reſpondent, Nefarium eſſe, Dei conſtitutū,

& Ecclesiæ Catholicæ ritum deserere, & præuaricari. Athuiusmodi constantem adeo atq; præclaram responsionem, iudices Duodecim more patrio interrogantur sub iuramento. Vtrum hi tres Carthusiani, Regis Edictum prætergressi, morte digni sint an non? Illi uero diem proximū spacium consultandi postulant. Inducto itaq; deliberandi spacio iam expleto, & negocio diligenter pensato, pronunciant, nihil morte dignum Carthusianos cōmisisse, sed inculpatos esse. Hoc audiens Præfectus, Duodecim certiores reddit, ut si morentur mortis sententiam in Monachos proferre, futurum sane ut ipsi potius morte digni habeantur. Sed cum duodecim ægre admodum consiliū tyranni sequi uellent, ipsemet tandē eos accessit, eoq; peruersitatis adduxit, ut dicerent, tres illos Carthusianorum cœnobiarchas, reos esse læsæ Maiestatis. Male itaq; inducti Duodecim innocentes temere damnant, & morti palam subijciunt. Deinde carceribus iterū mancipati, diebus quinq; durissime affliguntur.

Post dies igitur quinq; e carceribus educti, trahæ ex uiminibus aut scirpis contextæ imponuntur, & a tergo ligati totoq; corpore extensi plateatim, sursum atq; deorsum raptantur ad locū patibuli.

Quo cū peruenissent Vēn. Ioannes Houthonius Prior Londoniēn. primus oīm soluit. Ante quē lictor (ut fieri consuetū est) prostratus, cupit ut sibi indulgeat horrendū illud mortis suppliciū, quo pro ratione sui officij eū afficere debebat. Lictorē ille amplexatus candide remittit, & Deum pro se & toto cœtu fideliter rogat. Iussus est deinde scalas patibulares conscendere, cui libenter obtemperat. Tum unus e Cōsiliarijs Regis ait illi: Si modo uellet constitutionē Regis & diuortium tanq̄ rationi æquitatiq; consonū fateri, gratiam sibi præstandam. Ad q̄d Vēn. ille Prior ac Deo dignus uir constantissime ait: Testem mihi Deū omnipotentē statuo, & quotquot spectatū adestis obtestor, ut in tremendo extremi iudicij die contestari uelitis, q̄d ego in ultimo uitæ momento, & mortis angustia, quam etiā perlubenter subire uoluerim, corā ꝓfessus sim, me quidē Dn̄i mei Regis Decretum & Constitutionē, non ex pertinacia, aut malignitate, aut deniq; rebellione, sed ex sincero Dei timore (ne uidelicet Diuinā Maiestatē offendā) nec posse amplecti nec cōsentire, quū Ecclesia Catholica (quæ est mater nostra, in cuius etiā obedientia uiuere ac mori uolo) multo aliter quā uel Rex ipse aut suus Senatus in Cōstitutione illa, me docuerit, & credendū ꝑceperit. Quocirca omne suppliciū q̄d mihi irrogari potest, perferre potius uolo,

quam ab Ecclesiæ documentis diuelli me sinam, aut aliquid aduersus eam committere. Vos ualete & Deum pro me rogate, simulac fratrum meorum misereamini, quorum ego licet indignus præfectus extiti.

Expleta iam ad populũ oratione, laqueum paratum uidet, Carnificem orat, ut tantum sibi temporis indulgeat, donec Deo supplici precatiuncula se cõmendasset. Orationem igitur orditur a Psalmo, In te Domine speraui, & quum ad locum eiusdem Psalmi peruenisset ubi legitur, In manus tuas commendo spiritum, tortori se obijcit, qui dato signo scalas inuertit, & in laqueum ita cõiectus Vir Dei patibulo pendebat. Mox e uestigio accurrit alius, minister Carnificis, & laqueum abscidit. Tum corpus magno impetu in terram collapsum adhuc palpitabat. Post hoc uitæ indicium, in semiuiuum magis deseuitum fuit. Nam uestibus propter honestatem forte relictis, nudatur, durissime ligatur, turpiterq; exceptus & ludificatus uirilia sibi amputantur, & in ignem conijciuntur. Deinde totus iam euisceratus cum carnifex residuum cor arripere uellet, uoce tremula ac lugubri ait: Optime Iesu miserere mei in hac mortis hora. His dictis expirauit, anno ætatis suæ quadragesimo octauo. Tandem capite truncatur, & in quatuor partes discerpitur.

Eodem supplicio reliqui duo Cœnobiarchæ Carthusianorum cum Reginaldo Theologo (de quo supra memoratum est) affecti sunt. Vnus post alium suspensus, & euisceratus, tandem inuicti fide omnes gloriose occubuerunt. Sed hostis nihil iam restare uidens præter exangue, pallidum, torridum & dilaniatum corpus, insultat, & fremit, iubetq; membra in bullientem aquam conijci, & ita passim furcis suspendi, ut martyrum gloriam ignominia temporali minueret.

Post hebdomadas tres, Sycophantæ quidam & monasticæ religionis osores, Præfectum accedunt, facultatem petituri ut ipsis monasterium Carthusianorum depopulari liceat. Annuit ille perlubenter, socijs nimirum suæ tyrannidis atq; perfidiæ. Hi igitur potestatem nacti monasterium inuadunt, & manus in tres præcipuos inijciunt, nempe in Hunfridum Middelmore, defuncti Prioris Vicarium quondam œconomum, Vuilhelmum Meuvuetum, temporis œconomum, & Sebastianum Neudegate. Hos itaq; uinctos ad carceres funestissimos rapiunt, & palis alligatos, manicis, compedibusq; & cathenis constrictos inhumaniter crudeliterq; duabus

ſeptimanis afflixerunt. Poſtea uero quam in iudicium & examen eſſent adducti, nec uellent Regis Decretum, ut erat iniquum, approbare, morte primum damnati, trahis imponuntur, atq; ita ſurſum deorſumq; raptantur ad cruces, ſimili ſupplicio quo cæteri cō ſumendi. ij tandem die undeuigeſimo Iunij pari conſtantia in tormentis deceſſerunt.

Cæteris autem Monachis procuratores dati ſunt, qui prorſus inhumaniter eos tractarunt. Nam fame, ſiti, frigore alijsq; miſerijs, moliebantur illos a uitæ propoſito ſeducere. Sed cum animaduerterent ipſorum patientiam & in ſancto propoſito perſeuerantiam, ſimulac ſeſe mutuo ſacris literis & diuorum ſcriptis conſolari, omnem eis librorum copiam auferunt, ac liberum concedunt exitum. At fruſtra. Licet enim Priore iam cæterisq; religioſiſſimis Patribus tanquam orphani atq; puſilli orbati eſſent, & librorum cariſſima ſuppellectili, tamen a Conſcientia ducebantur ac regebantur adeo ut nihil præter rationem atq; decorum admitterent.

Poſt ubi Senatus Regis compertū haberet, inuictos illos Carthuſianos numero decem, nolle in Regis Conſtitutionem iurare, carceribus teterrimis & fœtidiſſimis eos mancipari iubet, ubi omnes unico dempto (quem laicum conuerſum nominant) præ nimio fœtore extincti ſint. Præfectus hoc intelligens, inſanit, & obiurat, ſi diutius incolumes aut ſane ſemiuiui permanſiſſent, acerbioribus ſupplicijs perimendos fore. Porro qui adhuc ſuperſtes erat, in fœtoribus illis, quadriennium hæſit. Tandem cum is nulla ratione, nulloue tormento cedere uellet malignæ conſtitutioni, raptatus ad furcas eodem ſupplicio quo cæteri affectus eſt.

Præterea duo ſacerdotes religioſi Ioannes Rhoceſtrius, & Iacobus Vuannertius, ob idem ſanctum uitæ propoſitum & iuſtitiæ confeſſionem, ferreis aſtricti ſeu etiā ſtrangulati cathenis, poſt longa tormenta, ſpiritum Deo reddiderunt.

His tandem omnibus confectis, accidit ut Thomas ille Cronvuel Præfectus ſæuiſſimus, & iniuſtæ dānationis ac mortis author, Regiam Maieſtatem ſua perfidia offenderet. Compræhenſus itaq; capitur, ac publice obtruncatur.

Per idem tempus ſecta illa Lutheranica in Francia quoq; ſubpullulauit, quæ tamen ſua nequiuit excrementa atq; ſucceſſus habere, propter diligētius examen, & maiorem obſeruationē. Quotquot igitur hac ipſa perniacioſa ſecta conſperſi & infecti corruptiq; fuere,

fuere, patibulis seu potius furcis trabacibus & demissorijs suspenduntur,& in circumpositũ ignem reste attolluntur uicissim & demittuntur. At ubi iam excruciati flammis parumper fuissent, restẽ Carnifex conscindens, in medias flammas collabuntur, ac ita tandẽ in cineres rediguntur. Quinetiam Rex Galliæ Lutetiam Parisiorũ uenit,& quo tantum auerteret malum, Deumq; propicium redderet, solennes supplicationes singulis ecclesijs indixit.

Cæterum Sleidanus refert patrocinium D. Genouefæ sic a Gallis obseruari & coli, ut ad eam confertim accurrant, tanquam extremum subsidium,& unicum prorsus refugium unde debeat omnis ipsorum salus & incolumitas haberi. Verum id ita esse, prorsus & Galli alijq; Christiani negarint, quin potius ea quæ ille affirmat ex praua quadam affectione (qua parum candide de Sanctorum inuocatione meritisq; sentit) profecta uidentur. Sed hæc missa faciamus, ut eodem recurrat narratio, unde parumper fumus digressi. Rex igitur præsentibus suis filijs, totoq; nobilium cœtu, prolixã explicat orationem, in qua magna cum grauitate & diligentia hortatur omnes ut Ecclesiæ Catholicæ obtemperent, & adhæreant, ac proinde sibi caueant ne usquam perniciosa Lutheri secta, sedem accipiat. Insuper aiebat si aliquod suorum membrorum hac lue seu tabe doctrinæ esset uitiatũ, uelle quidem se illud abscindere & exterminari, ne uidelicet longius proserpat. Itaq; si quenquam e suis subditis huic malo sciret obnoxium, neutiquam se laturum, ut diutius impunitus uiuat.

Sleidanus Galliæ Regem, omnemq; Senatum Parisiensem mendacijs onerat.

Hoc insuper anno Cæsar ad Protestantes in hunc fere modum scribit: Equidem uelle se instauratam pacem prosequi, sed ubi compertum habuisset, quod ipsi Clero bona sua uiolenter diriperent, & sub prætextu initæ cõcordiæ siue pacis Clero adempta bona repetenti, arma inferre uellent potius quã aliquid restituere, id quasi iniquum patienter ferre se nolle, licet ita concordia labefactari possit. Nam iniuriam ulcisci æquissimum est Principi.

Erat autem eo tempore in Germania Petrus Vergerius Concilij causa a Pontifice Max. missus. Hic igitur cum Ioanne Saxoniæ Duce, in rem gerendi Concilij tractat, simulac testatur Pontificem & Cæsarem omnem operam daturos, nullisq; uicissim sumptibus aut laboribus parsuros, quo ilberum Christianumque Concilium celebretur. Idcirco Saxonem hortatur ut modo ipsa re

declaret, Deum se ex animo colere, & communem omnium salutem quærere amareq;. Etenim si in huiusmodi legitimum Concilium ipse consentire uellet, causam maiori tunc cum fructu decernendam esse. Sin autem recuset, Concilium tamen æque bene inchoandum, & Deo ipso patrocinante consummandum.

Postea uero quam Saxo cum socijs deliberasset, respondit tandem uti prius, nimirum nullo modo se consensurum, ut Concilium Mantuæ celebretur, imo potius in Germania. Adhæc nolle se Pontificem ipsum tanquam supremum Concilij caput seu primũ in Concilio suscipere aut permittere, imo ne ferre quidem, quod aduersetur doctrinæ Luthericæ, a qua etiam desciscere minime uellet, alioqui libenter se præstiturum ea omnia, quæ ad concordiam & pacem attinent. Sed quæso qui fieri potuit istud ut pax rebus daretur, & securitas, quandiu religio tumultuetur? cuius concordia unam & tranquillam constituit Rempub. & e contrario cuius dissidium eandem omnino labefactat, & sectis peruertit.

Gallorum item Rex Legationem, Schmalkaldiam ad Protestantes ibidem destinat, cuius caput erat Vuilhelmus Bellai. Is post multa in medium adducta, Regis erga ipsos fauorem, & beneuolentiam exponit, solicitudinem & curam quoq; gerere, quo tandẽ religionis dissidium male mulctetur.

Sleidanus sibi metipsi cõtrarius quare nec credendus.

Cæterum Sleidanus in enarratione huius legationis, sibi plane contrarius est. Molitur enim lectorem inductionibus sophisticis persuadere, acsi Regi Christianissimo institutũ Protestantium placuisset, seu etiam ipsa Lutheri doctrina iniquissima & pestilentissima. Scribit Regem se purgasse, cur Lutheri doctrinam persequeretur, & Lutheranos affligeret. Nonnullas quippe causas equidem alias superesse cur suos in hæresim Lutheri collapsos plexus sit, nec illos eiusdem fuisse cum ipsis, nimirum Protestantibus, sententiæ, Ipsummet Pontificem dixisse non perinde humanis constitutionibus cedendum inhærendumq; esse, Regem nõ reluctari Melanchtonis libello quem edidit de articulis Christianæ professionis, Eundem quoq; Sacerdotibus maritis, in coniugio permanendi facultatem concedere uelle. Præterea hominum superstitum memoria, sacram Synaxin per Galliam quibuslibet in proximis Sacellis conferri sub utraq; specie solere. Theologos Parisienses homines quidem esse istius ingenij, ut non solum omnes Germanos impios & in religione quasi errones censeant, uerumetiam si fieri commode

Diuersum uerius equidem est.

possset,

possset, Senatum sedemq; Apostolicam reijciant.

Huiuscemodi & multa alia narrat Sleidanus adeo confidenter, ut hi, qui minus recte persuasi sunt, uel etiam ignorant quam inuiolate Rex religionem Catholicam passim & ubiq; obseruet, suspicari aut sane credere possint Sleidanum uera & comperta narrare. Mirum profecto hominem hunc tam cito suimet oblitum esse. Nam superius testatur, Regem, solennem frequentasse supplicationem, Deum quoq; rogasse, quatenus Regnum suum ab illa perniciosa Secta immune conseruare dignaretur, & subiunxisse, Si partem aliquam sui corporis hac pernicie infectam haberet, se protinus abscindere & abijcere uelle. Porro quo pacto hæc cum alijs cohæreant, & consonent, discutienda prouido & cordato lectori relinquimus. Deniq; quo in statu & quam incorrupte Rex ipse, Galliæ dico, religionem Catholicam conseruet, manifestum satis est.

Hac eadem tempestate Anglorum Rex ad Protestantes legationem mittit, redditq; certiores suæ erga ipsos beneuolentiæ, & quomodo eos ipsos tanquam integros haberet, qui & Euangeliũ & Doctrinam Christi promouerent. Quod uicissim ipse faceret. Quinetiam authoritatem Apostolicæ Sedis regno suo eiecisset, nominans Pontificem (ut Sleidanus refert.) Idolum insanum, & Antichristum, qui quidem Concilium promitteret, sed aliud quippiã sinistræ rei intenderet atq; moliretur, se quoq; erga illos & Religionem affici intantum ut omnia sua bona, corpusq; pro ijs omnibus impendere paratissimus sit.

Verum hæc Regis sententia Protestantibus plurimum arridebat, ita ut summis præconijs suum ipsorum dogma & nouum Euangelij specimen efferrent. Aiebant ex tyrannide Pontificis omnem impietatem, erroremq; & idololatricum abusum profluxisse, atq; ideo Regem prudenter egisse, quod uidelicet iniuriosam illã seruitutem & tyrannidem e suo Dominio propulsasset, Deumque obtestantur ut Regi in eo proposito pseuerandi fiduciam & calcaria addat, referebant immensas pro beneuolẽtia & addicto ipsis obsequio gratias. Legatũ quoq; obnixe rogant, ut suo ipsorũ oĩm nomine Regi uicissim mutuã beneuolentiã, & obsequendi promptissimũ desideriũ insinuet, & exponat. Quia uero is ipse doctrinã illorũ erat amplexatus, oratũ ꝑterea uolũt, ut in ipsorũ cõfœderatione descẽdat, sitq; deinceps illi⁹ cõfœderationis patronus & ꝓtector.

Qui

Qui etiam hoc fretus titulo in defensionem fœderis centum milia florenorum numeret, quæ inquam summa pecuniaria socijs cedes ret ad usus necessarios, & militaria stipendia, eidemq; summæ adijs ceretur quam ipsi etiam inter se contulissent. Si uero bellum diu turnius foret gerendum, adderet adhuc summā aliam centum mis lium florenorum, Et ob id Protestantes ipsi urgente necessitate, nō modo facultates suas, imo etiam corpus & uitam pro tutela Regis impendere tenerentur. Hæc itaq; legati, Regi nunciarent, cuius ui cissim sententiam Saxoniæ Duci, & Lantgrauio tempestiue & op portune significarent, quod etiam factum est. Nam Rex acceptis hisce nuncijs, respondit in hanc formam: Quanquam nullius ipse formidaret insidias aut robur, uellet nihilominus postulatam pe cuniæ summam ineundi fœderis gratia libenter numerare. Qua etiā de re, amplius conferre uellet cum legatis ipsorum uerbatim siue oretenus. Ait quidem se grato animo suscipere, quod ipsum fœde ris dictatorem & corypheum constituissent. Cæterum ne tandem hic titulus euilesceret, sibiq; uitio uerteretur, hortatur ut schisma ta caueant, seruata nimirum in omnibus articulis concordia.

Igitur conuentum hi Francofordiæ indicunt octauo calendas Maij, ubi legati in Angliam dimittendi decernuntur, & nomine quidem municipij Iacobus Sturmius designatur, cui tres alij quasi Theologi traditi sunt, nempe Philippus Melancthon, Martinus Bucerus, & Georgius Draco.

Post ubi Anglorum Rex Coniugem suam Catharinam (ut ante memoratum est) repudiasset, tradita sunt Annæ Boleniæ orna menta & monilia Reginis congrua dignaq;, & Regina salutatur. Quæ cum Regi filiam Isabellam nomine peperisset, iamq; præ gau dio gestiret, sed potius tamen prolem masculam desideraret, ani maduerteretq; Henricum Regem filias tantum procreare, suspica batur eum aut senio, aut caloris inopia inhabilem esse filium qui fo ret regni totius hæres, suscitandi. Simili laborans illa suspicione, coniugij thesseram fidemq; thori uiolat, & cum fratre suo Germa no (cui nomen Georgius) libidinatur. Sed cum hoc modo conci pere se non posse uideret, commercio duorum nobilium uti cepit. Neq; tamē ab ijs impregnari potuit. Idcirco magis insaniens Pho nasci cuiusdam siue musici (qui Marcus dicebatur) consortio & amplexibus potiri studuit. Quod cum Regi una pedissequarum indicasset, oēs illos adulteros perimi iubet, Annam uero mœcham

Incestuosum Annæ Boleniæ adulterium.

turpissimam reliquit sententiæ & arbitrio Iudicis. Erat autem hic Iudex Thomas Bolenius, pater ipsius Annæ, qui iussu atq; Decreto Regis eam ipsam ream mortis pronunciauit. In spectaculum igitur adducta, intrepido uultu pedissequas suas, quæ plurimum infœlicissimæ morti illachrymabantur, hortatur, ut modestiã, honorem & pudicitiam seruent, & exinde morti se præparans comã arripit, in riculam deponit, lacteoq; candore collum quondã Regis delicias, diræ acutissimæq; securi obiicit, & ilico a carnifice iugulatur. Rex igitur hoc modo charissima quondam coniuge orbatus, Ioannam a Somerset ducit in uxorem, ex qua filium Eduardũ sustulit, at ipsa in partu, aut sane mox a partu humanis excessit. *Iussu Regis Anna obtruncatur.*

Eadem tempestate fœdus illud Schmalcaldicum in profesto Natiuitatis Christi Protestantes innouant, & augent, simulac integro decennio constabiliunt. Nam & Comes Nassauius, nimirum Vuilhelmus, in id receptus est. Licet autem hæc res minime fieret consensu Lantgrauij, propter dissidium quod inter utrunq; natũ fuerat, ex parte Comitatus quem Catzenelnboge nominant, subsidiũ tamen eidem auxiliaq; addixit, si modo uim aliquam Confessionis Augustanæ causa pateretur.

Per idem tempus Augustanum municipium, religionem malesidam ipsorum Protestantium recepit, Idcirco Lutherum oratum uoluere, ut Concionatores ad eos mittat.

Interea temporis Francorũ Rex audito quod Franciscus Sfortia diem obijsset, qui Mediolanum gubernabat, bello se accingit Italiam armis impetiturus.

Postremo hoc eodem anno, contigit Tabernarium quendam in Dominio Vuirtenbergeñ. hospitibus suis carnes Suillas edendas apponere, quibus degustatus in rabiem conuersi morsibus se mutuo dilaniarunt. Siquidem porcus ille sine porca, cuius carnes concoxerat, prius canem rabidum sustinuerat. *Lycosthenes.*

Accidit deniq; mulierem quãdam Kessvuileræ Turgauiæ, quatuor infantes uno partu in lucem ædere, qui pariter omnes baptisma consequuti sunt.

POsthæc anno M.D.xxxvi. calendis Aprilis, Dux Allobrogum prælio uictus a Rege Gallorum cognato suo, Sabaudiam deserere cogitur. *An. 1536.* *Dux Allobrogum suo dominio eijcitur.*

Idem quoq; Rex magnam uim militũ colligit, spe recuperandi

Insubriã,

Regis Galliæ in Insubriam expeditio. Insubriam. Nam persuasum habebat, & allegabat hanc sibi iure cõpetere suisq; hæredibus, ex parte Valentinæ sororis demortui Ducis Philippi Vicecomitis, quam quidem aiebat suã fuisse abauiam. Quod intelligens Antonius Leua q Mediolani Cæsaris partes obibat, undiquaque exercitum cõscribit, ut & Francorum insultibus resistat, Ciuitatemq; uiribus defendat.

Eodem tempore Cæsar Romam appulit, ubi Gallorum Regem quasi fœderis corruptorem coram Pontifice Maximo & multorum Regum seu Principum legatis grauiter accusat, quod prætergresso fœdere, propositum suum optimũ honestissimumq; impediret & peruerteret, odio quodam inueterato laborans. Igitur Cæsar Regi Duelliũ offert Cæsar Regi sibi multum infesto Duellium defert, quo tandem bellum conquiescat.

Præterea Cæsar ipse multum instabat, ut Concilium alicubi designetur. Annuit Pontifex, & Mantuam Concilio gerendo opportunam pronunciat.

Verum ubi Vergerius Sedis Apostolicæ Legatus Romam rediisset, legationem suã renunciat Pontifici, referens uidelicet, quomodo Protestantes Concilium potius in Germania celebrari postulassent. De Luthero autem cæterisq; nullam spem esse, nisi penitus deleantur, ut refert Sleidanus.

Summus itaq; Pontifex, quarto nonas Iunij tale scriptum euulgat. Scriptũ Pontificis pro Cõcilio. Quod ubi Dei prouidentia ad tãtum Dignitatis culmen fuisset euectus, nihil perinde feruenter ac magis se optasse, quam ut Ecclesia suæ iã fidei & curæ concredita, p̃sidio diuini spiritus, nec non diligenti & accurata sua diligentia, ab omni hæresi erroribusq; qui ante aliquot annos suscitati fuerant, multumq; iam excreuerant, tandem omnino expurgetur, simulq; ordinis seu status cuiuscunq; reformatione, & communi modestia resarcita, in pristinum, & auitum illum statum eadem ipsa Ecclesia reponatur. Quandoquidem illa bellis intestinis passim per Imperium spirantibus sæuientibusq;, & malitiosorum hominum peruersissimis conatibus & imposturis prohdolor dissiparetur, cui profecto infortunio atq; periculo ipse potissimum indoleret. Quocirca rem omnem sedulo soliciteque consideranti, & pertractanti, quibus nimirum studijs tali posset occurri malo, ait se nullum præsentius inuenisse remedium aut sane cõsilium opportunius, quam illud ipsum quo solet antiquitus Ecclesia in simili discrimine prudenter uti, quod nimirum est commune

mune Concilium. Hanc cõſuetudinem etiam antea ſibi optime placuiſſe, & modo non improbare ulla ratione poſſe, imo uehementer commendare, & ob id eandem promouere uelle, ſi quidem ad illius honoris faſtigium pertigiſſet. Cuius etiam rei gratia non ſemel tantum ad Cæſarem aliosq; Reges ſcripſiſſet, iamq; penitus huic laudabili accommodare ſe conſuetudini decreuiſſet, futurum hoc pacto abſq; ulla hæſitatione ſperans, ut nõ ſolum hæreſes agro Dominico radicitus extirpentur, uerumetiam ſedatis omnibus controuerſijs, ſimultatibus & rixis inter Principes atq; magnates exortis, communis pax ubiq; reddatur, quo tandem unanimi omniũ aſſenſu atq; concordia inſtaurata, Chriſtianæ fidei hoſtes opprimãtur, atq; ita regna Imperio Chriſtiano adempta recuperentur, capti ui diuturnis carceribus caſtigati, & miſerabili prorſus ſeruituti obnoxij, libertate donẽtur, utq; tandem Ethnici ab infidelitate ſua ad perfectam fidem conuerſi, una cum cæteris fidelibus in unum ouile coeant. Quæ cum ita ſe habeant, ſe quidem ait fretum uidelicet ſua authoritate, & conſenſu Senatus Apoſtolici, publicum & œcumenicum toti iam orbi Chriſtiano denunciare uelle Conciliũ, quod Mantuæ (quæ in commodo fertiliq; loco ſita ſit) inſtante anno, decimo nimirum calendas Iunij celebrandum foret. Ea propter præcipere atq; mãdare omnibus Eccleſiarum Præpoſitis, ubicunq; terrarum degerent, ut ibidem compareant, ſub mulcta legibus ſiue canonibus expreſſa. Cæſarem quoq;, Reges, Principes & magiſtratus hortari & per Chriſtum obſecrare, ut in communem utilitatem ibidem præſentes ſe exhibeant, aut ſane ſi non poſſent ipſe, nuncios tamen ſiue legatos ſolennes & fide authoritateq; plena integerrimos, eodem mittant.

Septima Iunij, Rex Ferdinandus oratorem ſuum Iacobum Sturtzelium Iureconſultũ Oenoponte ad Heluetios mittit, quos per eum certiores reddit. Multum equidem gratulari ſe, quod cũ Rex Galliæ copias & auxilia ab ipſis poſtulaſſet, mittere recuſarint, Quod ipſum fratri Cæſari quaſi lætius aliquod & gratius nunciũ pſcripſiſſet. Nam merito id factum eſſe & iuſtam ab cauſam eueniſſe: quandoquidem Cæſar ipſe nullam belli occaſionem dediſſet, ſed eum potius ſtatuiſſe hac æſtate Turcas Chriſtianæ Religionis fæociſſimos hoſtes inuadere. At Regem Gallorum ſimulatq; Franciſcum Sfortiam, Ducem Mediolanẽſem defunctum intellexiſſet, mox Inſubriam ſuo ſubiugare dominio cogitaſſe, cum tamẽ nihil *Regis Ferdinandi ad Heluetios Legatio.*

plane iuris ad eam iuste saltem usurpandam habeat, neglecta quoque illa conuentione Domini, uidelicet istius, superioribus annis inita, nec de inchoato bello consultatum utroque fuisse, fœdus irritũ fecisse, quod utrinque legibus & iuramento sancitum erat, ac denique nunc Insubriam repetere, quæ nisi restituatur, iniquissimis dolis, et machinis eam sibi subiugaturum comminari. Præterea ab eo tempore exercitum copiosissimum hinc inde comparasse sibi, montana transisse, ibidem Ducẽ Allobrogum unum ex Imperij siue Regni proceribus bello fatigatum, profligasse, confidens, ut si posset hunc aditum sibi patefacere, & prouinciam illam imperio suo subijcere, uellet deinde latius progredi: Quapropter etiam Cæsarem necessitate atque periculo perurgente, coactum esse copias conscribere, quibus posset, eandem illam prouinciam armis uiribusque defendere ab iniuria ambitionis. Et quanquam ipse Cæsar non solum antea, uerumetiam postea, quando muniendi se & defendendi causa plurimos sumptus impenderat, eum tamen pacẽ rebus dari magnopere desiderasse, conditiones certas ac firmas & pacta non recusasse, quibus Francorum Rex rebus per Insubriam potiatur, quemadmodum Cæsar Pontifici Maximo & toti Cardinalium & Legatorum amplissimo cætui nuper cum esset Romæ, exposuisset, Regem uero ijs contemptis, in sua sententia perdurasse. Cum igitur intellexisset, Regem Gallorum denuo & assidue apud ipsos pro ferendis aduersus fratrem Cæsarem suppetijs sic instare, ac si iure confœderationis præstitæ deberent, eo quod animaduerteret ipse & suos de fuga periclitari, imo iam terga dare Cæsare persequente, cogeretur. Cæterum ut paulo ante dictum, ne Cæsarem omnino existiment belli fuisse authorem, quin uerius Regem ipsum Gallorum, quippe cuius impulsu Cæsar inuoluntarius lacessitus & coactus bellum gesserit. Insuper etsi Rex a Cæsarianis in fugam conuersus esset, non tamen hoc arguere posse Cæsarem, cur bellum exarsisset in causa fuisse, uerum potius pro eo habendum esse, qui recte fecerit, hostem profligando, solum ut suos subditos a periculis liberaret, suumque ius & dominiũ uindicaret, ac ita pax & tranquillitas restituatur. Quamobrem frustra & indigne facere, cũ hic nullũ habeat locum protestatio primarij articuli fœderis, quo potissimũ eos ad mittenda subsidia urget, & adiurat. His ita constitutis, petere se ne suppetias Regi ferant, tum quod is fidem uiolarit, tum etiam quod bellum renouarit. Illud enim Cæsari pergratũ, & præcipue

paci ipsorum & communi saluti consultum fore.

Cæsar collectis iam copiis in Italiam transit, Prouinciam Gallicæ ditionis infestaturus. Quo comperto Gallorum Rex (qui secus Auinionem castrametabatur inter duos fluuios Rhodanum scilicet atque Druentium) passim ea loca demolitur, quæ Cæsar peragraturus uidebatur. Et cum prælium committere nollet, Cæsaris exercitum in magnam penuriam & dispendium perduxit. Nam cum domus atque uillæ per quas Cæsar iter facturus erat, & alimoniam militiæ suæ ex his comparaturus, flammis essent exustæ, uastatum & spoliatū undique a Francis terrorium, uacuum esset, multa suorū milia fame, & calamitate perierunt, inter quos etiam Anthonius a Leua, Dux sane magnanimus, & rei bellicæ peritissimus. Proinde Cæsar hac necessitate præuentus, exercitum dimittit, repetensque Italiam, Genuam appulit.

Interea uero Hermannus Archiepiscopus Coloniensis Elector Concilium Prouinciale celebraturus, omnes ad se euocat Episcopos, quorum ipse caput erat, iuxta ueterem consuetudinem, nimirum Leodiensem, Traiectensem, Monasteriensem, Osnaburgensem, & Mindensem. Ibi tum tractari cœptum est & determinari, de Dogmatibus & cæremoniis Religionis. De quibus etiam liber typis editus est annuente Archiepiscopo, per Reuerendum D. Ioannem Gropperum Iurisconsultum prudentissimum, in quo quidē libro omnes hæreses, & Ecclesiæ Catholicæ contraria dogmata, sacræ scripturæ testimoniis & Sanctorum Patrum authoritatibus doctissime ualidissimeque confutantur. *Concilium Prouinciale, Coloniæ percelebratur.* *Sleidanus falso Reuer. D. Gropperū traducit, uti euidentius in sequentibus docebitur.*

Per idem tempus, infinitis propemodum scriptis diues author Desiderius Erasmus Roterodamus, annū agēs septuagesimū, mense Iulio diē clausit extremū, & Basileæ ad q̄ cōmigrauerat, sepelitur. *Obitus Erasmi Roterodami.*

Protestantes autē ad Cæsarem literas dant, & inter cætera conqueruntur, quod procurator Cameræ aliique cōplures, causam siue litem in ipsos intendissent. De Concilio promulgato huiusmodi famā esse, ac si patrocinio suo, iuxta Descripti sententiā, a Romano Pontifice die uigesimo tertio Maii anni futuri, Mantuæ, Conciliū indictum sit, & denunciatum. Sed cum ipsi intelligere non possent ex Descripto futuri Concilii quo in statu & ratione hoc ipsum instituendū foret tractandumque, & toties Christianū & liberum Concilium alicubi in Germania habendum expetiuissent, quod etiam in comitiis ac nuper in Noribergica pactione futurū definiebat, ac *Protestantiū ad Cæsarē literæ, & querelæ.*

tandem hoc ipsorum nimirum in gerendo Concilio uotum suis & Clemētis oratoribus, expresse satis & distincte insinuassent, propterea confidere se prorsus aiunt, ipsum Cæsarem scilicet, rem omnem accurate & ordine legitimo adornaturum.

Mense Nouembri soluit Cæsar, & in Hispaniam prospera nauigatione remeauit.

Nuptiæ Regis Scotiæ. Gallorum quoq; Rex Parisios rediјt, ubi filiam suam natu maiorem Magdalenam, Regi Scotiæ Iacobo Quinto illius nominis nuptū locauit, prima Ianuariј. Huius enim rei gratia, Scotiæ Rex in autumno præcedentis anni traiecerat in Franciam.

Hedinū Rex deditione capit. Sed cum Franciscus Rex martem adhuc experiri uellet, exercitum quem sibi conflauerat, ducit in Hannoniam, & post obsidionem menstruam Hedinum illic una cum arce fortissima deditione capit.

Hereticorum inter se pugna & discordia. Eadem tempestate Vuittenbergā Lutherici & Zvuingliani declamatores conuenerunt, spe ineundæ cōcordiæ, nam & in Doctrina & in religione ab inuicem dissentiebant: at frustra, quippe qui discordes inde discesserint.

Lycosthenes. Hoc insuper anno, mense uidelicet Februario, prodigiosum sane in aere uisum apparuit. Nam in oppidulo quodam Hispaniæ, circiter horam noctis intempestæ secundam, duo formosi adolescentes armis instructi sursum in aere uisi sunt. Nam unus parmam Aquila insignitam tenebat, in cuius gyro descriptū erat: Ego regnabo. Alius uero maiorem Clypeum, gerens hæc uerba ostentabat: Regnaui. Et post longum certamen is qui aquilæ tenebat insignia, tandem potitus est uictoria.

Aetna. Mense Aprili Aetna Siciliæ igniuomus mons, tanto terræmotu subsiliјt, ut etiam ad sex milia passuum disiectis, circunquaq; flammis, omnia penitus contereret.

Imperatoris Caroli pietas & religio. Postremo hoc eodem anno, Diem Cœnæ Dominicæ Cæsar Carolus Romæ celebraturus, duodecim pauperes clam ad se euocat. Quorum sordidos ac lutulentos pedes post magnificum splendidumq; conuiuium, animo quam religioso atq; demisso lauat, & exosculatur. Tandem cum admirando quodā animi candore, magnificentissime dotatos dimittit.

An. 1537. ANno a Christo nato M.D.xxxvіј. Protestantes iterum dixere diem, qua simul omnes, & cum eis Martinus Lutherus, Melan-

Melánthon, Bucerus, Osiander, & plures alij Smalcaldam conueni rent. Ea erat septima Februarij.

Venit autem eo etiam D. Matthias Helt, qui inter cætera ait Imperatorem, id male habere, quod pleriq; quos ille tamen suam operiri sententiam iussisset, eam minime expectauissent, sed abiurata Catholica religione, ad aliam accessissent, quod haud dubio in Cæsareæ Maiesta. contemptum cederet. Addidit etiam Regem Gallorum nedum Imperatorem remorari ac distinere, quo minus Turcarum ille elatos animos comprimere posset, sed cum illis etiam in Christianæ Reip. perniciem sua habere clandestina cõsilia. Adhæc minime probari Cæsari, quod iudicium Cameræ, ut uocant, ferre nollent: quandoquidem ea res ad pacis perturbationem & ipsius maiestatis derogationem spectare, tum etiam primario illius iudicij præsidi & eius assessoribus, qui tamen & honestis familijs orti, & uiri eruditione ac integritate spectata essent, detrimentosa fore uideretur. Eam ob rem petere Imperatorem, Iudicio sua ut authoritas inuiolata permaneret.

Tum uero etiam admonuit eos, ut in Concilium futurum cõsentirent, eiq; se morigeros præberent: quod Imperator ipse, modo posset, præsens illi interesse decreuisset: & quanuis Gallus eum ad belli capessenda consilia urgeret, tamen qualuis pacis conciliandæ tolerabiles conditiones in Christianæ Reip. commodum, libenter amplecti statuisset.

Protestantes cũ satis deliberassent, hac ratione responderũt, Nõ posse ipsos, si qui Confessionis eorũ nomine ipsorum fœderi se adiunxissent, repellere: bellum inter Cæsarem & Gallum ipsis esse molestum: tum quoq; se petere, ut Iudicij Camerarij præses in religionis negocijs usq; ad futurũ generale uel nationale Conciliũ de ipsis sententiã nõ ferret, nec uelle ipsos ulla ratione in Conciliũ in Italia celebrandũ, uel ubi Pontifex cũ suis fœderatis pŝideret, consentire.

Iis omnibus Dominus Matthias Helt luculenter & copiose respondit. At illi in sua pmanentes sententia, se sanã habere doctrinã asserebãt, q̃ Pontifex & eius fautores damnarent: itaq; uelle ipsos impotentem Pontificis tyrannidem prorsus a se amoliri.

Sub hoc tempus etiam Danorum Rex in Smalcaldicum fœdus admissus est, idemq; ex Vuitenberga Pomeranũ accersiuit, qui in eius Ecclesijs Lutheranum dogma promulgauit.

Hoc anno Turcus in Croatia uictoria potitus, in Christianæ religionis

religionis ignominiam, captiuis nares præcidit, eosq; adeo detur patos hac illac iussit circumduci: nostris præterea sexaginta magna tormenta bellica erepta, Constantinopolim asportauit.

Eodem anno Francofordiæ ad Oderam puella quædam a dæmone occupata, nummos & præacutas uorauit acus.

Eodem anno mense Iunio castrum uetus Heidelbergæ, in quo plus minus quadringenta seruabantur uasa plena puluere tormentario, fulminis ictu incensum, ui pulueris illius summo cum fragore penitus euersum est: quædam etiam nouæ arcis ædificia disiecta, & oppido Heidelbergensi damna allata grauissima.

In Italia uisus est Aquila in aere uolitans, a cuius pede dextro lagena penderet, sinistrum uero serpens circumplecteretur. Sequebatur autem illum ingens picarum multitudo.

Eodem anno in regno Neapolitano mare ad octo milliaria exaruit.

Eiusdem anni mense Nouembri deficiunt a duce Geldrorum Carolo Nouimagenses primo, post aliæ atq; aliæ urbes, propterea quod Carolus iam senex, eos in potestatem regis Gallorum transferre conaretur, eliguntq; Guilielmum ducis Cliuensis filium, qui præter istam spontaneam electionem, sibi nonnihil etiam iuris in ducatu Geldren. ex parte matris suæ uendicabat.

Toto hoc anno mansit Carolus Imperator in Hispaniis, & Gallorum Rex in Arthesiam facta irruptione, multis eam damnis affecit. Contra uero Dominus Florus Buranus exercitu Cæsariano in Galliam ducto, magnas illi clades attulit: uiq; expugnato oppido & Castro D. Pauli, omnes illic repertos trucidauit, urbemq; incendio permisit, deinde Monstriolum proficiscens, illud quoq; incendit. Mox Terreuanam obsedit, ubi decem mensium induciæ pactæ sunt.

Eodem anno pridie S. Luciæ Romæ tanta tonitruum, grandinum, ac fulminum tempestas sæuiit, ut per illud anni tempus nulla hominum memoria similis extiterit.

An. 1538. ANno Christi Iesu M.D.xxxviii. Cæsar & Rex Franciæ, Pontificis interuentu, qui illos optabat in cōcordiam redigere, ad Aquas mortuas, quod est Prouinciæ oppidum conuenere, ubi decem illi annorum inducias fecerunt. Ante uere, quam in eam urbē Cæsar uenerit, Rex legatos suos cū aliquot triremibus, qui eum

Induciæ inter Cæsarē & Regem Gallorū.

deduce-

deducerent, illi miſit obuiam. Cum uero Cæſar ad urbem propius accederet, princeps equeſtris exercitus, uel magiſter equitum, quē uulgus Gallicum Conneſtabilem appellat, illum adijt, orans ut naues ſuas in portum ſubduceret, quandoquidem Rex intra duas horas eſſet adfuturus, & in eius triremen uenturus. Cæſar itaq; cū naues, quæ pridie illius diei propter nebulam in diuerſa erant euagatæ, rurſum conueniſſent, in portū ſe recepit. Neq; diu poſt etiā Rex aduenit, præter alios ſecum adducens Antonium Lotharingiæ Ducem & fratrem illius Cardinalem, cum quibus Cæſaris triremen adijt. Porro Cæſar ad ipſum uſq; triremis aditum illi proceſſit obuiam, eumq; honorifice accepit: nec facile dictu eſt, quæ tum mutuæ beneuolentiæ ſigna extiterint, quæ omnium animos lætitia occuparit. Cumq; pariter conſediſſent, in triremi, Principes omnes & domini, qui cum Cæſare uenerant, Regi præcipuam, pro eo atq; par erat, præſtitere reuerentiam. Iuſſu quoq; Cæſareæ Maieſta. per Dominū de Granuellæ accitus eſt Andreas Dauria, totius claſſis præfectus, idemq; Princeps Melphiæ, qui ante annos decē a Rege defecerat, ut is quoq; Regi ſe conſpiciendum offerret. Cumq; aduenisſet, ait ad eum Rex: Quandoquidē Andrea Princeps apud Cæſarem facis ſtipendia, eiq; uiſum eſt ut tecum colloquar, equidē morem illi geram, quod eum non alio quam fratris loco habeam. Atq; hoc pacto cum ad horā inter ſe comiter & familiariter eſſent locuti, Rex abſceſſit. Poſtera die ſub primā lucem, Cæſar per Caduceatorem ſuum in trieres omnes iuſſit denunciari, ne quis in cōtinentem prodiret. Ipſe uero cum uiris quibuſdam primarijs ad Regem abijt, cum illo prandium ſumpturus. Et cum e naui in terram proceſſiſſet, a Rege & Regina & duobus Regis filijs amiciſſime eſt acceptus, & in Palatium deductus. Sub ueſperā Cæſar Andreæ Dauriæ, qui ad naues ſubſtiterat, indicari iuſſit, ipſum Regis & Reginæ ſororis ſuæ precibus adactum ea nocte in oppido permanſurum, ſed luce altera a ientaculo ad triremes rediturum. Fecit hoc ea cauſa Cæſar, ne quid mali Andreas Dauria ſuſpicaretur. Die ſequenti Cæſar a Rege multiſq; alijs Principibus uiris deductus ad mare redijt: & cum in triremi una bibiſſent, amiciſſime a ſe inuicē diſceſſere. Hæc cum Pariſijs & pleriſq; alijs locis percrebruiſſent, in Templis pro more recepto agebantur publicæ proceſſiones, & in plateis & locis publicis ignes lætitiæ indices ſtruebantur.

Cæſar & Rex mutuo ſibi colloquuntur.

Cæſar cū Rege cibū capit.

Eodem anno obijt diem ſuum Carolus Geldrorum Dux, &

Gulielmus Cliuensis Dux in Geldriæ Ducem ab omnibus illius ditionis ordinibus receptus est: quæ res Duci Gulielmo noui cum Carolo Cæsare belli gerendi materiam creauit.

Paulo ante excessit e uiuis Erhardus a Marca, Cardinalis & Episcopus Leodiensis, qui diu ante suum obitum eximia structura sibi monumentum in summa æde iusserat apparari, & suæ mortis anniuersarium more Ecclesiastico agi diem.

Odiū & Inuidentia Sleidanū plerumq; transuersum agunt. Sleidanus hoc irridet, ut pleraq; omnia Ecclesiæ instituta: qui si preces illas & ritus, quibus Catholici ea in re uti solent, accuratius expendisset, nec se ab odio & inuidentia transuersum agi permisisset, longe aliam ille proculdubio sententiam esset secutus.

Eodem anno Senatus Argentoratensis in sua urbe Ecclesiam permisit perfugis illis, qui nouæ religionis causa ex Galliis & aliis locis Catholicis abscedere compulsi fuerant, quibus Ioannes Caluinus quāuis Lutherano dogmati infestus in plerisq;, præfectus est.

Sleidanus hæc ut ore testantur historiographi, prorsus infideliter cōmemorat. Eodem anno Angliæ Rex corpus & ossa sanctissimi Thomæ martyris, Episcopi quōdam Cantuariensis, e capsa auro & gemmis mirifice exornata, cū iam aliquot seculis inibi quieuissent, & multis miraculis claruissent, extraxit, & ad cineres usq; combussit.

Eodem anno Barbarossa tam ingens fecit naufragium, ut id non natura uel fortuito, sed diuina uirtute & singulari prouidentia accidisse uideretur. Feruntur enim hominum plus minus uiginti millia in mari periisse.

Sleidanus hæc refert suo more. Eodem anno Rex Franciæ & Regina Hungariæ Maria, Cæsaris soror, ad Cameracum conuenere, ac inde magno studio & apparatu ad D. Quintini oppidum profecti sunt. Regina nusquā nō in Gallis summa omniū exultatione accepta & magnifice tractata est: cumq; dies sedecim in Gallia mansisset, & eam essent honorificentissime prosecuti, diuerso itinere in Hannoniam se recepit.

Lycosthenes. Eodem anno multis Germaniæ locis homines armati in aere uisi sunt: & uersus Orientem Stella inusitatæ magnitudinis, quæ cruentas spargeret radios. & iuxta illam crux sanguinolenta, cum uexillo per aera uolitante.

Vicesima Ianuarii die Basileæ ingens fuit terræmotus, & in Heluetiis incendia immaniter grassata sunt: ubi etiam, præsertim apud Tigurinos, tanta sæuiit grandinis tempestas, ut ea grando ouis gallinaceis maior fuisse feratur, quæ passim damna dedit grauissima.

Anno

ANno Salutis instauratæ M.D.xxxix. Principes quidam, qui paci conciliandæ nauarent operam, in Februario Francofordiam uenere, cunq; esset tractatum diu, in eã tandem itum est sententiam, ut Imperator Protestantibus, qui etiamnum in fœdere essent, quindecim mensium pacem constitueret: atq; interea temporis daretur opera, ut utrinq; uiri eruditione præstantes inter se de religionis negocijs conferrent: Protestantes quoq; nemini damnum darent, & toto induciarum tempore nullum in suum fœdus admitterent: ijs quoq; qui essent in Clero, ubicunq; illi degerent, annuos reditus & prouentus saluos esse paterentur. Tum etiam Cæsareæ Maiest. consensu prima Augusti dies diceretur, ad quam utriusq; partis & Catholicorũ & Protestantium, homines pacis studiosi conuenirent, certusq; Theologorum numerus deligeretur, qui de religione amica & ad pacem spectãtia colloquia miscerent: & quicquid ab utrisq; decretum esset, id ad absentes Imperij ordines referretur. Anabaptistæ uero & Sacramentarij his in inducijs minime compræhenderentur. An. 1539.

Hoc anno xxiij. Aprilis migrauit e corpore Catholicus idemque constantissimus in Christiana religione Dux Saxoniæ Georgius, nullis post se hæredibus relictis. Duo enim liberi eius iam ante sine hæredibus excesserant e uiuis. Itaq; fratrem suum Henricũ, eiusq; filios Mauritium & Augustum testamento hæredes instituit, ea tamen conditione, ut Catholicam religionem ea qua decet constantia & obedientia tuerentur, nec quicquam sine generalis Concilij definitione mutarent: quæ si illi non præstarent, uoluit omnia quæ suæ essent ditionis, ad Cæsaris & Regis Ferdinandi ius pertinere, donec suus frater, eius liberi, aut qui ex Principũ Saxoniæ stirpe essent sanguine propinquiores, eiuscemodi conditiones præstarent. Eum in modum testamento composito, prius illud nobilibus & popularibus suis exhibuit, quod iam senio prægrauatus, & fractis esset uiribus, petijtq; ratum ut haberent, iureiurandoq; confirmarent ab eius sententia minime se discessuros. Sed cum illi uererentur, ne quod inde bellum in Saxonum familia existeret, rogabant copiam sibi fieri legatos ad Ducem Henricum fratrẽ ipsius mittendi: aiebãtq; se eã in spem adduci, ut ille libens annueret, ne qua in religione fieret mutatio. Verum adeo ille Lutherismo addictus erat, ut haud obscure testaretur, non se a recepta religione decessurum, etiamsi omnes mundi opes ea re sibi conciliandas nosset. Qui- Moritur Dux Saxoniæ Georgius.

bus cognitis cum legati re infecta domum redirent, Dux interea Georgius prius quam illi reuertissent, spiritum Deo reddiderat. Tũ uero frater eius Dux Henricus quamprimum Dressam adijt & urbes reliquas, & ab omnibus exegit iusiurandum. Id quod tanto ille minori negocio effecit, quod fœdere Smalcaldico niteretur. Saxoniæ quoq; Elector cum in itinere ducis Georgij obitum didicisset, eiusq; Testamenti & consiliorum non esset nescius, celeriter se domum recepit, quo si res id postularet, Duci Henrico posset esse auxilio. Ita factum est, ut hæredem & successorem non qualem optarat Dux Georgius haberet. Porro nouus Princeps Lutherum ut Lipsiam ueniret hortatus est, ubi ille aliquot habuit conciones. Ita demum religio a Duce Georgio tantopere conseruata, prorsus abolita est, & pro Lutheri arbitratu omnia immutata.

Epitaphium Illustrissimi Ducis SAXONIAE GEORGII.

SAxoniæ Princeps pietate Georgius acer,
Notus in Europa toto memorabilis æuo,
Vir fuit egregius cunctis probitate stupendus,
Religionis amans, ac seruantissimus æqui,
Dum uixit pacis flagrauit pectus amore:
Virtutis rigidus custos, uitium omne perosus,
Defensor ueteris fideiq; immota columna:
Præsidium Regis, spes altera Cæsaris alma.
Sexaginta quidem simul octo peregerat annos:
Secula transierant mundo ter quinq; redempto:
Lustra quibus septem iungas ac quatuor annos:
Dum denos septemq; dies numeraret Aprilis
Dotibus insignis mens lucida templa subiuit,
Additaq; est superis cœlestis ciuibus aulæ.
Hac corpus requiescit humo, cineresq; sepulchro,
Viuat in æternum, nunc perpete pace fruatur.

Aliud.

DVx ego Saxoniæ placidoq; Georgius ore
Post duodena mihi lustra & bis quatuor annos

Trans-

Transactos, opera gnatorum hac rupe quiesco:
Det Deus ut melior pars fulgeat arce suprema
Quem (nam uera loquor) teneris ego semper ab annis
Ingenue colui, pectusq; timore premebam
Diuini uerbi, fideiq; assertor auitæ
Semper eram, quanuis sparsisset rumor acerba
De me, sed non est nisi mens mihi conscia recti.
Qui latebras cordis penetrat testabitur olim
Quando reuelabit nunc toti incognita mundo.
Hæreseon studui populum a flagrante tumultu
Arcere & mulcere animos & pectora dictis,
Principis offitio (non fallit opinio) functus,
Hinc ego per multos simul exantlare labores
Debebam, & mille exhaurire pericula terris,
Vt comitaretur liuor non passibus æquis.
Sed constantem animum spes certa salutis ab oris
Addebat superis, ualidas uis cælica uires
Quæ solet afflictis subita succurrere rebus,
Dum mens fixa Deo manet, & neq; sicut arundo
Fluctuat, ignorans perituris fidere rebus.
Veri cultor eram simul & uirtutis amore
Feruebam, uersans cœlestes pectore curas.
Pollicitiq; tenax, mihi conciliabat amicos
Et seruata fides niueoq; in pectore candor.
Plus fidei uerbis fuerat, quam certe sigillis
Multorum, turpis quos inconstantia fœdat.
Non oblectabant epulæ, nec copia uini
Moribus abstinui patriæ (quam uexat orexis)
Arte laboratas uestes pompamq; recusans
Libera seruaui fæda connubia labe.
Nescia uerba equidem fraudisq; doliq; sonabam,
Nullus enim fucus sinuoso corde latebat,
Carpebam mores multis ringentibus atros,
Lucebat cunctis animi constantia rebus,
Non asper uitium nec persuadebat amicus,
Non mihi fortunæ uanæ ludibria mentem
Tollere, non etiam uentosa superbia pectus,
Rebus in aduersis mihi mens immota manebat,

Prospera non mouit,neq; res aduersa premebat,
Idem animus mihi semper erat uultusq; serenus.
Iura dabam populis,& leges urbibus æquas,
Nulli onerosus eram nec uectigalibus unquam
Deglubi gentem quæ suppeditabat abunde.
Pro ratione loci,pro conditione pericli,
Non ursi imperio,laxas mansuetus habenas
Vt ratio ut tempus,locus ut poscebat & usus,
Ipse dabam,innocuæ spectabam commoda gentis,
Non mea,nec studium fuit infarcere crumenas.
Auerti patrijs horrenda incendia ab oris
Pestesq; hæreseon,fallacia pectora regno
Sedulus excludens,fraudesq; dolosq; retexi.
Sed mihi uix tandem pro tantis gratia rebus
Penditur ulla quidem,potius conuitia acerba.
Succedunt,aliquando,dabunt pro crimine pœnas
Ni redeant,lachrymis & planctibus æthera tundant
Qualis ego fuerim toto pandetur in orbe.
Tradidit egregium cunctis paradigma uetustas
Seruandosq; senes ueteresq; in pectore mores
Hijs dum præsidijs fulta esset Roma manebat,
Hijs quoq; munitus nouitates ense piaui
Nunc alius nudus,faciesq; incognita rerum
Exoritur,minitans pueris senibusq; ruinas
Dum noua uestigat,pietas simul exulat orbe
Alma fides,& amor ueri,& pudor,omnis honestas
Et ne conspitiam lachrymosa hæc sæcula,gnatum
Abstulit e medio Deus,& me in tecta recepit.
Hei mihi quos casus labentia sæcula uoluent
Cæsar morte mea stupuit solatia perdens,
Sed magis angebat mentem quod corda dolorum
Nescia desererem uarijs iactanda periclis
Et laceranda lupis,atq; inficienda uenenis;
O Deus omnipotens cuius clementia cœlo
Effulget,committo gregem pietate tuendum
Cœlesti,præcor hunc foueas diuini munere roris
Protege ne fæda spurcentur pectora labe
Hæreseon,ueris Doctrinis imbue mentes

Prisca

Prisca nitore fides uigeat, tollantur abusus.
Huc ego conatus omnes referebam pectore anhelo.
Hæc ego nocturna uersabam & mente diurna
Fecissemq; satis uotis nisi uescier aura
Ille negauisset cui mors & uita ministrant.
Nunc pia pro facto clemens Deus accipe uota.
Iam uale præstigijs turgens fallacibus orbis
Non ego si fas est ad te cupiam ipse reuerti.
Ast te commoneo mi grex quem semper amaui
Suscipe consilium hoc, uarijs ne credito technis
Doctrinæ, sed uerba Dei puro accipe corde.
Cuius ego aspectu fruor exatiorq; uidendo.
Quiq; Deum metuit flagrantiq; ardet amore
Et Domini imperio paret pia iussa facessens,
Inuictusq; manet, superet ne luridus error
Iustitiæq; tenax & religionis auitæ,
Hunc deus æterno cœli cumulabit honore.

Per id tempus nonnihil tumultuatū est Gandaui. Quo cognito, Cæsar qui in animo habuisset per Italiam iter in Germaniam facere, consilio mutato, per Gallias ire decreuit, maxime quod id Rex ab eo uehementer contenderet, fidemq; publicam & omne genus beneuolentiæ polliceretur. Præmisso igitur præcipuo suo cōsiliario Domino a Granuella, ipse mense Nouembri iter ingressus est. Cum autem ad Hispaniarum & Galliæ confinia uenisset, duos illic Regis filios Henricum & Carolum, qui magnis itineribus eo aduenerant, offendit, & cū his Magistrū equitū uel Conestabilem, qui iam pridem cum ingenti Aquila præcesserat. Ab his acceptus Cæsar humanissime, & deinceps per medias Gallias & plerasque insignes urbes deductus, ubi Lochias propius accessit, Rex ipse, qui uix dum a morbo se collegerat ac recrearat, illi processit obuiam. Deinde per Aureliā profectus Cæsar, prima Ianuarij Parisios utrinque regijs stipatus filijs ingressus est, præferente illi ensem Conestabile: ubi certe nihil quod ad iucunditatem & lætitiam, summi quoque honoris exhibitionem pertineret, prætermissum est. Venit etiam eodem Pontificis Legatus Alexander Farnesius Cardinalis, qui cum Cardinali Bellaio Episcopo Parisiensi, Cæsarem in

Cæsar per Gallias proficiscitur in Germaniam.

summa æde excepit. Moratus est illic Cæsar in septimũ usq; diem: ac deinde ulterius proficiscens, Regem aliquãdiu comitem habuit. At illo retrocedente, cum Regis liberis Valencenas Hannoniæ oppidum peruenit.

Protestantiũ nouus conuentus.

Eodem anno Protestantes Arnstadij collecti, cõmunicatis inter se consilijs de fœdere confirmando, de bonis ecclesiasticis expendendis, de legatione ad Cæsarem, Reges Angliæ & Franciæ mittenda tractauerunt. At quia non omnes aderant, plerisq; etiam his de rebus nihil mandatum erat, alia Smalcaldæ dies dicta est ad Calendas Martij.

Eodem anno uitam cum morte cõmutauit Ioannes Dux Cliuensis, Iuliacensis & Montensis &c. relicto hærede superstite Duce Gulielmo cum tribus filiabus, e quibus una iampridem adhuc patre uiuente Electoris Saxoniæ filio nupserat, altera non longe a patris obitu Regi Angliæ iuncta est matrimonio.

Eodem anno tanta fuit uini copia, ut pleriq; uasis destituti, fossas ingentes tabulis communitas uino compleuerint.

Lycosthenes

Hoc anno in pago Roedt Spiræ finitimo puella quædam fuit decem propemodum annos nata, quæ capitis & intestinorum correpta doloribus, nihil esculentum sine nausea accipere potuit: inde uero nullo usa cibo, ad extremum manuum ac pedum officio prorsus destituta est.

Res miranda certe.

Tandem medicorum consilio & arte adhibitis balneis quibusdam ex herbis confectis, membrorum illi usus restitutus est: sed cibi nausea non modo non curata est, uerumetiam quod plus stuporis habet, anno sequenti, quo hominum memoria nullus extitit feruentior & aridior, neq; potum sumpsit, neq; lotium ullum reddidit. Quod ubi ad Ferdinandum Romanorum Regem, qui biennio post Spiræ Comitia egit, perlatum est, puellam illam cum eius parente ad se adduci iussit, diligentiq; adhibita inquisitione, tandẽ iudicatum est aut id agi præter naturæ ordinem & facultatem, aut non abesse a fraude & impostura. Itaq; puellam illam uoluit magno studio asseruari, & prioribus ablatis indumentis, nouis uestiri. Cumq; ea ratione dies duodecim fuisset asseruata, & nihil neq; cibi neq; potus capiens, nihilo secius in ijs omnibus, quæ natura solent accedere, tam dormiens quam uigilans nec mutationem ullam reciperet, & uiribus firma permaneret, Rex eam multis affectam muneribus, non absq; ingenti admiratione ad suos remisit.

Eodem

Eodem anno in Burgundia a secunda hora Pomeridiana ad quartam usq; sanguine pluit.

Itemq; in Episcopatu Eistetensi fuit quidam eius ditionis popularis, qui diu immanes uiscerum dolores esset perpessus. Accidit igitur, ut quandoq; inter cutem & carnem clauum quendam sic satis magnum appræhenderet, quem chyrurgi opera fecit extrahi; at nihilo minus dolor uiscerum indies sæuiebat acrius, adeo ut ille tandem sibi ipsi manus adferret. Tum uero Magistratus & amicorum eius consensu cadauer illius sectum est, atq; in eius uentriculo siue stomacho magnum ligni fragmen, & tres reperti sunt cultri, quorum unus capulo nigro plane erat rubigine affectus, alterius iam deciderat capulus, tertius omnino ferreus fuit. Simul etiam inuentum est ferrum oblongum, utrinq; acutum, & duo alia ferra rubigine desa, & quædam pilorum congeries, recentium omnino, tanquam qui recens a capite præcisi essent.

RERVM MEMORABILIVM QVAE AB ANNO DOMINI M. D. AD ANNVM usq; LIX. in republica Christiana gestæ sunt.

Liber Quartus.

An. 1540.



NNO ab orbe per Christi mortem instaurato M.D.xl. Rex Angliæ omnes suæ ditionis Episcopos, & qui ad Parlamentum, ut uocāt, pertinerent, omnesq; ordines & publicis præfectos officijs cōuocauit. Cum enim ille Pontificis Romani (cui quod nollet in diuortiū consentire erat infensior) authoritatem omnem & obedientiā in suo regno abrogasset, Lutherani alij post alios indies in regnum confluebant, atq; hac Lutherani dogmatis propagatione ingens in illo regno dissensio & seditio orta est. Quam ob rem ut eius regni incolæ in Religionis consensione & concordia pacifice & absq; ulla perturbatione degerent, in Conuentu memorato Regis & Episcoporum doctorumq; omnium, atq; etiam totius regni præfectorum & magistratuum consensu decretum est, ut in ijs, quæ ad Religionem & fidem pertinent, ea quæ subiecta sunt firma fide retineantur, nec quisquam nisi magnis commeritis supplicijs ea ausit uel dicto uel facto impugnare. Ex his uero hæc ferme primarium occupabant locum: Sub panis & uini specie uerū ac naturale Corpus & sanguinē Christi contineri, & a consecratione nō iam permanere panis uiniq; substantiam, nec ad salutem esse necessariam utriusq; speciei sumptionem, quod Christus sub utralibet esset præsens. Sacerdotes matrimonium contrahere non debere. Votum castitatis & Missæ sacrum retinendum. Secretam illam & quæ ad aurem fit peccatorum exomologesin siue confessionē esse cumprimis utilem & necessariam. Si qui uero ab his diuersum traderent, uel attentarent, eos hæreticorum instar igni cremandos, & facultates eorum omnes, tanq̄ Maiestatis reos, in Regij Fiscalis ius concessisse.

Sleidanus hęc quod illi non saperēt, simul late refert.

Eodem

Eodem anno Cæsar in ditionibus suis hæreditarijs magnis cō stitutis pœnis & supplicijs ædixit, ne quis ullos suspectos libros retinere, legere, uendere, aut quouis modo illis uti ausus esset, præsertim Lutheri, Vuiclephi, Ioannis Hus, Oecolampadij, Zvuinglij, Melanthonis, Pomerani, atq; eius generis aliorum, qui aduersum Christi Catholicam Ecclesiam & sanctos Patres scripsissent.

Eodem anno Protestantes missa ad Cæsarem, qui tum in inferiori hærebat Germania, legatione, eū aduenisse gratulantur, multisq; uerbis fœdus ictum excusant, aiuntq; se illi in omnibus, præterquam in Religione, libenter obtemperaturos: simul etiam magno urgēt opere, ut Iudicij Imperialis, quod Cameræ uocant, præsidi, ne aduersum ipsos procederet, serio mandaretur.

Paucis inde lapsis diebus, responsa illis reddit Cæsar per Cornelium Scepperum, clementer quidem & humaniter, sed non omnino pro uoto illorum & expectatione. Quam ob rem denuo illi instare, precariq; ut in Cameræ Iudicio actiones omnes contra ipsos amoueret, ipsosq; pace frui pateretur. Respondit Cæsar, non posse se in præsens quicq̄ aliud statuere: sed tamen deliberare se uelle.

Protestantes uero Calendis Martij Smalcaldam conuenere, & cum illis Melanthon, Bucerus, pluresq; alij eiusdem farinæ, ubi de integro constituerunt ab Augustana Confessione minime discedere.

Eodem die Protestantium in Angliam Legati adfuere, qui inter alia dicerent Regi plerosq; Confessionis eorum articulos minime probari. Itaq; uisum est nonnullis in rem communem fore, ut Melanthon cum quibusdam alijs ad Regem mitteretur: cum quo si in Religione duntaxat liceret conuenire, illum proculdubio magnum æris pondus fœderatis allaturum.

Eodem anno, xviij. Aprilis Cæsar Electori Saxoniæ & Lantgrauio Hassiæ scripsit se iam multis quidem annis cum ipsis egisse leniter & humaniter, sed promouisse tamen nihil: eo uero iam rem recidisse, ut nisi mature prospectum sit, magnam inter omnes Imperij ordines perturbationem excitatum iri. Itaq; se pro singulari clementia aliam statuisse diem dicere, puta ut viij. Idus Iunij Spirā, aut si pestis uel noxius aer prohibeat, alio conueniant, quo Ferdinandus Rex frater suus illos sit conuocaturus, quo tandem ratio certa possit & uia iniri, eiuscemodi non negligenda pericula auertendi ac penitus profligandi. Se quidem spe bona duci, fore ut hac Comitia Spiræ.

sua Clementia & humanitate tum ipsi, tum eorum fœderati longe quam ante hac uehementius permoueantur. Darent igitur operã, ut & ipsi & qui in fœdere essent, una omnes ad præscriptum diem adessent: & ut omni uacarent formidine, se illis publica fide securitatem: nec permissurum ut ab aliquo molestiam paterentur: ea tamen conditione, uti nec ipsi cuiq; molesti sint.

Ad hæc illi eum in modum responderunt, Gratias se Maiestati illius agere, quod pacis studiosa esse uideretur. Quod uero religionis negocium hactenus in concordiam redactum non esset, nõ illorũ id culpa, sed qui partes diuersas sequerentur accidisse, quod nullam scriptorum suorum declarationẽ uellent admittere. Quando autem ita iam uisum illi esset, ut ad præstitutam adsint diem, haud grauatim ea in re illi se obsequuturos: nec tamen fieri posse, ut tam exiguo tempore religionis grauissimũ negocium cum aliquo fructu & utilitate expediatur: eam ob rem tum ipsis, tum eorum fœderatis molestissimum fore, si non prius illis integrum sit inter se mutuo conferre & expendere, quam in id negocium incumbant. Atq; ut sine fœderatorum suorum consilio & consensu ad dictã diem conueniant, id ipsos minime decere. Tum uero tam angusta temporis spacia ad dictam diem esse relicta, ut fœderatos suos ægre sint conuocaturi, & sua cum illis consilia communicaturi. Neq; se posse certi quicq̃ absq; fœderatorum suorum consensu statuere uel definire. Præterea orare ipsos, ut fidem publicam, quã illis dedisset, non ipsorum legatis tantum, uerum etiam concionatoribus saluam esse iuberet. Deniq; quid erga hæc omnia haberet animi, ipsos efficeret certiores.

Cæsar quidem indictis Comitijs præsens interesse non potuit, alijs curis & occupationibus præpeditus: sed Ferdinandus Rex cũ suis Haganoã uenit, quod Spiræ pestis grassaretur, ut Comitijs Cæsar. Maiest. nomine præesset. Ibi tum eam in sententiam itum est, ut ab utraq; parte uiri aliquot eruditi Vuormaciæ familiari & amico inter se Colloquio congrederentur, eamq; quæ in Religione extitisset, discordiam & controuersias componere niterentur.

Ioan. Cario. Captum est hoc Colloquium per D. Ioannem Eccium, & Philippum Melanthonem. Quid in eo gestũ sit, in Actis Vuormatieñ. & alio quodam hac de re id temporis seorsim edito, qui etiamnum extat, libello annotatum est. Neq; tamen Vuormacia eius Colloquij uidit exitũ, sed in Ratisponam translatũ est, una cũ Comitijs.

Pontifex summus Cardinalē Farnesiū e Parisijs cū Imperatore in inferiorem Germaniam abire iusserat, ubi cum de Religione & bello Turcico tractaretur, suam ille sententiam explicuit hunc in modum: Pontificem quidem summopere pacem & concordiam Germanicæ nationis optare, sed ita tamen, ut ne illa cum Deo pugnaret, tum etiam ut uires suas omnes in Turcā conferrent. Quod autem ad Protestantes attineret, sæpe cum illis de pace actum esse, præsertim Comitijs Augustanis, ubi etiam suæ fidei uel dogmatū Confessionem quandam obtulissent, quæ licet suos non paucos haberet errores, tamen illos ipsos interim eam uiolasse. Itaq; quod nihil certi neq; statuerent, neq; seruarent, sed lubricas imitarentur anguillas, nihil deinceps cum illis tentandum esse. Quando enim semel ab omni honestate recessissent, eo iam illos intendere animum, ut non tam corrigatur si quid sit in Pontifice corrigendum, quam ut ille prorsus profligetur: neq; ut uitia & abusus tollantur, sed ut sedes Apostolica funditus euertatur, atq; ita simul omnis Ecclesiastica Iurisdictio pessum prematur. Nec esse, ut quisquam speret illos a sententia posse deduci, quandoquidem Religionis dissensio neq; in paucis, neq; in parui momenti, sed multis atq; maximis articulis uersaretur. Tum præterea incertum esse, qua ratione possit iniri cōcordia, cum nec ipsi inter se consentiant. Vt enim aliæ Sectæ taceantur, Luthero cum Zuuinglio minime conuenire. Actum esse Sueinfordij cum illis de pace concilianda, eoq; nomine pactas esse Norinbergæ inducias, constitutis etiam pœnis, si quis eas uiolasset: illos uero eo neglecto beneficio inducias uiolasse, fœdus suum multorum principum & urbium accessione roborasse, multis etiam locis nulla datæ fidei & iurisiurandi habita ratione Religionē mutasse. Quibus ex rebus facilis esset coniectura, ecquid ab illis sit expectandum, qui multis modis partim gratia, partim ui plerosq; sibi adiunxissent.

Sleidanus

Cardinalis Farnesij sententia.

Veram quidem Religionem plane refrixisse & extinctam iacere, tum quoque homines sua sponte procliues esse ad uitæ morumque grauitatem defugiendam, mollemque ac dissolutam uitam sectandam. Nec tamen hic eos subsistere, nec satis habere plures in errorem pertraxisse, sed etiam in res Ecclesiasticas manum immittere, Episcopos suis pellere sedibus, Religionem omnem pessundare, eaque impune omnia. Immo iam eo progressos audaciæ, ut integerrimum idemq; æquissimū Cameræ Iudicium euersum

cupiant, ut illo abrogato, una Cæsaris authoritas omnis in Germania labefactetur, ipsisq; hoc pacto absq; ullius contradictione in cuiusuis uitam & facultates pro sua libidine possint desæuire. Igitur consultum ipsis uideri, ut Concilium quam possit celerrime indicatur, & eoipso anno inchoetur, atq; interim pro uiribus auxiliares copiæ aduersus Turcam undiquaq; contrahantur, quibus anno proximo in illū eductis, hostis ille immanissimus profligetur. Farnesio adiunctus erat Marcellus Ceruinus Episcopus Nicastranus, qui illi esset a consilijs, cui in hac ipsa legatione præstitum est, ut in Cardinalium ordinem admitteretur.

Dux Cliuensis fœdus init cū Rege Gallorum.

Per idem tempus Dux Cliuensis, qui iam Geldriæ ducatum sibi uendicarat, Cæsarem adijt eo consilio, ut cum illo pacem componeret, sed frustra. Cumq; domum reuertisset, cum Rege Gallorum sua, ut aiunt, cœpit communicare consilia. Rex enim Galliarū spe omni recuperandi Mediolani amissa, a Cæsaris amicitia se abalienauit, tecte tamen aliquandiu. Itaq; cum ille modis omnibus in eam esset curam intentus, ut Cæsari bellum machinaretur, & Dux Cliuensis tantum belli pondus solus sustinere non posset, ijs ex rebus deliberatio suscepta est, qua ratione inter utrosq; quædam posset cōflari amicitia.

Erat autem Regi Gallorum neptis ex sorore Domina Margareta, Nauarræ Regina, Ioanna nomine, quæ iam undecimum ageret annum: atq; ut ea Duci Iuliacensi matrimonij iure traderetur, Rex a parentibus illius, maxime a sua sorore Regina magnopere contendit.

Thomas Cromelius capite plectitur.

Sub idem tempus Rex Angliæ Thomam Cromelium, Lutherismi in primis studiosum, quem idem Rex infimo natū loco ad summam euexerat dignitatem, iussit capite plecti: propudiataque coniuge sua, Anna Duce Cliuensi, Catherinam Hauardiam Ducis Northumbriæ ex fratre neptim sibi copulauit.

Annus iste memorabilis fuit æstu, ardore & siccitate uix tolerabili, uinoq; præcipuo.

Ea tempestate Rex Gallorum passim ad omnes suæ ditionis Episcopos datis literis, iussit ubiq; preces publicas & processiones fieri: quod tametsi pacem cum Cæsare composuisset, nec ab ea pace absq; grauissimis causis discedere statuisset, tamen metus esset, ne antiquus ille humani generis hostis & pacis inimicus per quosdam illi accommodos administros suos nouo bello ferendo meteriam præberet.

Interea

Interea Cæsar Comitia indixit, ut ad Ianuarium omnes Imperij ordines Ratisbonam conuenirent.

Decembris die xiiij. in Germania immanes extitere terræmotus, qui pleraq; ædificia funditus euerterunt.

ANno M.D.xli. Calendis Ianuarij iter in Germaniam Cæsar, relictis Belgis, arripit, Ratisponam uersus. Et peragratis Mediomatricis & Nemetibus, uenit Noribergam, quam antea nunq̃ uiderat, ibidemq; magnifice gloriose q; exceptus est. An. 1541.

Cæsar autem quum Ratisponam uenisset comitiorum causa, & aliquandiu, cæterorum Principum præstolatus esset aduentum, tandem & ipsi omnes Imperij ordines comparuerunt. Nam Hassiæ quidem Lantgrauius, sub finem Martij, magna stipatus aulicorum caterua eodem uenit, quem Cæsar benigne & honorifice excepit. At Saxoniæ Dux Elector Legatos subornat, inter quos Melanthon ipse, & eiusdem farinæ homines. *Cæsar omniū primus ad comitia uenit.*

Fuit & a Pontifice Maximo illuc destinatus Casparus Contarenus Cardinalis, Vir sane apprime doctus & pacis amantissimus.

Igitur nonis Aprilis, primum omnium, Cæsaris nimirum intuitu, causa proponitur agitanda ab Imperij ordinibus, de astutia Turcarũ, quippe qui ex discordia Religionis animati atq; muniti, Vngariam & Austriam inuasissent, ea nimirum fiducia, ut totam Germaniam suæ tyrannidi subijciant: Quapropter summopere necessariam esse Religionis concordiam. Et quo ea maturius commodiusq; curetur habeaturq;, operæpratium fore cumprimis, ut uiri docti auidiq; pacis eligantur, qui inter se deliberent atq; cõsultent, quibus uidelicet rationibus dissidia religionis Turcarum arma & præsidia, tollantur. Ad istud colloquium seu consultationẽ in primis a parte Catholicorum electi sunt, D. Iulius Pflug, Ioannes Eccius, & Ioannes Gropperus Doctores. Totidem a parte Protestantiũ, ut pote Melanthon, Bucerus, & Pistorius. His additi sunt duo Præsides tanq̃ arbitri & moderatores, Fridericus Palatinus, & Granuellanus. Qui librũ Colloquutoribus ꝓponit, ut eũ diligẽter legant & euoluant, quaq; interim placerent, uicissim approbarent, quæ uero nõ, corrigerẽt & emẽdarent. Cum autẽ mẽsem euoluendo libro exegissent, ꝓpositionibus aliquot, mutuo inter se cõciliatis accidit D. Eccium febrire, interim reliqui duo ꝓsequuntur colloquiũ, ac librũ ꝓpositum, Cæsari porrigunt, cũ immutatione uel castigatione articulo- *Sleidanus hũc ipsum librũ satis cõmendat, qui tamẽ Buceri studio cõscriptus erat.*

articulorum aliquot. Cæsar Legato Pontificis, & totius Imperij proceribus tam Catholicis quam Protestantibus eundem reddit, ut quisq; suam edicat sententiam. At uero liber ille neutri parti per omnia placuit. Nam consultum fore censuit Apostolicæ Sedis Legatus, nihil plane asserere, absq; consensu & præhabito Pontificis consilio. Tandem post multa & diuersa consilia nihil profectũ est.

Cæsar igitur quum animaduerteret, multum iam temporis inaniter & sine fructu præteriisse, multumq; periculi ab immanitate Turcica impendere, Dimissionem siue Recessum Imperialem confici iubet, in quo omnem actionem differt adusq; Concilium Oecumenicum, præcipiens ipsis Protestantibus, ne noui quippiã moliantur, Episcopis uero Ecclesiam ipsorum curæ fideiq; commendatam, ab omni crimine conseruare. Deinde in Italiam profectus, Lucam quæ Thusciæ ciuitas est, peruenit, ubi cum Pontifice deliberatione habita, cum legionibus, quas undiq; sibi conflauerat, Hispanorum, Italorum, & Germanorum pelago se cõmittit. Quanquam autẽ brumale frigus immineret, ac propterea Summus Pontifex nauigationem tunc periculosam dissuaderet, nequaquam tamen a nauigãdi proposito destitit, quo negocium Turcis facessat, & conatum ipsorum reprimat. Et sublatis ancoris a porta Veneris in Corsicam insulã traiecit, indeq; Maioricam & Minoricam uersus adnauigans, uicesima octobris Algerum ciuitatem Africæ maritimam appulit. Erant pedites omnes numero uiginti duo millia, equites uero paulo plus mille. Primæ cohorti quæ Hispanorum, prorex Siciliæ Ferrado Gonzaga præfectus est. Alteram uero Germanorum nimirum legionem fortissimam Cæsar ipse gubernabat. Porro tertiæ Italorum turmæ & Rhodiensium, Camillus Columna Dux erat. Eo autem die, quo Cæsaris classis appellebat, & altero deinceps, aura fuit serenissima, & mare in summa tranquillitate cõstitutum. At tertio posthæc die, subito uentis undiq; spirantibus mare sic intumuit, exæstuauit, despumauitq;, ut in summo iam discrimine Cæsarianæ classes uersarẽtur, aut potius fluctuarent. Nam imbribus atq; procellis tempestas, diutius uehemẽtiusq; sæuiebat, nullis artibus, uiribusq;, humanis saltem, sisti placariq; poterat, & ita quidem belligerandi propositum atq; conamen præpediebantur. magnam illa tempestas iacturam Cæsariano militi peperit, naufragia & submersiones non modo bellici apparatus, imo & infinitæ multitudinis ædidit, Vidisses uela, antennas, opiferos funes, proras, puppes,

Expeditio in Algeriũ Africæ oppidum.

puppes, remos deniq; & anchoras, & quod miserabilius erat, milites ducesq; fortissimos mediis furentibusq; fluctibus inuolui & absorberi. Tunc Rex, Cæsarisq; legati una cum omnibus Catholicorum ordinibus aiunt, Tridentum quidem perplacere. At uero Protestantes neq; Concilium Pontificis, neq; locum illum, neq; Decretum admittunt, sed aperte reclamant. *Protestantiũ fastus.*

Tandem definitum fuit, copias conscribere, & Turcæ obuiam ire. Marchio Ioachimus, Elector Brandeburgeñ. Dux exercitus decernitur, qui mox e uestigio militiæ quoq; sese alacriter accingit. Proinde toti Germaniæ communis quædam exactio pro authorandis militibus & apparatui castrensi necessariis comparandis imponitur. Atq; ita Comitia tertio Idus Aprilis, finem suum sortita sunt.

Per idem fere tempus Gallorum Rex grauiter de uiolatis legatis queritur. Nam quod nuncij & legati sui, atrocius sint excepti, se non posse absq; detrimento & iniuria sui nominis atq; famæ inultum relinquere demonstrat. Idcirco datis ad Senatũ Parisiensem literis secunda nimirum Maij præcipit, per ecclesias obsecrationes fieri, simulac ita Deum præcari, ut ipse post satisfactionem iniuriarum, quibus per inhumanitatem erga legatos affectus esset, pacem tribuat, aut sane si res bello consummanda sit, uictoriam potius concedat. Insuper quoq; mandat ut si quis in fide Catholica & religione Christiana non recte sentiat, sed cõtumaci proposito sinistrũ aliquid & alienum tueatur, publice pœnas luat acerbissimas. *Querela Regis Galliæ et bellandi cupido.*

Dehinc paucis post diebus Longeuallum in Cleuiam Rex mittit, qui eadem illa æstate duce Martinio Rossemo copias undique conflat. *Martinus Rossemius, expeditionẽ in Belgas parat.*

Interim uero Concilium a Pontifice Maximo prima Iunij indicitur, quo Tridentum calendis Nouembris singuli compareant. Insuper omnibus Patriarchis, Episcopis, Abbatibus & Ecclesiarũ Præpositis (qui iure ac merito Conciliis interesse possunt, suam sententiam explicaturi) mandat, ut dicto die ibidem adsint. Maxime uero Cæsarem & Gallorũ Regem hortatur, ut aut ipsi ueniant, aut sane legatos emittant, & Episcopis ipsorum imperio subiectis proficisci iubeant, præcipue tamen Episcopos Germaniæ euocat, quod omnis iste conatus potissimum ipsorum causa & requisitione susceptus sit. *Tridentini Concilij indictio.*

Porro Rex Galliæ mense Iunio, Cæsari uerbis acerbioribus

bellum denunciat. Nam publico scripto facultatem suis impertiatur, ut libere Cæsaris prouincias, quibus uellent insidijs artibusq; inuadant, & terra & mari belligerentur. Paucis etenim ante diebus Longeuallius ductore Rossemio Brabantiam incursionibus, incendijs, depopulationibusq; uastauerat, simulatq; populum ibidem necdum militiæ accinctum, in maximos terrores & angustias imo & pericula coniecerat. Parum aberat, quin Antuerpia Emporium celeberrimum & opulentissimum in manus ipsorum ueniret. At quum apparatu catapultis necessario destituerentur, nihil tale effectum fuit, quia ciuitatem arietibus concutere non poterant. Quare infectare secesserunt in proximos pagos, cuncta passim diruentes, & miseros agricolas pecunijs multantes. Dehinc productis copijs Louanium perueniunt, quod forte cepisset, nisi studiosi (qui ex omnibus fere nationibus ibidem operā dant, & ciues adeo multitudine superant) sese obarmassent, hostibusq; fortiter iaculando & cominus dimicando restitissent.

Insignis incendiarius. Tandem Bruxellam uersus castra uertunt, & in Hannoniam digressi Franciam petunt. Hac in profectione, mille & ducenti pagi incendio penitus conflagrarunt, præter aliorum mulctam pecuniariam.

Per idem fere tempus Franci Ducatum Lucenburgensem gladio & igni deuastant, Danuillerum oppidum funditus euertunt, simul etiam Iuocum post diuturnam obsidionem ad deditionem coegerunt, deditumq; fortissime communierunt. Sed Arlunum ignibus tradiderunt, mœniaq; deiecerunt æquaruntq; solo. Inde progressi, Lucenburgum primariam illic ciuitatem petunt. Quam cum ciues & præsidiarij satis diu ac strennue in hostem dimicassent mœniaq; assiduis eiaculationibus diruta iacerent, sese dedere compulsi sunt. Rex igitur capta ciuitate sex milia germanorum ibidē in præsidijs ponit, quibus Comitem Beijchlingensem præfecit, & plures alios.

Veritus interim Rex ne iter seu reditus illi a Cæsarianis obstrueretur, in Franciam celerrime contendit, quippe qui proprios limites egressus populando uagaretur adhuc & grassaretur. Vix enim alienam patriam emensus erat, quando Cæsariani magno cū apparatu militari aciem suam in aduersarios direxerant. Hi igitur armis instructi quicquid galli suo subegere dominio, eripiunt, atq; recuperant, dempto Yuoidio. His ita gestis totius militiæ robur,

Princeps

Princeps Aurisiacus belli Dux ad se recipit, & peragrato Lucemburgo Franciam inuadere nititur, sed frustra. Tanta nempe tempestas tamq; diuturna ingruit, ut plurima pars exercitus procellis, uentis, imbribus ac frigore afflicta periret, & quæ superfuere copiæ in belgas redire coactæ sunt. Quibus iam domum reuersis, aer ad serenitatem se componere cœpit. Nam præter naturæ solitum aura maxime tranquilla, & mediocriter temperata successit.

Tantis igitur malis & infortunijs affecti Cæsariani, plurimum indignantur. Cum enim Gallum, capitalem hostem oppugnare nec inuadere possent, tandem animi sui dolorem, tædium atq; furorē in Iuliacenses, tanquam eos unde toti ncendia, uastationes & excidia, omnisq; infortunij origo profluxerant, effundunt, & subito quodam impetu facto obruunt, ciuitates, arcesq; incendunt, & ex mulcta pagorum incendiaria, multum pecuniæ coaceruarunt. Magna ubiq; trepidatio & horror municipia inuaserant, ita ut plurima deditionem facerēt, inter quæ MarcoDurū & Iuliacū, hoc enim undecima Octobris, illud uero octaua eiusdem mensis se dedidit. In alijs autē oppidulis Vulgo Sittart, Sustern, Heynsbergi præsidia locant, At Berchemum, Caster, Randenrath flammis consumunt, mœniaq; diruunt.

Brabanti Iuliacenses bello fatigant & obruunt.

Interea Cliuensium Dux copias undiq; per Ducatus & Dominia, Gelriam uidelicet, Cliuiam, Montensem & Marcensem prouinciam, colligit, quibus ille fretus, quicquid ab hostibus direptū & occupatū erat, in suum dominium recipit, præter Heynsbergū, Sustern, atq; MarcoDurū, nam in his præsidia erāt disposita. ij autē præsidiarij qui in Zittart sese succenturiauerāt, fugam capiunt, q̄d mœnia funditus concidissent. Qui Iuliaci stationem agebant, MarcoDurum secedunt, ideo quod fortiora haberet propugnacula, & Dux cum ualidissimo immineret exercitu.

Ad calendas Nouēbris Brabanti commeatum parant, & plura præsidia, ut succurrant ciuitatibus quas deditione cæperant. Instructis itaq; copijs Heynsbergū inprimis ꝓficiscuntur, quod etiā copioso cōmeatu sustentant. Idipsum quoq; tentabant Duraci efficere, sed uerebantur ne forte prope Ruremundam & ibidem circumcirca insidias Dux posuisset. Hoc igitur metu perculsi retrocesserunt. Sub noctem uero Ducales Cæsarianos persequuntur, & ex improuiso comprehendunt. Sed quū promiscue militare signū eiusdem coloris omnes gestarent, nec ullum iam discrimen haberi

poſſet inter ſocios &hoſtes,cæſis utrinq; nōnullis,prælīū deferbuit.

Dux uero receptis Zittart & Iuliaco ciuitatibus,murorum loco aggeres erigi iubet ſolidiſſimos,iterumq; muniri.

Duracum ditione capitur. Menſe Decēbri Dux caſtra promouet,& applicat Duraco.Hi ergo qui in præſidijs ibidem erant,triduo poſt feſtū Natiuitatis Chriſti ſe dedunt illæſo tamen corpore,& ſaluis facultatibus.

Hoc eodem anno Gallorum Rex,Polinum ad Turcam mittit, oratum ut claſſem in Prouinciam ſibi mitteret.Cum aūt is paulo tardius aduenisſet,Turca rem omnē in ſequentem annum ꝓducit.

Edictum in Lutheranos animaduerſio. Per idē tempus idem Rex,Edictum publicum in Lutheranos emittit, Senatus quoque Pariſieñ. interdicto cauet grauiſſimo ne bibliopolæ libros reprobatos &ſuſpectos imprimāt,aut uendant, maxime uero eos q Ioannis Caluini opera ꝓdiſſent. Deinde præſcribit atq; mandat,ut populus in concionibus adhortetur,officiū ſuum Eccleſiæ præſtent,&ſi quē ſectarium norint,deferant.Typographis quoq; imponitur, quod ſi nimirū quicquam haberent penes ſe ſcriptum uel excuſum,aliqua ratione ſuſpectū, aut Eccleſiaſticæ conſuetudini contrarium, ſpacio dierū ſex reſignent: Deinceps enim nullam purgationem alicuius fore momenti.

Illis ergo diebus quādo huius edicti facta eſt,ꝓmulgatio,ſolēnes ꝑ ſingulas Eccleſias ſupplicationes habitæ ſunt,ꝓ fœlici ac proſpero Regni ſucceſſu,&Religiōis cōſeruatione: & hæretici ſane nō pauci ꝓpter ſectariam &erroneā doctrinā Lutheri ignibus exuſti ſunt.

Locuſtarū infinita multitudo. Sub æſtatem iſtius anni,ingens Locuſtarū agmen ꝑ Germaniā in Italiam uerſus noſtrū clima uolabat.Sicubi uero agmen illud cōſederat,depaſcebat omnia.Erant enim Locuſtæ copioſæ,&magnæ.

Infectis itaq; rebus ij qui ſuper erant in Hiſpaniam tandem mēſe Nouembri poſt multa pericula & naufragia cum Cæſare appulerunt.Hoc modo res noſtræ terra mariq; in Africa atq; Europa miſere infœliciterq; gerebantur.Alioqui Germania ipſa peſtilentia aſflictabatur,&ut ſemel omnia dicam,annus per quā grauis,triſtis & calamitoſus erat,ijs potiſſimū qui in ꝓuincia Rhenana morabant.

At Cæſar cū ex Italia ſolueret,Granuellanū ibidem reliquerat, ut is apud pontificē Conciliū ꝓmoueret,ſimul ac Senas (quæ Ciuitas eſt Hetruriæ octingētis ſtadijs a Roma diſtās)ad concordiā reuocaret,ſiquidē multis ſeditiōibus perturbaret totum illic municipiū.

Eodem hoc anno Cliuenſium Dux Vuilhelmus ad Regem Galliæ perrexit,fauorem ipſius & patrocinium(ut fertur)implora-

turus,

turcos, si forte posset illius præsidijs fretus, Gelriæ principatum occupare & bellicis machinamētis sibi subiugare. De sponsalibus Sleidanus hic multa satis refert, utrum tam uere profecto me fugit. Interim tamē ex Viris fide dignissimis & integerrimis intelleximus, Ducem illustrissimum generosissimumq; dixisse: Sleidanum ipsum rem tunc gestam non fideliter narrasse. Quia uero manifestissimū est, eum plurima passim ueritati cōtraria scripsisse, hæc quoq; pro sua authoritate illi tribuamus tanquam ei cui minime fides adhibenda sit hac in re, sicuti nec in cæteris.

Interea quoq; temporis mulier quædam Coloniæ in parœcia D. Iacobi degens, quatuor uno partu puellos ædidit. Horum unus domi baptizatus moritur, alij uero tres ad templum cum solitis cæremonijs deducti, baptismum perceperūt, qui etiam cum infantulo mortuo simul ad sepulturam decenter & composite delati sunt. Porro mulier illa antea subinde tres, aliquando duos genuerat uno tempore filios, & ab ultimo illo partu, gemellos adhuc peperit. *Naucleru.*

Hoc insuper anno inauditum quiddam & insolitum accidit non procul a Mediolano. Nam in locum unum canes uiginti conuenerant, qui ordine quasi militari seu castrensi Mediolanū cursu quam ocyssime contendebant, & obuios quoscunq; siue homines siue belluas magna agitati furia morsibus discerpunt atq; dilaniant. *Lycosthenes.*

Deniq; uuæ quasi magno barbitio comatæ, quæ prope Albersschmeilerum in Germania excreuerant, Regi Ferdinando, alijsq; Dynastis exhibitæ sunt, & uiuis coloribus adumbratæ.

ANno M.D.xlij. Cæsar opera fratris sui Regis Ferdinandi comitium Spiræ indixit. Rex igitur Ferdinādus sexto Idus Februarij pro more præfatur & exponit. Quo pacto Cæsar omni frustratus diligentia quam pro restauranda concordia misere propter sectas contaminata, impenderat, in Italiam redijsset, ubi cum Pontifice de Concilio, & bello Turcico deliberasset, inde uero cum apparatu nauali in Africam abijsset, Turcas debellaturus, at tempestatem obstitisse, cur re infecta in Hispaniam redijsset. Vbi nihilominus expeditionem & militarem apparatum conficeret ad oppugnandos Turcas p mare per terras, præsidia quoq; a suis opportunissima accepisset, omnes proinde hortaretur, ut idem & ipsi faciant, & suppetias in Turcos expediāt. Quia eos Hungaria pellere oporteat, alioquin extremum malorum expectandum ferendumq; ipsis esse. An. 1542.

Gallorum item Rex ad imperialem illum Conuentum legationem misit, quæ posteaquam Regis erga Germaniam beneuolum animum prolixa oratione insinuasset ac mirifice commendasset, subiecit tandem: Non satis conducere aut expedire, Turcam in prælium concitare, quandoquidem & ipsos Principes Christianos inter se diffidere, Turcam uero hostem adeo potentem esse, ut similem non habeat. Licet Germania potens sit, gentemq; robustam habeat, non tamen leuiter adeo robore atq; potentia illa abutendũ esse, præcipue cum ipsi inter se sint diuersæ partis & sententiæ

Legatus autem Apostolicæ sedis proponebat, Consultum sibi uideri & semper optasse, ut & Turcæ resistant, ac ita Concilium haberi queat: Ideoq; necessarium esse ut pacis induciæ inter Cæsarẽ & Regem continuentur. Et si Cæsarem ipsum belli Turcici ducẽ esse contigeret, suppeditaturum quinq; milia peditum, sin autem, duo tantum. Cæterum ut Concilium in Germania celebretur, sibi admodum graue & per quam molestũ fore, siquidem Vir esset senio, confectus & libenter adesse uellet, adhæc cæteris nationibus parum accommodum gratumq; futurum si Concilium ipsum in Germania peragatur. Quocirca unam ex ciuitatibus potius Italiæ deligant, utpote Mantuam, aut Ferrariam, Bononiam uel deniq; Placentiam, quæ amplæ & admodum idoneæ sint. Aut si nulla harum placeat, Tridentum eligant, quod & Germaniæ confine sit, & ad illud quidem designatum.

Henricus Dux Brunsuicensis in Bauariam fugit.

Hæc etiam tempestate Saxoniæ Dux Elector, & Lantgrauius Hassiæ, per occasionem Smalcaldicæ confœderationis in Dominiũ Henrici Ducis Brunsuicensis irruunt, se & filium ipsius Carolum Victorem patria pellunt, ita ut cum nullus iam refugĳ locus esset, Bauariam concedere Henricus cum filio Carolo cogeretur. Protestantes uero ne quid temere gessisse uiderentur, scripto ꝓponunt, Ducem Henricum, socios primum bello petiuisse.

Comitia Norinbergæ dicuntur.

Idibus Iulĳ, alius comitiorũ dies Norinbergæ cõstituitur, ubi Romanorum Rex Ferdinandus primus omniũ proponit, Quosdam Imperĳ ordines nouissimo Spirensi Decreto non paruisse, nec suppetias castrenses in Turcam misisse, nonnullos etiam pecuniam denegasse. Idcirco bellum siluisse, quod sane Regno & Christianissimo magnum afferret dispendium.

Legatio ad Protestantes in gratiam Ducis Henrici

In his præterea comitĳs ad Saxonem atq; Lantgrauium internuncĳ mittunt, qui renuncient, ne fœderis socĳ rẽ armis decernãt

aut

aut gerant, quo uicissim Germania ab intestinis bellis seruetur.

Illi huic Decreto respondent, bellum tantum concernere Ducē Brunsuuicensem qui congerrones primum armis inuasisset, simul ac longa quadam euagatione ostendunt, sese aliter non potuisse negocium conficere. Protestantiū responsio.

Postremo sexto calendas Octobris, cessarunt comitia, & ij qui Spirensi Decreto inobedientes extiterant, pœnæ subiecti sunt. Finis Comitiorum.

Eo tempore pseudo quidam propheta Dauid Georgius in partibus Frisiæ surrexit. Hic aiebat se imo uerius iactabat Deum habere parentem. Loquebatur cum auibus cæterisq; animantibus a quibus uicissim alimonia sibi deferebatur. Asserebat præterea se missum esse ut filios regni tanquā cohæredes assumeret, quia Cœlum prorsus uacuum esset, alia his similia numamenta effutiebat. quæ ij homines instabiles & mente corrupti auscultabant & sequebātur. Lycosthenes.

ANno ab instaurata per Christum salute M. D. xliij. Noribergæ dies dictus est. Aberat autem Cæsar, nam in Hispanijs adhuc agebat. Rex igitur Ferdinandus in eo consessu, ultima Ianuarij in hunc fere modum proponit: Turcam uidelicet uiolenter magno cum impetu irruere ut orbem Christianum bello nauali atq; campestri affligat. Ideo ante omnia necessarium esse ut suppetias unanimi cōsensu in superioribus Comitijs promissas, præstent atq; exhibeant. An. 1543.

Quinta uero Februarij Granuellanus nomine Cæsaris ex Hispania eodem concessit, qui inter alia demonstrat. Cæsarem quidem instruxisse aciem aduersus Turcam, uerum a Gallorum Rege & Duce Cliuensi impediri, quo minus pergat. Ea propter expedire ut in utrunq; collatis auxilijs belligeretur, quo tandem ipsorum audacia iustissimo prælio conteratur.

In his præterea comitijs Protestantes grauiter admodum atq; prolixe queruntur de Cameræ iudicio. Quod enim Henrici Ducis Brunsuicensis nomine in ius essent prouocati, simulac in eos iam iuridice agi cœptum esset, nullam subesse causam saltē iustam aiunt, quia indignum nihil in Ducem Henricum cō miserint. Quare si huius rei causa plecti debeant, fore, ut non solum ipsi, uerumetiam totum regnum in discrimen ueniat. Rogatum itaq; uellent, ut alij crearentur Iudices seu assessores, qui pactionem superioribus annis susceptam non uiolent, & ab actione seu lite Camerali cessent. Querela Protestantium, de iurisdictione Cameræ.

Respondit

Querela diluta.

Respondit Rex Ferdinandus & Cæsaris internuncij, Ad Tridentinum Concilium Cæsarem uenturum, fieri proinde non posse, ut Camerales ordine moueantur, quin potius omnẽ prius causam audiendam & examinandam esse. Dehinc neutiquam decere ut Henrico Duci Brunsuicensi patria pulso ius siue iudicium recusetur, quod is causam satis utiq; iustam habere uideatur.

Protestantiũ insolentia.

His continuo Protestantes subnectunt, Concilium Pontificis ne dum mediocriter ipsis displicere, uerum etiam plane se reijcere nec huic interesse uelle. Adhæc in cæteris minime sibi satisfieri. Qua re aliam adhuc & ampliorem consultationem admittere sese non posse.

Decretum Comitiale.

At uero a Rege tandem cæterisq; Imperij ordinibus constitutum & ratum fuit. In primis. Ad Turcarum confinia munitiones sint atq; præsidia. Reformatio Cameræ fiat iuxta formulam Ratisponæ confectam. Qui auxilia stipulata renuunt, iurisdictioni Fiscali subiaceant.

Huiusmodi autem Decreto Protestantes reluctabantur, quod illud editum esset ipsis absentibus ut aiebant, nec certi quicquam de pace constitutum.

Sleidanus hic nedũ fidẽ historicã uiolat, uerũ etiã mẽdaciter narrat.

Eodem hoc anno Archiepiscopus Coloniensis ab aulicis qui doctrinæ Luthericæ plus satis adhærebãt, inductus atq; persuasus, Martinum Bucerum, ordinis Dominicani desertorem ac profugũ ad se euocat, ut Bonnæ (quæ Rheno adiacet, quarto ultra Coloniam Agrippinam miliario distans) Ecclesiastæ munus in se recipiat. Quod ubi supremum siue metropolitanæ Ecclesiæ collegium intellexit, totiq; Clero & Vniuersitati Coloniensi innotuit, egerrime tulerunt. Proinde ij Archiepiscopum oratum cum obsecrationibus uolunt, ut periurum illum & fraudulentum apostatam fugiat, & si concionatoris opera usquam indigeat, puriorem spondent unum aut plures etiam qui ecclesiam doceant. Verum Archiepiscopus, qui alias natura probus & clementissimus Princeps erat, sed non adeo doctus ut benignus & facilis, a plerisq; consiliarijs parum profecto integris seductus, ad sinistram declinat & proponit, Pontificis Maximi & Cæsaris Decretum esse atq; Præceptum, ut ipse cæteriq; alij præsules Christianam in suis prouincijs reformationem statuant atq; decernant, idcirco non esse cur eum a tali proposito auocent, a quo nec debeat nec possit, quippe qui emendare uellet suã ecclesiã atq; Diœcesin. Huic porro Archiepiscopi arbitrio

sic te-

fic respondit Clerus tam primarius quã secundarius &tota Vniuersitas uniformiter,seruatis titulis tanto Episcopo dignis. Quod ipse nimirum anno xxxvi.supra millesimum quingentesimum,prouinciale Concilium præsentibus in primis suo Vicario siue Coadiutore,& Archiepiscopatus sui suffraganeis,Leodieñ. Traiecteñ. Monasterieñ.Osnaburgeñ.atq; Mindeñ.Episcopis,cum uniuerso Clero,uotis per omnia concordibus asseruisse,uellent proinde atq; sperarent ut si eam reformationem Catholicam quidem & Christianã (quam in illa prouinciali synodo cõsentientibus suffragijs tot Episcopi,Præpositi atq; Doctores sanxissent, quæ deniq; ipso præsente promulgata esset) cum diligenti & decenti examine quale susceptũ & auspicatum Coloniæ apud ipsos uiderat, ad exequutionem & satisfactionem perducat,futurum inquam ita sperarent,quodeiusmodi reformationem ipse,nimirum quæ Pontifici ac Cæsari placeret, suæq; authoritati conueniret, omnibusq; cordatis gratissima foret,& animorũ deniq; saluti & gloriæ responderet. instaurasset. Si uero hanc eandem nonnihil extendere,ornare & amplificare ad redintegrationem suæ diœceseos decreuisset,æquum esse ac dignũ ut potius cum ipsis,tanquam suis,non etiã alienis & improbis, qua lis equidem Bucerus esset & alij peruersi dogmatistæ, ex apostatis fere omnes conflari, deliberet, consensum exigat, quorum tandem consilio & assensu fretus legitime reformationem illam sic amplificatam & exornatam expediat atq; confirmet. Bucerus hoc responsum quasi calumniam interpretatus, libellum clam excudi Coloniæ fecit. Sed ut typographus a suspicione,& mulcta immunis foret (nam in huiusmodi Senatus animaduertere decreuerat) prodijt sub nomine Hermanni Sebastiani Marpurgeñ.qui nunquã illud opusculum uiderat, aut sane in rerum ut ita dicam, natura nusquam prius extiterat. Hoc igitur libello Bucerus suam uocationem Bonnam uersus tueri & aperte defendere studebat, ubi etiam inter cætera demonstrat,quo pacto cũ impositione manuum Episcopalium Moguntiæ potestatem Euãgelium ipsum prædicandi accepisset,nullum præterea huius rei defectum,uitium aut impedimentum in se considerare. Quo comperto libellus ille Viris nominatissimis & in sacris literis exercitatissimis discutiendus & examinandus a Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ traditur & exhibetur: Qui uicissim clarissime puro & æterno Dei uerbo hunc eundẽ libellum confutarunt, ostendentes liquidissimis argumentis &

indicijs, quam crasse & uarie in eo Bucerus ueritatem labefactet, quam deniq; uafre uerborũ pigmentis & mellitis dictis inibi utatur, ut pestilentissimum hæreseos uirus simplicioribus hauriendũ propinet atq; instillet. Præcipui autem articuli Confutationis hi fuerunt: Bucerum non recte nec orthodoxe docere. Nam & meritum passionis Christi diminueret, & gratiam uirtute meritorum Christi in Baptismi Sacramento nobis concessam & infusam euacuaret. Præterea, Humanam prorsus damnaret naturam, contra D. Pauli, omniumq; Apostolorum & Patrum sententiam atq; doctrinam. Id generis complures alios errores & hæreses, in eodem illo libello habebantur, ut uidere est in libro de Iudicio Vniuersitatis & Cleri in hanc rem Coloniæ quasi Confutationem edito.

Licet autem in eo de Iudicio Vniuersitatis & Cleri uolumine, Buceri libellus de sua uocatione satis superq; confutatus esset, eundemq; hæresibus, erroribusq; scatere, authoritatibus sacræ scripturæ & uetustissimorum Patrum scriptis abunde & luculenter demonstratum esset, hi tamen qui uidelicet Archiepiscopum falsis syrenum cantibus demulcentes seducebant, nihil intermittunt, sed efficiũt ut Melanthon quoq;, Pistorius, Sarcerius & istius fermenti plures, in commodum & subsidium Buceri Bonnam euocentur, Qui dum inter se conuenissent, librum nomine ipsius Archiepiscopi fabricantur (in quo tamen maxime omnium Bucerus desudarat) sub titulo cuiusdam methodi ad indagandam & instaurandã firmam ac stabilem reformationem. Hunc igitur librum tam specioso titulo insignitum, Coloniam ad primarium clerũ mittit Episcopus, ut circiter Diem quem indicturus erat eum euoluat, & si posset, rationibus improbet, alioquin uellet ipsum die illo siue Cõuentu ordinibus suæ Diœceseos proponere, & reformationẽ inibi declaratam exequi.

Recepto libro satis prolixo & copioso, instat Clerus ædis metropolitanæ, & obnixe impensissimeq; Archiepiscopum orat, ne rem adeo grauem, perplexam atq; difficilem præcipitet, quin potius maturum illi tempus concedat, necessarium utiq; tanto euoluendo libro, quo nimirum apud ipsos accuratius a pijs & doctioribus examinetur. Annuit Episcopus, & interuallum trium septimanarum præscribit. Clerus cõmunicato consilio optimos quosq; & diuinarũ literarum peritissimos sibi deligit, ut interea temporis transmissum uolumen diligenti indagine & attentione præcipua perle-

plegant, dictáq; illic reformationē, qualis & cuius spūs sit ꝓbent. Tandem post studia atq; labores prodijt a Delectu cōsensura plane Christiana & fixa siue constans, ex monimentis & diuinis omnino placitis Sanctorū Ecclesiæ Doctorū desumpta, quæ quidā initio sententiā Ecclesiæ Catholicæ ꝓponit, deinde in qbus uolumē illud Reformationē ptendens, Christiano & Catholico dogmati repugnet.

Censuram hoc modo compositā Clerus ad suum Antistitem mittit, simulac demisse flagrātissimeq; rogat, quatenus uidelicet eadem patientia & sedulitate in accipienda & legenda hac fidei & religionis, uotis & documentis cōsentanea censura siue recognitione potius, ipsos dignetur, & prosequatur tanquam membra sua cariora & propinquiora: qua & alienos illos, in euoluendo de constitutione pro reformanda Ecclesia libro dignatus antea fuisset, ita nempe haud dubie futurum ut facillime intelligat, & clarissime uideat, quod liber ille de Reformatione infinitis locis, Christianæ & Catholicæ doctrinæ aduersetur, & proinde nullo modo probari aut deniq; recipi debere.

Insuper etiam omne sibi promittunt obsequium in reformationæ ꝑpenso, modo tamen ipsorū arbitrium, quoꝝ ꝑmissu atq; uigore legū & canonū interest, ea in re consultare, nō aspernetur. Quia cum huiusmodi Christianæ reformationis auidissimi semper extiterint, eandem longe gratissimam cōmendatissimamq; ipsis fore.

Postremo supplices petunt & obtestantur, ut improbis illis cōcionatoribus ualedicat, & ableget, neue subditos suos integerrimos & obsequētissimos noua & falso dicta reformatione grauet.

Cæterum dum ad Sleidani narrationem hac de re oculos deflecto, non possum nec debeo ipsius præterire ineptias nedicam mendacia. Siquidē is sophistica quadā inductione psuadere studet, Canonicos (penes quos creandi Archiepiscopum Coloniensem nimirum, potestas est) cū alijs ordinibus, reformationis Bucerianæ auspicium uel instaurationem, quasi diuinum opus & salutare probasse. Scribit ꝑterea Episcopū a Theologis Coloniensibus postulasse ut iudiciū & sententiā suā scripto nimirū cōmunicent, at nequaq̄ sibi satisfactū esse. Ait insup, nullos eo tēpore, Coloniæ superfuisse concionatores, quos Episcopus ipse, cōmode utiliterq; populo pficere potuerit. His quoq; addit ad uotū Episcopi neminē ab Ecclesiasticis constitutū fuisse, qui de Christiana Reformatione cōsultaret. Impudentia Sleidani.

Eius sane generis plura nimis cōfidenter aut uerius impudēter,

 subiungit.

subiungit. Mirum pfecto hunc uirum odio tantopere & inuidiæ tribuisse, & nō potius animaduertisse, tot libros excusos esse, in quibus diuersum atq; oppositū uideri licet perspicacissime. Qui etiam si nō extarent alicubi, tamem multi adhuc in uiuis sunt Ecclesiastici & Laici, q certe multo aliter quā Sleidanus referat, negocium illud, uere atq; ingenue explicare digna narratione possunt. Super hæc falso Doctorē Gropperum traducit, quasi uero Bucerū ipse Archiepiscopo cæterisq; passim cōmendarit, quemadmodū & hoc ipsum in libro quodam Cæsari nuncupato, idē ille demonstrat, & nos suo loco (Deo fauente) explicabimus.

Calumnia in Reuerēdissimum D Ioannem Gropperum.

De hinc Sleidanus quoq; narrat Theologos Colonień. uehementer Bucerū criminatos esse. Verum libri & scripta in Bucerum tum temporis edita, Sleidanum mendaciorum aperte, conuincūt. Nam Theologi qdem iure conquesti sunt, asserentes nō decere q̄d Episcopus Votifragum & hæreticum monachū in sua tam integra diœcesi cōcionibus præfecerit, quū hic etiam cogente cōscientia inficiari nequeat, se institutū monasticum quo mancipatus erat Argētorati, deseruisse. His subiungebant Theologi, huiusmodi Apostatam a cōcionibus remouendū esse, prout Canonibus cautū est.

Iniqua delatio Theologorum Colonensium.

Deinde iniquum iudicant & turpissimū ut Apostatæ huic, non modo libera, sed etiam monialis & Deo dicata quasi coniunx permittatur, nā sic utrumq; sponsum & sponsam duo grauissima flagitia subijsse, nimirū incestum & Sacrilegiū. Quæ sane duo crimina, pbant nō solum iure canonico uerumetiā imperialibus pœnis grauissimis deuoueri, & quandoq; Cæsarē Iouinanum præcepisse atq; mādasse, ut quicunq; Virginem Deo, sacro uelo, consecratam, ad thorum coniugalem raperet, capite plecteretur.

Tertio obijciunt Theologi, Bucerum post demortuam priorē pellicem, aliam duxisse sib coniugē, cum tamē monachus, uiduus, & presbyter esset: quæ plurimum canonibus aduersantur.

De hinc de maiori spurcitia Buceri quæruntur. Nam secundum uiduam etiam uestalem duxerat.

Ad extremum de peruersitate Buceri conquesti sunt, quippe qui Sacrosanctam scripturam, & priscorum Patrum doctrinam ppria & falsa interpretatione contaminaret, & in alienum atq; peruersum sensum elideret, qui deniq; nefarie eandem torqueret, & infideliter raperet, ad impugnandam germanem, simplicem & unanimem Ecclesiæ Catholicæ sententiam, & authoritatem, quæ sola

sola clauis est aperiendi scripturarum cœlestium arcana.

Hæc igitur manifesta & uera prorsus crimina, quibus Bucerus obnoxius erat, & fœde atq; ignominiose cōtaminatus, suo Archiepiscopo Theologi fideliter explicant, quo nimirum ab illius consortio atq; commercio prudenter abstineret, nec ueritate falsariū, aut fide, hæretica labe infectum, seu etiā flagitiosum beneficijs, aut deniq; ignominiosum honore dignetur. Nihilominus tamen Sleidanus tam prudentem atq; modestam uerissimamq; insinuationē, summam iniuriam & calumniam appellat. Forsaisse existimauit Sleidanus Herodem & Herodiadem a Iustissimo & sanctissimo Ioanne Baptista contumelia affectos fuisse, cū is uidelicet utriusq; sceleratissimum adulterium increparet. *Veritatis studium & attestationē Sleidanus calumniam interpretatur.*

Per idem fere tempus Cæsar filium suum Philippum unice sibi genitum Hispaniarum Regem constituit, Maria Regis Lusitaniæ filia in coniugem sibi tradita. Nam profectionē in Germaniam destinarat. Qui tandem traiecta Italia, Spiram uenit. Quo comperto mox Protestantes ad Cæsarem mittunt oratum, ut pacem stabiliat, Cameram ibidem pro ipsorum arbitrio reformet, Henricū Ducem quem absente Cæsare e Ditione profligarant, grauiter accusant, quasi Gosslariensibus, & Brunsuicensibus cū primis uim intulisset, & idcirco iuste persecutionem sustinuisse. *Philippi Regis Hispaniarum coiugū.*

Ad hæc Cæsar ait, De pace quidem ipsos non debere adeo solicitos esse, quippe qui eam satis sibi probatam haberent. Præterea, Non decere ut Camerales de gradu (quod aiunt) deijciantur, nisi causæ prius legitimæ recitētur. Deinde ut Duci Brunsuicensi ademptum ui dominium reddant, alioquin media tentare uellet, & explorare uiam aliquam, per quam ille Ditionem suam assequatur.

Posthæc Moguntiam appulit Cæsar, ubi datis ad Senatū Coloniensem literis, sic scribit: Equidem se intellexisse, quod nimirū quidam pseudecclesiastæ nuper apud ipsos emerserint, ut populum ab auita & uera religione seducant, quibus tamen huc usq; strenue restitissent, Idcirco plurimum gratulari. Commonitos quoq; eos habere uellet, ut ita pergant, & Rempublicam in obedientia regant, atq; ab omni seditione immunem conseruent, hoc nempe sibi acceptissimum fore, et uicissim id se uelle tempori splendide atque magnifice pro sua clementia refundere. Eodem fere sensu Pontifex tunc temporis ad Magistratum scribit. His igitur literis acceptis, Magistratus ciues ad se euocat, monet atq; iubet, ut literis per omnia respondeant, *Cæsaris literæ ad Senatū Coloniensem.*

 Paulo

Landri Vero-mandiæ ex-pugnatio. Paulo ante Gallus exercitum in Veromandiam eduxerat,Landrũ obsessurus Cæsaris oppidũ.Quo tandẽ expugnato, fortissimis machinis munit,relictis ibidem ad præsidia militibus.

Polini Franci conatu, Turcæ Christianũ sanguinẽ fundunt, ciuitatesque diripiunt. Hoc insuper tempore,Barbarossa Turcici exercitus primipilaris indice atq; ductore Polino Franco copiosa classium multitudine,ut Galliæ Regi satisfaceret,instructus,Tollonium applicuit,q̃d Prouinciæ oppidum est & portus,inter Massiliam & Niceam sitũ. Itaq; Francorum Rex,audiens classes Turcicas in uado esse, Principem Angianum ex familia Vendomensi,cum acie & triremibus illuc mittit subsidio. Deinde simul ambo Niceam uersus properãt, & cum oppidum portumq; decimo quarto Calendas Septembris inuasissent,arcem obsidione cingunt.Porro reliquus Turcarũ exercitus in Vngariam uiolẽter irruit, & Quinque ecclesiã oppidum, Strigoniam ciuitatem & arcem sibi coniunctam capit.Albam denique (quã Regalem nominant) in ipsa irruptione expugnat.Pontifex uero sæuitiam Turcicam pertæsus mittit auxilia cũ duobus Legatis seu potius antesignanis, Baptista Sabello & Iulio Vrsino, sed ĳ immaturius accesserant.

Cæterum Imperator Carolus Moguntia,Bonnam traiecit,ubi Bucerus cũ Casparo Hedione populum concionibus dementabat. Cupit igitur ut hosce ableget, missis ad Episcopũ caduceatoribus: Siquidem Melanthon iam discesserat,& illis quidem diutius manendi facultate prærepta,uicissim dimittuntur.

Cæsaris in Ducẽ Iuliacensem expeditio Quibus dimissis & ablegatis,Cæsar Marcodurũ undecimo Calendas Septembris uenit,præcones in urbem mittit, deditionẽ postulaturi,alioquin bellum denuncient. At præsidiarĳ contemptim respondent,Se eum qui iamdudum a piscibus consumptus erat,nequaquam formidare.Nam constantissime ferebatur ibidem,Cæsarem naufragio,cum Argiera rediret, periĳsse,adeo ut certissime p̃suasum haberent Cliuenses,& oraculo existimarent dignius,sic accidisse. Siquidem nec ĳs qui reuera Cæsarem conspexissent & conuenissent,fides ulla adhibebatur.

Durũ Cæsar expugnat. Cæsar autem hoc temerario & insolenti responso commotus, ciuitatẽ ilico uallat,& in obsidionẽ serio incumbit.Vigesimo nempe die Augusti, summo diluculo ciuitatem arietibus & infestis ictibus oppugnat, deinde scalis admotis mœnia conscendi iubet, hostemq; detrudi. Igitur Hispani cæteris agiliores accurrunt,rem alacriter etiam confecturi.

Quos

Quos interim nihil perturbare potuit sociorũ repulsa, & occasus, sed collectis resumptisq; uiribus instant, urgent, repugnant, cominus eminusq; dimicant, donec expugnaretur.

Hispanorum religio.

Interea ciues ipsi tale quiddam patiebantur, quale cæteris solet euenire obsessis. Circiter id temporis Sanctum illud Annæ, Deiparæ Virginis Mariæ parentis caput, solenniter in magna populi illuc aduentantis frequentia circunferri solet. Quate digna reuerentia uictores Hispani eo conspecto, ad Franciscanorũ ibidem templũ, illud deferunt, ne uidelicet tam nobilē atq; sacrum, diuinitusq; concessum thesaurum a prophana & furibunda cæterorũ ingruentiũ militũ turba dissiparetur, nam aurea capsula inclusum seruabatur.

Cæsar Iuliacenses & Ruremundanos triumphat.

Cæsar post expugnatam, direptam, atq; exustam urbem, Iuliacum & Ruremundam Gelriæ oppidũ obsidione capit. Nam expugnatio & direptio ciuitatis Durensis, uicinis undiquaq; metum atq; horrorem incusserat. Ruremunda quidem satis munita, duobus fluminibus Mosa & Rura nempe alluentibus, poterat nonnihil forte resistere, sed trepidatione perculsa deditionem facit. Inde Venlodunum obsessurus castra promouet, & mœnibus applicat.

Cliuensium Princeps Cæsaris ad castra uenit, ut eum sibi grauiter offensum reconciliet.

Veritus autē Cliuensium Dux Cæsaris iram atq; uindictam, eo concessit. Nam sumptis secũ Henrici Ducis Brunsuicensis, & Hermanni Archiepiscopi Colonieñ. Legatis, ueniã pronus implorat. Cæsar igitur Ducē ad genua pṙuolutum, & Legatorum patrocinia animaduertens consurgit, mandatq; Principi Auriacensi & Granuellano, ut leges obseruatu dignas & necessarias pſcribant. Tandem uero Dux cum Cæsare in gratiam rediit, nimirũ septimo idus Septembris, his tamen legibus: Ne uidelicet a Religione fideq; Catholica q̃ ipse cũ uniuersa pariter ecclesia hactenus seruasset, deficiat, & si quid uariasset, in pristinum reuocet statum. Cæsari ac Fratri Regi Ferdinando totiq; Regno fidem & obedientiam addicat. Gallicæ & Danicæ confœderationi renunciet, Nullũ sibi statuat fœdus, in quo nō & Cæsar, & Ferdinandus Romanorũ Rex, & ipsorũ uicissim excipiantur hæredes. Totius Gelriæ dominium deserat, & iusiurandum populo remittat. Si quæ fortassis ibidē loca se dedere nollent, Cæsari suppetias ferat. Cæsar uicissim ditionem Iuliacensem, quam sibi nuperrime manu bellica subiugarat, reddit, demptis ciuitatibus duabus, Heynsbergo, & Sittardo, donec obseruantiam & integritatem Ducis plus explorasset. Omnibus hisce pactis siue cōditionibus Dux ipse intemerate se obsequuturum promittit.

Pacis cōditio.

Rebus

Rebus ita per Geldriam compositis, mense Octobri Cæsar in agrum Landresianum copias educit. Vicissim & Rex facit, & adductis secum auxilijs ualidissimis, prælium se uelle committere simulat: Nam cū oppidanis de commeatu prospexisset atq; misisset, noctu clam collecto exercitu discedit. Quod sub auroram prius Cæsarianis innotuit. Hi ergo classicum canunt, hostemq; summa celeritate sequuntur, & in postremū agmen irruentes, plurimos sternunt, utensilia & ornamenta argentea, quæ celeritate fugæ, ac metu imminentis hostis Franci reliquerant.

Castra Cæsaris Handresiū applicant.

Hoc anno Cometes quidam prope Pfortzhemium in pago Zehenhusen uulgariter dicto, inter quartam horam post meridiem, mense Maio apparuit, magnitudine lapidis unius molaris, cuius cauda ad plagam meridionalem uergebat, magnumq; deorsum feruorem ædebat, formam Draconis præ se ferens. Riuum alluentem absorpsit penitusq; exhausit, ut etiam totus ille alueus siue aquilegium exiccaretur. Dehinc eum quo flagrare uidebatur æstum in agrum quendam uicinum exeruit, & frugibus ibidem uastatis atque depastis in aerem sese recepit.

Lycosthenes.

Cometa exæstuans.

Sub idem prope tempus, Infans quidam aut sane monstrum infantis, horrendum aspectu, natum est. Oculos quippe flammantes & scintillantes habebat, nares bouinas, os taurinum, dorsum hispidum plane atq; pilosum quasi canis. In pectore duæ prominebant facies cercopitheco similes, cubitis autem duo canina eminebant capita. Pedes omnino prassos in formam cygni, caudā quoq; longitudine unius ulnæ, habebat. Hic igitur infantulus dum quatuor horis superuixisset, exclamabat uoce lamentabili: Vigilate, Endominus Deus uester in ianuis adest. Moxq; deinde spiritū reddidit.

Monstrum hominis horrificum.

Interea quoq; temporis, magnum papilionum agmen, in agrū Basiliensem tertio nonas Augusti aduolarat, quod herbas omniaq; uireta sic arrosit & consumpsit, ut uix pabulū gregibus suppeteret.

Inedia.

Anno hoc cum forte in Basilica Beati Petri (quæ est Romæ) ædificium quoddam extrueretur, & fundamenti naturam Architecti perlustrarent, repertum est in terræ uisceribus sepulchretum satis profundū, in quo duæ speciosissimæ uirgines coronis insignitæ, auro praeciosissimisq; unionibus splendide & magnifice ornatæ latebant. Sarcophagus marmoreus erat, & grandi marmore obductus siue opertus, quod decem pedibus longum, & sex latum erat. Corpora sic humata, cicladibus aureis inuoluta iacebant. Ossa perspicue

Münsterus.

ſpicue internoſcebantur, at ubi in auram producta ſunt, in cineres redacti diſparuerunt. Aurum quod ex operimentis pulueribus ꝗ collegerant, & purgauerant, cũ libræ impoſuiſſent, circiter octoginta pondo ſua mole præſtitit. Nacti ſunt præterea margaritas 54. præſtanti magnitudine, cæterum adeo corruptas & putres, ut manibus, digitisꝗ facilime tererentur, centum annulos uarijs unionibus diſtinctos, & theſaurum pene infinitum, qui plus minus annis mille, centum, & octodecim in terra delituit abſconſus. Theſauri effoſſio.

Poſtremo fata duos clariſſimos doctiſſimosq; Viros Catholicis eripuerunt, D. Ecciũ & D. Pighium, qui pro fide Catholica nullis pepercere laboribus, ſed ſeſe conſtanter præbuerunt, ut religionem quibus poſſent uiribus, & armis concionibus & ſcriptis innumeris, contra hæreticorum ſubdolas artes intemeratam ſuo priſtino nitori reſtituerent. Mortuus eſt uterq; intra unius menſis & quidem primi, ſpacium, non abſq; luctu & gemitu Chriſtifidelium. Obitus D. Eccij & D. Pighij.

ANno ſalutis M. D. xliiij. Cæſar Spiræ Comitia indixit; ad quæ præter ipſum & eius fratrem Regem Romanorũ, Principes electores omnes, unaꝗ Cliuenſis Dux conuenere. Cæſar tum proponi iuſſit, quanto in diſcrimine propter Turcum Germania uerſaretur, religioniſꝗ diſſidium Turcum in ſuo propoſito confirmare. Ad hæc quæſtus eſt per Galliarum Regem omnem Imperij ſtatum Turcis aperiri, eumꝗ; fauere illis & cupere. Eam ob rem ſe ſperare, bellum quod neceſſario aduerſum Gallos ſuſcepiſſet, non alio ipſos habituros loco, quam ſi cum Turcis ipſis confligeret, ſibiq; auxilio futuros contra hoſtem inteſtinum, quo profligato, uires ſuas omnes in Turcos ſe conferre decreuiſſe: Tum præterea daturum ſe modis omnibus operam, quo per Cõcilium generale religionis negocium ad cõcordiam redigatur, & Cameræ Iudicium recte atq; ordine conſtituatur. An. 1544. Comitia Spiræ.

In his Comitijs Carolus Dux Sabaudiæ queſtus eſt, Regẽ Gallorum milites ſuos Turcico duci Barbaroſſæ ſubſidio miſiſſe, quorum ille opera fretus cum ſuis Niceam oppidum ditionis ſuæ occupaſſet, & contra fidem datam prædæ militum & incendio permiſiſſet: multos etiam in ſeruitutem abduxiſſet.

Iiſdem Comitijs Cæſar Vuolffgangum a Michlingem magnũ Pruſſiæ Magiſtrum inſtituit adhibitis ſolitis ceremonijs, cunctaꝗ eius dignitatis dominia, quæ in Pruſſia eſſent, illi attribuit: ſiquidẽ

Albertus Marchio coniugium inierat,sibiq; illas ditiones uendicarat:quam ob rem Cameræ Iudices ante annos duodecim proscriptionis in eum erat lata sententia.

Iisdem Comitijs Rex Galliæ per legatos se purgauit,inter alia affirmans,nullum se cum Turco fœdus habere, præterquam ad negociationes & mutuæ pacis conseruationem pertineret:atq; etiamsi inter ipsos fœdus esset,id tamen uitio sibi uerti non posse, quandoquidem id olim Abraham,Dauid,&præter alios sanctos Patres, etiam Machabæi duces fecissent. Pactum se quidem esse cum Turco inducias,sed honestas illas,& quæ nulli forent detrimento.

Solutus est hic Principum Conuentus x.Iunij,decretaq; sunt Cæsari omnium consensu copiæ auxiliares contra Gallos ad sex menses,equitum quatuor, & peditum uigintiquatuor millia. Definitum est etiam,ut per omnem Germaniam a singulis pro cuiusq; facultate subsidium aduersus Turcos exigeretur: prohibitumque est, magna constituta pœna in immorigeros, ne quis Gallorũ Regi militaret. Religionis negocium in Decembrem reiectum est. Interea temporis Cæsar curaturũ se dixit, ut per integros doctosque uiros Christiana quædam Reformationis forma scripto comprehenderetur,ad Concilium usq; generale obseruanda.

Solutis Comitijs,Cæsar e Spira Metim abijt. Iam enim omnes eius Copiæ ad Galliarum fines in Lotaringia conuenerant, extremoq; Maio Lucemburgum deditione recepit.

Interim Barbarossa redijt ad suos,uexatis locis omnibus maritimis,qui uel Cæsaris essent uel Imperij.

Cæsaris exercitus omnis ubi in Gallias profectus est, urbem & Castrum Liu tribus a Barro milliaribus,occupauit. Inde motus castris Sandresium obsidet, oppidum Gallorũ ad Marnam fluuium situm xv.Iulij cœpta est oppugnatio : & cum puluis deficeret tormentarius,altero mense facta est eius urbis deditio. Hac oppugnatione durante,Princeps Vraniæ Renatus, ictu bombardæ immaniter uulneratus, cum die postera filium Guilielmi Comitis Nassauiæ,cognatum suum hæredem instituisset,spiritum reddidit, nõ absq; magno dolore Cæsaris.

Capto Sandresio,Cæsar xxv. Augusti ulterius progressus, ad Marnam castra metatus est: quo loco oppidulum est Epernaum. Inde nullo renitente Dieterichsburg usq; peruenit in eiusdem ripa fluminis,

fluminis, uix duorum itinere dierum a Parisiorum urbe distans. Tum uero metus incredibilis Parisienses ciues peruasit. Quibus erant non contemnendæ facultates, fugam quin capesserent, ne regio quidem edicto, quo cautum erat ne quis fugeret, teneri potuerunt; solumq; uulgus relictum est. Quæ res nō longe a summo aberat periculo, dum metus esset, ne tam potens & opulenta Vrbs ab ipso eius uulgo diriperetur. Erant ibi frequentes admodum ex omni ferme Europa studiosi, qui omnes inde migrarent. Acciderūt hæc sub initium Septembris.

Tandem xxiiij. Septembris, Cæsar cum Rege Gallorum pacem fecit, ijs conditionibus. Quæ post pacta & conuenta Niciæ, utrinque essent occupata, ea restituerentur. Rex Franciæ Duci Lotharingiæ Astenam oppidum redderet, quod id ad Lucenburgensem tutelam pertineret. Cæsar & Rex mutuo sibi opem ferrent, omnemque nauarent operam, quo prisca religio & concordia in Ecclesia instauraretur, Rex Galliæ in bellum Turcicum sexcentos cataphractos equites, & decem millia peditum suppeditaturum se polliceretur, omnique renunciaret iuri, quod in Aragoniam, Neapolim, Flandriam, Arthesiam, Geldriam sibi uendicaret. E diuerso Cæsar ditionibus Boloniæ, Peronæ, cæterorumque ad flumen Somam oppidorum, itemque Ducatui Burgundiæ, & ditioni Masconiæ nuntium remitteret. Adhæc filio Regis Carolo duci Aurelianeñ. Mariam filiam suam natu maiorem, aut fratris sui Ferdinandi filiam desponderet, atque intra menses quatuor, utram harum desponsurus esset, statueret. Etsi quidem filiam suam illi locaret matrimonio, dotis nomine ei addiceret Brabantiam, Geldriam, Lucenburgum, Limburgum, Flandriam, Hollandiam, Hannoniam, Arthesiam, Namurcum, Frisiam, Traiectum, & regiones omnes inferioris Germaniæ, necnon Burgundiæ Comitatum, & ut hæc omnia ipso defuncto in eorum ius usumque cederent. Id si fieret, Rex suo hæredumque nomine iuri omni, quod in Mediolaneñ. ducatum sibi habere uideretur, ualefaceret. Quod si Cæsaris filia absque prole decederet, Dux Aurelianensis nullum in has regiones iam dictas ius haberet, maneretque illi si quid haberet iuris in ducatum Mediolaneñ. itidemque Cæsari in Ducatum Burgundiæ. Sin uero Regis Ferdinandi filiam illi traderet, dotis nomine

Pax inter Cæsarem & Franciæ Regem confœitur.

haberet Mediolaneñ. ducatorum. Porro utrum horum matrimonium futurum esset, id intra anni unius spacium celebraretur. Denique Rex Franciæ Duci Sabaudiæ ablata omnia restitueret.

Itaq; Cæsare & Rege ea ratione in concordiam redactis, summus Pontifex Concilium per bella impeditum denuo conuocauit ad xv. diem Martij anni sequentis: & ut animi sui lætitiam declararet, diploma suum ijs scripturæ uerbis orsus est: Lætare Ierusalem &c.

Hoc anno & Lutherus in Zvuinglianos, & Zvuingliani in Lutherum acriter inuecti, atque alij in alios egregie debachati sunt.

Archiepiscopus Coloniensis in dies magis magisque suum illud nouandi institutum prosequebatur, id quod maioris ædis Canonicis, totique adeo Clero erat molestissimum. Principem enim, quem scirent optimo esse ingenio, tametsi ab improbis quibusdam euerteretur, offendere absque tædio non poterant, neque tamen etiam ferre debebant, nisi contra suam ipsorum uellent agere conscientiam, institutam illius nouationem, quod ipsi hæreditarij essent sedis illius & ditionis domini. Orabant sæpenumero obnixe admodum, a suo conatu discederet, & generalis Concilij sententiam expectaret. At ille suum urgebat propositum, nihil illorum moratus preces. Rursus igitur per Deum illum obsecrarunt, ut sui officij & Iuramenti, quo tum Colonieñ. Ecclesiæ, tum Pontifici Romano, tum etiam Cæsari se obligasset, memor esset, Concionatores relegaret, totumque hoc negocium tantisper missum faceret, donec communi sententia quippiam statueretur. Quod si ille negligeret, non posse ipsos quin rem ad Pontificem & Cæsarem referant, rationesque & uias perquirant, quibus & suæ conscientiæ, & Dei iram possint auertere. Aegre quidem ipso eo adduci, sed nisi ille a cæptis desisteret, ipsos non posse aliter. Verum cum nec hac ratione quicquam promouerent, in summa æde Coloniensi ix. Nouembris conuenere, atque inter alia recitata sunt, quæ ante annos tres & uiginti Vuormaciæ, ubi Lutherus a Cæsare omnium Principum consensu damnatus est, atque inde Augustæ

& Ra-

& Ratisbonæ nec idem pridem Spiræ acta & definita fuera. Ea uero omnia Archiepiscopum Hermannum habuisse neglectui, rem nouam moliri cæpisse, Bucerum Monachum desertorem, qui se alteris iam ijsdemque sacrilegis contaminasset nuptijs, & Sacramentariorum dogmata tueretur, Argentorato ad se euocasse, eique concionandi prouinciam demandasse, passim etiam nouos concionatores, homines leues & apostatas, populo adhibuisse. Horum autem suasu, nouam quandam Reformationis formam institutam, iussuque Principis euulgatam. Se quidem his omnibus acriter restitisse, & Archiepiscopũ rogasse identidem Concilij sententiam sustineret, aut ad minus rem ad Comitia usq; differret, sed nihil effecisse penitus.

Quando uero tota iam Diœcesis pessime haberet, & ad immane quoddam dissidium atque schisma spectare omnia uiderentur, nec Episcopus ab sententia posset deduci, hanc se rationem necessario amplecti, prouocateque ad Pontificem Romanum, & Cæsarem, qui præcipuus esset Ecclesiæ Dei propugnator, seque suaque omnia in illius fidem atq; clientelam conferre.

Id ubi Episcopus resciuit, scripto edito testatus est, nullam illos habere iustam appellandi causam, quod nihil ipse à suo officio alienum fecisset. Itaq; se illam appellationem reijcere, spetareq; illos rectius secum deliberaturos. Quod etiamsi non facerent, se tamen quod cæpisset prosecuturum. Interim etiam Lutheri & Buceri dogmata magnopere commendauit.

His cognitis, Canonici maioris ædis, ceu Coloniensis diœcesis domini hæreditarij, Ordines omnes totius diœcesis suo iure Coloniam conuocarunt, quibus tum & sua & totius Colonien. ditionis pericula explicauere, in quæ coniecti essent, ob suspectos quosdam concionatores, & desectores Monachos, qui optimum antistitem a Pontificis, Cæsaris, & Catholicæ Ecclesiæ obedientia auertissent, nouisque suis, quæ nunquam sibi constent, & iam olim damnata sint, dogmatis occæcassent: tum quoque quod Episcopus omni posthabita admonitione & precibus, malis quorundam consilijs deprauatus, institutam

nouationem in dies maiori studio & conatu persequeretur: ad hæc quod apostatæ ac seductores & pestiferi concionatores in oppida & pagos Colonien. irreperent, non absque iniuria eorum, qui legitime essent instituti, pastorum atque parochorum: quandoquidem apostatæ illi uerum Dei uerbum multis locis deprauarent, sanctissima sacramenta partim impie abrogarent, partim schismatice ac maligne peruerterent, multasque hæreses, rixas, contentiones, dissidia ferrent: ex quibus omnibus, nisi his iretur obuiam, corporum & animarum pericula grauissima, & celeberrimæ diœcesis excidium non possent non existere. Horum igitur contemplatione periculorum, quandoquidem omnes eius diœcesis status uel ordines maioris ædis Canonicis, quibus hæreditario essent iuramento obstricti, obedire tenerentur, Cæsareaque Maiestas serio mandasset, ne infidis minimeque probatis concionatoribus ulla ratione locum præberent, nec quasuis admitterent nationes, ipsos eo plane adactos ut Episcopi sui proposito publica protestatione, quam Iura inhibitoriam protestationem uocant, contradicerent. Eam ob rem serio ipsos requirere status omnes, ne qua ratione ab antiqua, uera, Catholicaque religione desciscant, pseudodoctoribus minime adhæreant, multoque minus execrabili illorum communioni se admisceant. Potius enim execrari illos quam consecrare, Christique corpus, quod impie lacerent, porrigere non posse. Rogare propterea Dominos maioris templi, ut status cum ipsis in Christo Iesu in Ecclesia Coloniensi ea in fide, quam illa inde ab Apostolis omni cum pietate & catholica unitate retinuisset, constanter permaneant atque perseuerent. Idquidem ipsos Dominos Canonicos sibi de illis omnino polliceri, tum quoque erga Status omnes omni humanitate ac beneuolentia, adhibitis eo cunctis diuinitus ipsis collatis, compensaturos.

Porro Episcopus Coloniensis a Canonicis summi templi ut Appellationem intermitterent, exegit, simul etiam ut legatos quosdam decernerent, qui cum ipsius concionatoribus & Diœcesis Ordinibus de Reformatione memorata consultarent, eique se accommodarent.

Ad hæc

Ad hæc Domini Canonici prolixe scripto responderūt, in hunc fere modum:

REuerendiss. Princeps, clementiss. Domine, Celsitudini tuæ, preces nostras supplices apud Deum, morigerumq; promptæ pro eo atque par est operæ obsequium offerimus. Celsit. T. literas, quibus ea admonet, ut ab Appellatione recedamus, adiunctis etiam minis, ni obsequentes simus &c. ea qua decet subiectione acceptimus, & cum celeberrima huius urbis Vniuersitate (quando deinceps ad nos omnes id negocij pertinet) non absque summo omnium dolore intelleximus. Illis uero nos qua decet summissione responsum uolumus, nos ex Dei gratia facile per nosipsos capere, nihil nos decere minus, quam ut quicquam eiusmodi a T. C. exigamus, quod diuinæ maiestati, uerόque Dei uerbo, uel etiam C. T. conscientiæ sit aduersum: Deumque precabimur, sua nos seruet clementia, ne quid tale uel in mentem nobis ueniat unquam. Tum uero ægre sane committere possimus, ut quicquam inhumanius uel publice uel priuatim, maxime cum C. T. subditis & cognatis agamus ac moliamur, in hac illius præsertim prouecta ætate, quod quamlibet illi uire possit adferre molestiam: multo etiam minus quauis uti calliditate uel astutia, aut aliquam præbere causam, unde huic præclaræ Diœcesi damnum ullum uel detrimentum (quod certe nos quoque non possimus non perpeti) quantum ad nos attinet, metuendum sit. Verum quidem est, Clementiss. Domine, nos intra hoc biennium T. C. magna summissione promptoque studio creberrime significasse, eam in maxima omnium Christianæ Catholicæque Religionis nostræ causa, ex qua nostrarum pendet salus animarum, quorundam malo persuasam consilio, duo quædam esse molitam, quæ ea ratione ab ea fieri minime deceret; eoque nos committere non potuisse, quin summa fide ac studio eam inde animum ut reuocaret, identidem precaremur. Primum est, in C. T. potestate neutiquam fuisse, nec decuisse illam, ut concionatoribus extraneis, ijsque nouis minimeque probatis, eo quo factum est modo, in hac diœcesi concionandi munus committeret, multo etiam minus ut per eosdem, aut alioqui per seipsam, & necdum communicato nobiscum consilio, extra prouincialem

synodum,

synodum, nouas aliquas ecclesiasticas ordinationes, præsertim suæ illi Prouinciali & approbatæ Reformationi contrarias, constitueret. Alterum est, etiamsi C.T. ea in re aliquid sine nobis moliri potuisset, quod iure non potuit, eo tamen casu nihilominus certum testatumq; esse omnibus, Concionatorum suorum dogmata cum Catholicis Christianæ Ecclesiæ, quæ nos Deo genuit, dogmatis pugnare: tum quoq; institutā ab ipsa memoratæ Reformationis excussionem eiusmodi esse, ut nulla ratione illi sit assentiendum. Hos uero duos Articulos non nudos illos quidem & insulsos nullaque ratione nixos C.T. proposuimus, sed quod ita se res habeat, tū scriptis diuinis, tum generalibus Apostolicæ Catholicæq; Ecclesiæ Traditionibus, satis superq; demonstrauimus: facileq; nobis persuademus, si quidem C.T. ea nostra scripta & informationē per seipsam studiose inspexisset, perlegisset, & ad scripturas sacras Catholicasq; Traditiones contulisset ac expendisset, neq; ab alijs, qui dicta scriptaq; nostra omnia peruertunt, sententiam eorum scriptorum nostrorum didicisset, illam certe iampridem necessarijs ijsdemq; fidissimis precibus nostris concessurā, nobiscunq; suis in Christo membris in concordiam redituram fuisse. Atqui etiamnum prohdolor experimur C.T. in concepta animi sententia & proposito permanere, sibiq; persuadere, se factorum suorum optimis & æquissimis undecunq; rationibus fretam, &c.

Nos quidem ueram Christianamq; reformationem nunquam non optauimus, hodieque optamus, modo illa recte atque ordine ex uerbi diuini, sacrorumque Canonum præscripto suscipiatur. Quod uero T.C. inter alia scribit, ut præter status ciuiles uel seculares, homines integros & eruditos producamus, idemq; tuam quoq; C. facturam, utq; illi porro memoratam Reformationem unacum Antididagmate in manus sumant, atq; inter se conferant, & in concordiam redigere nitantur, Concionatoresq; sese contra accusatores suos purgare uolentes, atq; alias quatenus opus erit, audiant: eo etiam adiuncto, siquidem C.T. ex diuinis apostolicisq; literis probari queat, uel ipsam, uel concionatores ulla in re plus minusue egisse, id ipsam haud ægre correcturam &c. ijs sane nos officiose respondemus, inuitos nos ullam recusaturos uiam uel modum, quo cum C.T. in Christianam concordiam redigi probabiliter posse uideamur, cū propensiores potius nos simus ad attentandas summo studio eiuscemodi uias, uti & hactenus fecimus, apud C.T.

T.C. Quando autem, Clementiss. Domine, hoc negocium longe omnium grauissimum atq; maximum est, ubi non de facultatibus perituris, sed de Dei uerbo nunquam abolendo, de inuiolabili Catholicæ Ecclesiæ Traditione, nostrum omniũ salute, & huius diœcesis uel prosperitate uel pernicie agitur, nos nihil possumus præstare minus, quam ut in eam sedulo curam incumbamus, ne intempestiuis quibusdã ac intolerandis rationibus res iam nimium male constitutas, magis exulceremus peioresq; efficiamus, neq; in nos recipiamus, quod nostri non est muneris, nec apud illos, qui nobis diuinitus præfecti sunt, tueri quandoque possimus. Non hic iam commemorare libet, inter quos & quorum in præsentia, quo etiam loco, quaque forma & ratione summa hæc negocia tractanda sint, si quid modo commodi inde expectandum sit. Id unum oramus, C.T. hæc secum perpendere uelit, cogitareque quo tandem pacto decere nos possit, quando ipsum Dei uerbum, Catholicam Traditionem, aut ad minus Catholicæ Ecclesiæ præscriptionem & usum (quem sancti huius Prouinciæ Apostoli & pastores, nempe Maternus, Seuerinus, Euergislus, Cunibertus, Agilolphus & Heribertus, cuius de Ecclesiasticis officijs liber apud nos etiamdum asseruatur, huic Ecclesiæ reliquere, & T.C. per manus decessorum suorum tradidere, cuius etiã causa uitam profundere debeamus, perinde ut Naboth pro uenia sua) adhuc nobis proposita habemus, in quibus tamen T.C. concionatores multis nos modis perturbant & infestant, ut ijs omissis & posthabitis, ante quam iam dictæ turbationes ac nouationes pro eo atq; par est, amotæ sint, nos aduersus memoratos uiolatores apud huius diœcesis seculares ordines de nostræ religionis capitibus disputare uelismus? Nulla tamen de quauis re etiam minima actio instituitur, nisi quilibet solitis sit munitus præsidijs: nec quisquam tam mentis inops est, qui temere suæ præscriptioni renunciet, & oppigneratus, ut dici solet, ad dictam diem adesse uelit. Quanto igitur minus nos id decebit, cum patres sanctissimi sacriq; Canones, ante quam religionis negociũ agatur uiolentas omnes actiones amouendas esse asseuerent? Deinde in C.T. concionatorum libris, quos illi de suis dogmatis euulgarunt, itemq; in hoc nouo Reformationis codice innumeri existunt articuli, qui iam olim in alijs tum Generalibus, tum prouincialibus Concilijs damnati sint. Quos ut nos rursum in dubium reuocemus, sopitosq;, quod aiunt, cineres excitemus,

maximeq; coram concionatoribus schismaticis, a nostra commu- nione alienis de ijs agamus, id nobis non possit non esse molestissi- mum, minimeq; ferendum.

Atq; est sane e duobus alterum necessarium, ut C.T. uel cum Catholica Christi Ecclesia nobiscumq; statuat & sentiat, Aerianos, Aetianos, Audianos, Donatistas, aliosq; sectarios, iam mille ante annos iure meritoq; damnatos, hæreticos fuisse, atq; eo loco etiam dum habendos esse, aut certe minime.

Quod si statuat T.C. cum Ecclesia, ut nos minime dubitamus, maxime cum ea in sui in Archiepiscopum consecratione anathe- matizarit & execrata sit hæreses omnes, aduersum Christi Catho- licam Ecclesiam sese subrigentes, non potest illa sane præstare mi- nus, quam ut ante omnia dictos suos concionatores, cum hæresi- bus memoratis absq; ulla tergiuersatione consentientes remoueat? quæ quidem omnia ex nostro Antididagmate, & Epiphanij, Phi- lastrij & Augustini de hæresibus, itemq; Conciliorum & Catholi- corum patrum qui sectas iam dictas scriptis retuderũt, cum libris, scriptis & dogmatis concionatorum istorum collatione, luculen- ter & irrefragabiliter probantur.

Tertio, quæcunq; nostro illo Christiano Antididagmate con- tinentur, ea nimirum & sacris literis, & Catholicæ Patrum & Sedis Apostolicæ, Traditioni, quam T.C. cum consecraretur se reueren- ter amplexuram, docturam conseruaturamq; pollicita est, nec nos quouis modo secus possumus, plane consentanea sunt: id quod ex eius lectione facile constabit. Quis igitur non uideat, quam prorsus superuacaneum sit nos cum secularibus Ordinibus in difficilem prolixamq; disputationem & tractatum earũ rerum ingredi, quas nec T.C. neq; nos mutare possimus? Neq; uero nostra ex parte ul- la noua collatione opus est, ut quam semel summo studio & fide fe- cerimus. Quod si quis ex Ordinibus de quouis nostri Antididag- matis articulo hæsitat, nos hic iam erga omnes paratos nos offeri- mus ad explicandum illum fusius, & quantum res postulabit, red- dendam rationem, ut merito cuilibet pie Christiano possit esse satis.

Et ne putet T.C. nos hoc in negocio coram ciuilibus uel secu- laribus Ordinibus quin compareamus, metu quodam prohiberi, nos uirtute confœderationis, quæ nobis est cum ditionibus hære- ditarijs (quæq; nobis id expresse tribuit) Status omnes ad nos euo- cauimus,

cauimus, illis de omnibus Christianam ac bene munitam rationē, quatenus id petierint, reddituri, latiusq; cū illis deliberaturi, quo pacto commodis quibusdam aptisq; uijs & modis eam quæ huic iam impendet Diœcesi, perniciem & excidium efficaciter anteuertere queamus.

Quarto, quandoquidem ex C. T. scriptis animaduertimus, illius, quam cum secularibus Ordinibus facturi essemus, collationis, atq; etiam rationum, quas concionatores reddituri sint, nullum alium præter ipsam iudicem fore, idq; non nisi ex mera scripturæ litera, non autem pro communi Doctorum & pastorum, qui per Dei gratiam Ecclesiam extruerunt, & in unitate & concordia conseruarunt, intelligentia: nos uero ex omnibus hactenus cum T.C. habitis tractatibus, præcipueq; ex his eius postremis literis expresse didicimus, ipsam iam sententiam pro suo dictæ Reformationis libro, suisq; concionatoribus contra nos nostrumq; Antididagma proferre deliberasse, nullo negocio assequi possumus, quam superuacaneum ac intollerabile, immo, nobis etiam periculosum ac perniciosum, causæq; ipsius Dei & Ecclesiæ eius, quā nos pro uirili nostra, quemadmodum ex officio obligamur, tuendam suscepimus, detrimentosum futurum sit, si ea ratione cum secularibus Ordinibus tractare uelimus, maxime erga schismaticos & deseriores concionatores, quos Apostolus ut fugiamus præcipit, quod subuersi sint & proprio iudicio condemnati. Quid plura nos commemorare attinet? Vnum hoc petimus T. C. placide accipiat: Qua tandē ratione nobis persuadere possimus, C.T. nostris dictis unquā obsequuturam, cum certo nobis cōstet iam inde ab initio nunquam ea illam mente fuisse, præsertim quando memoratæ Reformationis codex Typographo Bonnensi ante traditus est excudendus, quam C.T. illum Statibus & nobis proposuisset. *Hic Sleidanus aperti mendacij arguitur.*

Verum utcunq; sit, ne quid in nobis desideretur, quod ad conciliandam pacem & concordiam Christianam quouis modo accommodum sit, nos quidem ea qua par est obedientia promptos nos offerimus, simulatq; T.C. seductores illos concionatores, institutamq; nouationem amouerit, ad agendum hac de re uel negocio cum C.T. Statibus, quantum fas erit, itemq; reddendā & accipiendam rationem: aut certe pristinæ T.C. Reformationi eam quam decet præstandam obedientiam, aut deniq; ad nouū celebrandum prouinciale Concilium, in eoq; ferendam opem, ad tractanda, con-

ſultanda, ſtatuenda, & in rem conferenda ea omnia, quæ diuina, Chriſtiana & Catholica ſint, & ad emendationem faciant. Oramusq; T.C. per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitatem Sponſæ eius Eccleſiæ Catholicæ, q̃ ut congregaret in unũ, precioſum fudit ſanguinẽ ſuum, ut huic noſtræ Chriſtianiſſimæ & æquiſſimæ petitioni locum præbeat: & ſi qua conſolatio in Chriſto, ut Apoſtoli uerbis utamur, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua uiſcera miſerationis, acquieſcat C. T. precibus noſtris, ut idem ſapiamus, ſimusq; unanimes & idem ſentientes, teterrimũq; ſchiſma Diœceſis huius, in Chriſto pacificante oĩa, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt, uno animo profligare queamus.

Quod ſi hæc oĩa, id quod minime ſperamus, apud C. T. nihil ualitura ſint, nec ea ullo pacto monitis noſtris locum præbere uelit, ut quæ nos in Appellatione noſtra firmis ſubnixa rationibus, nobis minime ferenda teſtati ſumus, ea curet amouere, poteſt illa per ſe intelligere, nobis committendum non eſſe, ut a dicta Appellatione recedamus, ſed ut eam potius, neceſſario ad id adacti, cum omnibus illi acceſſuris, pro eo atq; par eſt, proſequamur, & quæ Romanus Pontifex, & Imperator, quibus T.C. ſubiecta eſt, definierint, in ĳs nos acquieſcamus. Plane autem perſuaſum habemus C. T. illis ceu ſuperioribus ſuis, quemadmodum debet, honorem habituram atq; delaturam, nec quicquam contra attentaturã uel innouaturam, nec ut ab alĳs quicq̃ attentetur uel innouetur permiſſuram, ſed nobiſcum illorũ ſententiam expectaturã. Nam ſi T.C. iniquis rationibus diuerſum moliri uelit, nec ſic tamen ab eo quod Chriſtianũ catholicumq; uideatur, nobis diſcedendum putamus, ſed ferendum æquanimiter, quicquid ea cauſa Deus nobis uelit accidere, donec illi uiſum erit. Quanq̃ his ſcriptis proteſtamur publice, ſi quid inde incommodi ac detrimenti huic diœceſi acceſſerit, nõ noſtra quidem, ſed T.C. culpa id euenturũ. Hæc nos T.C. animo certe officioſo & morigero ſignificata uoluimus, obnixe ac ſtudioſe precantes, ut C.T. cauſam hanc longe grauiſſimã maturiori perpendat iudicio, ſuæ iam prouectæ ætatis, & huius diœceſis quieti & tranquillitati ſtudeat, noſq; cõtra noſtram conſcientiã & hæc oĩa ne oneret. Id quod nos de C.T. nobis omnino pollicemur, paratique ſumus omni qua poſſumus diligentia compenſare. Datum ſub noſtro maioris ædis, & D. Gereonis Collegĳ, & Colonien. Vniuerſitatis ſigillis xxv. Octobris, Anno M.D.xliĳ.

At ue

At uero Episcopus nulla harum literarum habita ratione, eos qui Lutheri dogma ferebant, non solum nō expulit, sed etiam ut in quibusdam oppidis religionē pro suo arbitratu mutarent, permisit, Itaq; factum est, ut Clerus suam apud Pontificem & Cæsarem appellationem persequeretur, ut infra latius indicabimus.

Hoc anno in Heluetijs circa meridiem hora xi. in Aprili uisus est per quam elegans circulus chrystallinus, qui postea in iridem se transferens, quatuor integris horis in Solis medio perdurauit. *Lycosthenes.*

ANno ab incarnatione Verbi M.D.xlv. Dies a Cæsare, comitijs opportunus Vuormatiæ indicitur, qui podagræ morbo laborans immaturius accessit. Cæterum Romanorum Rex Ferdinandus nono calendas Aprilis in consessu proponit ibidem, Hanc esse causam indicti comitij, quo uidelicet imprimis de Religionis negocio tractetur, Deinde de bello turcico agatur. Quod uero ad Religionem pertineret, Pontificem quidē iam Concilium destinasse. Verum quia Turca immineret, Cæsari consultum uideri, ut controuersiam de religione in proximum illud differant Concilium, & quo modo Turcarum copijs resistendum sit, deliberent. *An. 1545.* *Comitium Vuormatiēse* *Ferdinandi Regis propositio.*

Protestantes hoc pacto respondent: Pacē ipsis esse promissam, usq; ad Christiani Concilij instaurationem, sed tamen Tridentinū iam nuper denunciatum non habere se pro legitimo & iusto. Propterea talem pacē sibi concedi postulant, quæ pontificio concilio minime sit astricta, & deuincta, quæ si concedatur, tum quidem uelle aduersum insultus & irruptiones turcicas consulere. *Protestantiū responsio.*

Tandem Idibus Maij Cæsar ipse comparuit, & Granuellano & Nauio suis oratoribus præcipit, ut ꝓtestantibus suo nomine enunciēt, quatenus toti in actionem habendi gerendiq; concilij incumbant, & in expeditionē turcicam. At uero Protestantes in sua mordicus sententia pergunt, pacemq; requirunt, quæ Tridentini Concilij indictione neutiquam uioletur aut etiam uarietur. *Cæsaris aduentus.*

Ad quos Cæsariani: Pacem huiusmodi ipsis nequaquam posse præstari, qua freti Concilio non obtemperent, cui merito Christiani debeant obsecundare.

Denuo Protestantes in priori sentētia ꝑdurant, atq; subiungūt. Si debeant copias & auxilia in Turcā mittere, prius petita pax annuatur, qualitercunq; etiā Concilium ipsum decernat. Quandoquidem Romanū Pontificem iamdudum religionē ab ipsis susceptā, *Pacē iniquis conditionibus Protestantes exigunt.*

damnasse, atq; ideo sese hunc quasi Iudicem & arbitrum minime posse ferre. Sub idem tempus ad Cæsarem nuncium festiuum ac lætum ex Hispanijs fuit allatum.

Philippus Hispaniarũ Rex Serenissimus ex uxore filiũ Carolum suscepit, quæ nõ ita multo post obijt.

Nam nunciabatur Philippo filio suo infantem masculum quasi Regni totius hæredẽ natum esse. At breui post nunciatum est, coniugem filij præ dolore partus obijsse.

Exitus Comitiorum.

Verum enimuero cum animaduerteret Cæsar, ipsos nimirum Protestantes suppetias recusare, nisi a decretis Concilij & Iurisdictione Cameræ liberentur, Gerardum Veltvuicium, Virũ sane exercitatissimum, & linguarum plurimarum peritissimum, tanquam fecialem ad Turcam mittit, ut inducias petat. Cæsar igitur quarta Augusti, comitia, in mensem Ianuarium anni proximi differt, simulaq; Principibus mandatum uult, ut hoc tempore Ratisponã omnes conueniant. Instituit quoq; Colloquium quoddam uirorum doctissimorum, qui illic negocium auspicentur, prima Decembris.

Dies noui colloquij.

Sleidanus ait Catholicos colloquiũ detrectasse, at uero causam subticet.

Licet autem Catholicis graue uideretur, colloquium cum Protestantibus inire, quod probe intelligerent & reuera iam comperissent cuius ij sententiæ atq; propositi essent, quod insuper res ipsis non esset cordi, nec aliud sectarentur, quam Principes eorum bona spe lactare & detinere, & quotiescunq; manifestis scripturis errorũ conuincerentur, toties eos ipsos falso aut rixoso modo effugij rimulam quærere, quam tandem callide consequuti, persuaderent nihilominus suis Principibus, Catholicos ipsos obstitisse, quo minus pergere liceat. Deniq; hi acta Decreti Cæsaris denuo typis excusa, sed truncatim & infideliter ædiderant His inquam causis cõmoti Catholici Colloquium detrectabant, nam non abs re uerebantur omnem conatum atq; laborem frustratum iri. Nihilominus tamẽ pro summo erga Cæsarem obsequio, demum in colloquium consentiunt.

Interea Coloniensis Antistes dictam Reformationem exequi uolens, non mediocriter urgebat. Nam hæreticos illos cõcionatores ubiuis locorũ p Diœcesin concionatũ mittebat, ut pote Andernacum uersus & Campiniã q̃ Episcopalem uocant, aliasq; suæ Diœcesis ciuitates, inter quas etiã una fuit, q̃ uulgariter Lyntz appellant. Idcirco collegium metropolitanũ totusq; Clerus & quotquot religioni fauebant cũ Episcopis Diœcesi subiectis, appellationẽ inceptã prosequuntur, Pontificem, Cæsaremq; implorãt, pro auxilijs atq; subsidio.

subsidio, quo intolerabilem & inuisam nouationem auertant. Igitur & se & uniuersam Diœcesim, Cæsaris patrocinio atq; tutelæ cõmendant atq; submittunt, obnixe rogantes, ut eos ab iniqua hac & factiosa seruare dignetur oppressione. Cæsar proinde sub finem Iunij, Vuormatiæ literas obsignat, quibus illos certiores facit suæ defensionis atq; tutelæ ipsorum causa in aduersarios susceptæ, quibus deniq; cauet, ne quis audeat ijs esse molestus siue in Religione siue possessione, siue prouentibus, aut deniq; ipsorum Iurisdictioni cõtradicere uel sane resistere.

Dehinc Cæsar libello Episcopum citat, eiq; mandat ut intra spacium triginta dierum compareat, aut certe amanuensem seu etiam causidicum ad se mittat, qui (si non posset ipse) ad Collegij sui metropolitani & sociorum postulationem respondeat. Insuper etiam præcipit ut interea nihil præsumat innouare, aut si quippiam tale egisset, redintegret. *Citatio in Hermannum Archiepiscopum.*

Aliquot post diebus Pontifex Max. Episcopum Romam citat, Ipsemet compareat, aut certe patronum huc mittat, qui præsto ibidem sit intra dies sexaginta ad actionem Collegij & sodalium iuridice responsurus.

Hac in Contentione & lite grauissima, quidã consiliarij in Doctorem Gropperũ eo tempore Canonicum ædis metropolitanæ, & nouationi Sectæq; Luthericæ plurimum infestum, accusationẽ moliuntur, quasi hic Bucerum primus omnium Archiepiscopo obtulisset, & suo impulsu atq; cõsilijs in Diœcesin concionandi gratia fuisset admissus. Quod etiam Bucerus uerbis atq; scriptis afferebat, quo uidelicet D. Gropperum quod is suo instituto constanter repugnaret, omnibus suspectum atq; odiosum redderet.

Igitur tantæ iniuriæ & detractionis diluendæ gratia, iustum edit in isto Comitio uolumen D. Gropperus, quod etiam Cæsareæ Maiestati dedicat, & huic exhiberi procurat. In quo idem D. Gropperus diserte, perspicue uerissimeq; refert quid cum Bucero tractasset, & quomodo ad Episcopum is uenisset. Cæterum libet paucula quædam ex eodem illo uolumine selecta subnectere, quod Sleidanus in odium plusquam uatinianum ipsorum Catholicorũ uidelicet, D. Gropperum sæpius mendaciter traducit, reclamante nihilominus conscientia. Siquidem credibile non sit quin ipse in cæteris alijs tam diligens obseruator, & acutissimæ naris, Apologiã hanc Gropperi subodorauerit. *Apologeticũ Gropperi.* *Metuendũ ne Sleidanus iniuria cõscientiam propriã affecerit.*

Princi-

Quo nam modo D. Groppero institutũ Buceri arriserit.

Principio igitur D.Gropperus in suo illo uolumine Apologetico asserit atq; testatur. Quod ut primum cognouit Bucerum ab Episcopo Bonnam accersitum, multum sibi displicuisse, & nedum uocationi huic consensisse, uerum conquestum esse de eadem illa uocatione, quippe qui eam huiusmodi fore putaret quæ toti Diœcesi & uicinis prouincijs adhuc Catholicis summum discrimen atque perniciem sit allatura. Ob id sese nullos intermisisse labores, ut Episcopus tandem intelligere posset, fieri non posse ut ipse Bucerum apostatam atq; Hæreticum, sine depravatione religionis atq; Doctrinæ Catholicæ, imo etiam proprio suæipsius salutis periculo præsentissimo, necnon & aliqua certa & graui diœceseos iactura, concionandi prouinciæ præficiat, aut etiam eadem fungi diu sustineat.

Buceri turpis inconstantia.

Nam animaduertens D.Gropperus, quod Bucerus quorundã fauoribus fultus (qui prohdolor tragœdiam hanc in propriam & communem aliorum perniciem excitabant) sesquipedalibus uerbis & sermonum lenocinijs Episcopum irretijsse, & doctrinam suã perniciosissimam tam astute callideque uelare & palliare, eidem mox insinuat, Bucerum illum modo longe aliud in Diœcesi Colonieñ. docere, & talia fabricari ibidem dogmata, quæ profecto ipse antea nusquam siue Vuormatiæ & deinceps Ratisponæ, sed ijs etiã quæ ipse, in illo grauissimo Colloquio pro Catholicis & fidei Christianæ consentaneis agnouisset, aut deniq; probasset, contraria præsumere, hac nimirum fiducia subnixus, ut quum Archiepiscopus hanc Buceri inconstantiã ex argumentis longe uerissimis demonstratam, intelligeret, futurum etiam ut ipse fastidito Bucero concionibus eundem uicissim amoueret.

Præterea quum ad Diem Bonnæ præscriptum D.Gropperus ex parte Collegij Metropolitani uenisset, animo prosus sincero commotus, coram Decano eiusdem collegij testatur, Equidem in procliui se habere quo demonstret Bucerum falsa persuasione Episcopum seducere, quippe qui aperte, quin etiam syngrapho ipsius (Buceri uidelicet) ostendere paratus sit, hunc ijs opposita (quæ nuper in comitijs colloquijs) pro Christianis & Diuinis agnouisset docere atq; tractare.

Porro nunc de origine illius familiaritatis quã inter D. Gropperum & Bucerum Hæresiarcham intercessisse priusquam Bonnã appulisset, tantopere Sleidanus & Bucerastri gloriantur, obiter nõnulla referam.

Accidit

Accidit nempe Episcopum Colonieñ. D. Gropperum ad diem Haganoiæ dictum euocare. Nam cum de Concilianda Religionẽ ibidem deliberatum alij quoq; conuenissent, accersitũ ad se Gropperum induxit ut eo proficisceretur, sperans opera & industria ipsius (qui nempe necdum odiosus erat Luthericæ colluuiei, & uix ulli hæretico concionatori notus) aliquid effectum iri, quod ad iucundam Christianam redintegrationem faceret.

Quo postquam peruentum fuit, quosdam utriusq; partis Viros doctos, in suum Diuersorium aduocat Archiepiscopus, & inter cæteros quoq; Bucerum, Groppero antea nunquam uisum aut uicissim aliquando notum. Post uarium colloquium quod inter Episcopum atq; Bucerũ absente Groppero intercesserat, ad ipsum ait tandem Episcopus, Sibi uideri, Bucerum satis facilem & pronum ad probandam religionis conciliationem, & si quid cum fructu agi suscipiq; debeat, operæpretium esse, ut doctiores utrinq; conueniant, colloquantur, & mutuo se inter se audiant. Quare ait præterea sibi consultum rectumq; uideri, ut si Bucerus, cum ipso D. Groppero, cæterisq; Consiliarijs colloqui hac de re uelit minime recusetur.

Ad hanc Archiepiscopi petitionem, Gropperus quasi non sit ꝓfessione Theologus, modeste se purgat, & difficulter onus istud in se recipit. Nihilominus tamen Archiepiscopi uotis tandem acquiescit. Sperabat quoq; Bucerum ipsum forte comperturum Luthericæ prædicationis factionem nullis rationibus saltẽ ueris consistere posse.

Vt primũ ergo Bucerus ad Gropperũ, dictãte Archiepiscopo uenit, demonstrat quantopere ꝓpendeat in eã deliberationẽ & tractationem, qua dissidium religionis tollatur, & Christiana uicissim recuperetur concordia. His & alijs huiusce generis uerborum impostur is Gropperus (ut etiam perspicue narrat in suo uolumine Cæsari dicato) utcunq; permotus & inductus plus nonnihil spei in cõciliãda religione, de Bucero, quam de eius socijs concepit. Verumtamen non prorsus illi fidebat, quod ea quæ ante scripserat, non responderent uerborum istorũ lenocinijs, sed inter hæc & illa ingens interuallum esset. At in gratiam Episcopi cum Bucero familiariter aliquoties, præsente Cancellario Colonieñ. uerba fecit, interim uero diligenter commercium illius cauebat, nec unquam Haganoiæ, aut alicubi ad Bucerum siue etiã socios hæreticos diuertit, e contra

Qua de re primũ inter se cõuenerint D. Gropperus & Bucerus.

uero Gropperum ipse sponte & inuocatus, sæpius accessit, opportunitatem eum conueniendi studiose obseruans.

Soluto iam conuentu Haganoensi, Archiepiscopus D. Groppero, in comitatu comitis Theodorici a Manderscheit, Cancellarij, & D. Eberardo Billico Carmelitarum Prouinciali, potestatem adeundi Vuormatień. Colloquium fecit. Quos cum D. Gerardus Veltvuicius, Cæsaris Amanuensis ibidem nonnunquam conueniret familiaritatis ineundæ studio, cœpit quoq; Bucerus ipsius amicitiã exambire, simulans se rem recta putare. Asserebat enim se pro reconciliatione religionis libenter sanguinem proprium impendere uelle.

Fretus igitur optata Veltvuicij familiaritate, cupit sibi fidele & sincerum colloquium cum D. Groppero & eodem ipso Cæsaris Amanuense concedi, unde probe discant suam in hoc negocio fidẽ & probitatem.

Hunc articulum D Gropperus in memorato libro, ordine narrat.

Hoc in familiari colloquio præcipua nostræ Catholicæ Religionis themata Bucerus libere & ingenue confessus est, & tanquã Catholicæ Christianæq; prorsus ueritati cõsentanea probauit, præsentibus nimirum Cæsaris Amanuense, Theodorico a Manderscheit Comite diœcesis Colonień. Cancellario, ac demum etiam D. Groppero, qui hanc Buceri Confessionem manu eiusdem conscriptam penes se fide bona reseruauit. Nam postea idem istud Buceri authographum D. Gropperus Episcopo coram suo ut uocant Coadiutore, aut potius Successore designato, Comite a Manderscheid Theodorico, & D. Eberardo Billico, alijsq; Viris integerrimis exhibuit, qui Buceri stilũ optime nouerant. Placuit ualde hæc res, tunc temporis Archiepiscopo, quod uidelicet huiusmodi themata quasi penitus catholica Bucerus proprio syngrapho probasset. D. Gropperus indubitata spe tenuit illum quoq; articulis omnibus subscriptis insistere constanter uelle, & quemadmodum, uirũ decet honestum, nihil ore protulisse, calamoq; testatum, quod non etiam animo suo insederat.

Quomodo Bisschouiam uenerit Bucerus.

Post Colloquium Ratisponense anno supra Millesimũ Quingentesimum 42. menseq; Ianuario, Episcopus inscio D. Groppero, Bucerum Argentorati degentem ad se conuocat. Ad quem cum ille uenisset Bisschouiæ, accersiti sunt eodem etiam Dominus Ioannes Nopelius Episcopo a Suffragijs, & D. Gropperus, sed uterq; clam adeo fuit euocatus, ut alteri de alterius una profectione non

prius

prius constaret, quam ibidem se mutuo conspexissent. Ingressi igitur, Bucerum aduenisse mirantur. Episcopus uero rationem hospitis inopinati aduentus redditurus ait, grandi se teneri desiderio redintegrationis Christianæ fidei cultus, & idcirco Bucerum aduocasse, quippe qui apud Protestantes magni nominis existens, plurimum eidem rei studeret, & quod magis est, iam cum ipsis Catholicis in præcipuorum assertione articulorum, qui ad fidei modum & perfectionem pertinere uidentur, conuenisset. Cum itaq; deliberandi causa tantum, quo scilicet pacto religionis concordia resarciri commode ualeat (omni penitus controuersia sopita atq; extincta) adesset, equidem optare se uehementer, ut ipsi pariter benigne hac de re cum Bucero consultent.

Hac in consultatione procul a Bucero abfuit, ut aliquid utrisq; quod Catholicæ doctrinæ aut etiam constitutioni aduersari uideretur proponeret, uel extorqueret.

Qualis fuerit hac consultatio Gropperus prolixe describit.

Negocio itaq; confecto, Gropperus Coloniam reuertit. Quem biduo post Bucerus sequutus est. Nam cum ignorante D. Groppero Coloniam uenisset, & ante fores domus suæ cum ministris Episcopi & equitatu aulico staret, cõsurgit ilico in obuiam, ut uel hoc modo quoq; Episcopi sui uotis satisfaceret, tum etiam quod speraret Bucerum in confessione siue assertione illa thematum Catholicæ doctrinæ consonantium perseueraturum, quinetiam magis perfectiusq; conuertendum, ut ecclesiæ fidelem decet filium. Quocirca D. Gropperus aditum Bucero non satis commode negare potuit. Quid uero inter eos tunc actum sit, testari poterunt inter alios probitate & eruditione præstantes uiros, D. Godfridus Gropperus & D. Ioannes Lilius, ædis S. Gereonis Canonicus, utriq; sane fide digni & integerrimi, quos una cum cæteris in testes adhiberi sibi uoluit.

At uero ubi idẽ D. Gropperus post dies aliquot procul & clam referente consiliario quodam subodoratus est, Archiepiscopũ forte suasu Buceri quædam noua & peregrina effecturum, subintulit, Istud nunquam prospere successurum, quandoquidem neq; Collegium ecclesiæ metropolitanæ, neq; Vniuersitas unquam admittere uelit, ut apostatæ Bucero (qui necdum plane reconciliatus sit ecclesiæ) de religione in propria ipsorũ Diœcesi facultas decernendi aut præscribendi aliquid concedatur.

Tantum itaq; nefas, & deordinationẽ Ecclesiastici status auersurus,

surus, ad Comitem a Nevuenar (qui Archiepiscopo affinitate coniunctus erat) ilico sese contulit Gropperus, eiq; optima fide, nec sine animi dolore insinuat, quod clandestino relatu acceperat: rogans obnixe, ut si quid consilij & remedij cognosceret, fideliter hoc ipsum communicet, quo mature imminenti malo prospiciatur & caueatur, addiditq;: Quod si quid amplius reformationi quæ iam pridem in Synodo Prouinciali decreta fuerat, adijcere uellet Episcopus, aut etiam in emendationẽ & utilitatem Religionis statuere, eos potius quos apud se ipse haberet uiros prudentes & exercitatissimos consulat, quam aduenam & peregrinum, cuius omnino non egeret opera. Adhæc quantum difficultatis & periculi inde cõsequi possit, si secus quid eueniat, innuit. His autem Comes respondit, Ignarum quidem esse istius propositi, sed pro sua uirili daturũ operam ne Diœcesis in discrimen illud præcipitetur, quin potius tranquillo potiatur successu.

Dehinc confestim Poppelstorfium adijt, & inter alios nonnullos Episcopi adoptiuum Successorem, uulgo Coadiutorẽ, & Cancellarium conuenit, & quid secreto sibi fuerat relatum exponit, hortatur pariter & obsecrat, ut ipsum ueritatem minime celent, atque ita infortunium illud opportune prohibeatur. Qui uicissim respondent, Huiuscemodi rem quam uerebatur, eos penitus latere, sperare quoq; tale quippiam Episcopum neutiquam cõmissurum, nec aliquid futurum quod illum in hoc prouocet.

Posthac Bucerus iterum Bonnam Argentorato uenit. Quo comperto Gropperus, Nevuenarium rursus huius rei certiorem facit, ostendẽs quomodo propositum illud nõ modo Collegio, imo etiam ipsi Ciuitati Coloniensi molestum foret ac plurimum graue, & tandem futurum ut præ nimia molestia sese opponant, unde uicissim discrimina multa prouenerint. Quare Comes ipse cũ Groppero simul ad Archiepiscopũ properat, quem diligenti instructione & obsecratione adeo commouit, ut literas ab eodẽ ipso ad Collegium Gropperus reciperet, quibus innuat, Se ut postulatum erat, in gratiam Collegij, Bucerum concionibus amoturum, donec certior fieret. Mittant igitur alterum ecclesiastem ad proximum dominicæ Natiuitatis festum.

Sleidanus nomine fuisse missum a Collegio refert. His igitur literis plurimũ exhilarati optimeq; contenti, ut Episcopi sui uotis annuant, D. Hermannum pastorem paræciæ D. Columbæ, pro Catholico concionatore ad aulam destinant, coram

Episcopo

Episcopo& aulicis diuinum uerbum integre prædicatum.Erat eñ Vir oppido bene in sacris literis uersatus (quippe qui iam Magisterij licentiam adeptus fuerat) disertus & eloquens.Hunc etiam Episcopus concionantem audiuit.

Cæterum breui admodum interposita mora, doctor quidam Buceraster,ex aula in consessum Collegij prodijt,qui tabulis authoritatis &fidei (quas credentiam uocant) exhibitis,omnia quæ Archiepiscopus Collegio nouerat,sub earum prætextu,instructa palinodia iniquissima reuocat.Vbi uero (ait D.Gropperus) infœlix ille Buceraster hanc palinodiam nactus sit,satis prohdolor cõstat.

Deinceps uero dissidium inter Episcopum & Collegium, improborum consilijs & irritamentis (qui prohdolor nimis infœliciter Episcopi patientia & probitate abutebantur) magis exarsit. Nam D.Gropperus (qui quondã e primarijs aulæ consiliarijs unus erat) uidens nimirum Archiepiscopum duci atq; fauere plus ipsis alienis q̃ alioquin suo Collegio,&integris consiliarijs,ad aulam ulterius non cõparuit,sed pro uirili partes Collegij (cuius ipse quoque membrum erat) in executionẽ factæ appellationis tueri atq; defendere cepit.Interim tamen non destitit Archiepiscopum scriptis & per alios oretenus rogare,& hortari,ut ab alienorum & improborum hominum consilijs abstineat, & sese Catholicæ ecclesiæ suoq; Collegio & Clero,totum commendet adhæreatq;.

Quodam tempore Archiepiscopum Coloniam uenire contigit, & in domum quandam a Iudæo dictam, templo nimirũ D.Gereonis uicinam diuertere,ubi instructo cõuiuio,primos in Senatu inuitat,in quorum conspectum adesse quoq; uoluit D.Gropperum, quẽ post longa & uaria colloquia rogatũ uult, ut si patrocinari recuset suæ causæ,non tamen incommodet, abstineatq; obesse. Collegio & socijs nec consulat,nec mutuam præbeat operam. Huic ita respõdit D.Gropperus:Gratiosissime Princeps, promptissimũ me habe T.C. uelle& corpore,& bonis quibuscunq; a Deo mihi tributis obsequi,modo tamẽ id fieri sic possit,ut diuino neutiq̃ repugnet honori,aut etiã integritatẽ Cõscientiæ minime labefactet. Quod uero cupis ut in gratiã atq; fauorẽ T.C.Collegio (cuius ego priuilegijs & beneficijs gaudeo) & Clero uicissim (cui deuinctus sum ex ratiõe officij,ita ut Os cleri uocer, hoc est orator) ac tandẽ Vniuersitati (cui sacramẽto ex parte ꝓmotionis sum obstrictus) renunciẽ, simulac ne quicq̃ in negocio ꝙ tanti ponderis est, ut in eo diuinus Constantissima Gropperi responsio & preclara magnanimitas.

q iij honor,

honor nostrarum salus animarum, imo perditio & recuperatio, æterna & temporalis huiusce diœceseos prosperitas, consistat, consulam, neue pro uiribus, Christianæ & Catholicæ Religionis defensioni succurram, certe nec decet nec expedit omnino, quin potius capite plecti uelim, quã ut adeo perfidus in Deum & sponsam suam Ecclesiam existam. In cæteris, utpote honestis & salutiferis, habebis me semper fidum & obsequiosum. His dictis, D. Gropperus intrepidus abijt, non absq; grandi eorum qui audierant admiratione. Nam unus e Magistratu gloriosæ memoriæ, uisa hac in Groppero animi constantia, postea in cætu plurimorum ciuium, ingenue dixit, mirari uehementer D. Gropperi fortitudinem, & magnanimitatem, quam tunc expertus præferret uiginti florenis aureis.

Præterea ubi eo deuentum est, ut Archiepiscopus, legitima potestate, suo officio & honoris amplitudine priuaret, & Coadiutor in præsentia Comitum, nobilium & totius Diœceseos præpositorũ eandem illam administrãdi regendiq; prouinciam susciperet, tunc inquam in consessu istorum omnium, qui fuit in atrio maiori Dominicani cœnobij Coloniæ, D. Gropperus assurgens, rem omnem horis aliquot a principio ad calcem usq; diserte proposuit, nonnullos quoq; istius tragœdiæ incensores, aut certe fautores & consultores, modeste & grauiter taxauit. Nullus interim eorum obmutire ausus est, sed errorem atq; peccatũ taciturnitate sua præterierunt. Si forte nonnunq̃ eos omnes satis grauiter adhortaretur, nihilominus tamen præsto esse se libenter mulctã sustinere, si modo quisquam eum falsitatis in sua repræhensione arguere posset.

Sleidanus in rebus euidentissimis ueritati parcit, quamobrẽ in alijs, nempe abstrusioribus omnino non credendus.

Verum his omnino ꝑteritis & potius dissimulatis, Sleidanus ille multis paginis D. Gropperum falso prorsus accusare, & traducere studet, ac si is Bucerum in hanc Diœcesin inuexisset, & Archiepiscopo mirifice commendatum obtulisset.

Sane quod si illũ minime pudeat in rebus adeo manifestis hallucinari, & falsissima referre, facile quidem diuinatu fuerit, quantũ in rebus secretioribus, utpote ijs quæ inter Pontificem & Cæsarẽ, & Regem, alijsq; priuatis negocijs falsus sit.

Sed his paucis dicta sint, ut ad ea ueniam, quæ de Comitijs dicenda restant.

Igitur Cæsar ex comitijs discedens, Vbiorum Coloniam appulit, & inde rursus domum redijt.

Eadem tempestate Dux Henricus Brunschuicensis militiam instruit,

Instruit, collectisque mille quingentis equitibus, & quinque milibus peditum, per agrum Luneburgicum castrametatur, ac tandem in patriam uenit, ubi & arcem Steynbrucensem recuperat, ciuitatibusq; circumuicinis mandat ut a Smalcaldico fœdere discedant, sibiq; de illata iniuria reconcilient. Interea uero Hassus prope nouem milia peditum & equites mille sexcentos conflat, Saxo quoque equites mille, peditũ tria milia & sex milia incolarum summittit. Deniq; Mauricius Dux quoq; equites mille, & quinq; milia peditũ suppeditat. Habebat unaquæq; acies suas peculiares machinas. Lantgrauius igitur tã copioso fretus exercitu, aduersus Henricum Ducem procedit. Moliebatur uero Henricus in tutelã & protectionem sui exercitus, montis uicini castris Lantgrauij supercilium aut etiam fastigium, occupare, sed is conatum Brunsuicensis peruerterat, missis aliquot equitibus & peditibus ad Castrorum custodiã, qui sic in montem illum suam perduxit & collocauit exercitũ, ac tum utrinq; dimicari ceptum est. Henricus Dux Brunsuicensis aciem instruit. Sleidanus.

Porro Lantgrauius copijs longe superior, Henricum cum machinis retrorsum abire cogit. Tantam igitur uim expertus Dux, ad Mauricium mittit oratum ut ad colloquium ueniat, Mauritius primum ex Hasso quærit, sit ne spes aliqua ineundæ pacis? cui ille ait, Oportere ut Henricus una cũ filio se in manus ipsius dedat, alioquin uellet id prælio efficere. Hac de re colloquiũ inter duos agitatũ fuit Hassus nihilominus pugnam instruit, & Mauricio significatum uult, se diutius prælio feriari non posse, siquidem metueret ne forte Brunsuicensis sub prætextu colloquij fuga dilabatur, statimq; reuersus Mauricius, Hasso narrat, Henricum simul cum filio deditioni acquiescere. Hos proinde nactus Lantgrauius, Henricum alloquitur in hæc uerba: Si tuas ego in manus uenissem, dure satis mecum egisses, his & alijs uerbis patrẽ cum filio dimittens diligẽter custodiri præcepit. Festinat inuadere castra Henrici, cogitq; ut suum ibidem milites uexillum aut signum militare conuellant, & iuramento testari compellit, ne intra semestre contra socios stipendium agant. Quos machinis & armis omnibusq; copijs spoliat, arcemq; Steinbrucensem sibi subijcit, sacramento populum adigit, Deoq; pro parta uictoria gratias agit.

Post ubi Cæsar illius stratagematis factus est centior, ad Lantgrauium dat literas, quibus eundem cõmonefacit, ne efferatur animo,

sed uicto-

sed uictoria cum delectu & modo quodam utatur, captosq; Duces heroico more honeste humaniterq; tractet, caueat denique, ne eos ipsos ad iniquam & inhonestam conuentionem adigat.

Per idem fere tempus, Marchio Albertus, Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinæ Ecclesiæ aura uitali caruit. In cuius locum Sebastianus ab Heussenstein sufficitur.

Lycosthenes. Hoc insuper anno, septimo Idus Augusti, magna & odiosa calamitas Mechliniæ Brabantiæ contigit. Nam subito turris tormentario puluere ad octingenta fere uasa conferta succenditur a fulmine, cuius etiam ui in partes minutatim dissiliens, fundamentũ murosq; propinquos secum magno impetu atq; fragore abripit, & ingentia saxa huc atq; illuc in tecta, uicos atq; plateas excutit & dispergit, multa passim funera edebat hic fulminis ictus, ædesq; splendidissimas demoliebatur. Hinc etiam tanto calore efferbuit ciuitas, ut aqua (quæ eam alluebat) penitus absumeretur, fertur in ea clade homines occubuisse trecentos. In diuersario quodam seu taberna hospites conuenerant, qui cum inter perpotandum chartis lusorijs sese oblectarent, repente extincti sunt, at caupona penarium cereuisiam promendi causa, fœliciter sane ingressa, euasit. Post triduũ quidam ex latibulo prorepsit, demirans mundum in tantis potuisse durare terroribus & deuastationibus. Visu miserabile fuit oppidum tanta magnificentia extructum ita repente destructam cernere.

Tandem hoc eodem anno Mulier quædam Viennæ Austriæ, infantem a ferijs Bartholomei usq; in diem Luciæ gestauerat, quo quidem euoluto spacio obstetricẽ ad se uocari iussit, propinquos pariter & cõuicaneas, dumq; parturiret, sonus in utero exauditur, quasi uiolenter aliquid disrumperetur, & deinceps puerpera infantem licet nunquam eum fuisset enixa percepit, sed grauem & diuturnam inde cõtraxit infirmitatem, ubera ingentem lactis copiam fundunt, atq; ita toto quadriennio miseram trahebat animã. Post multos deniq; sumptus & medicorum consilia, ex utero (opera chirurgorum) infantilia membra iamdiu putrefacta extrahuntur. Atq; hoc modo curata, pristinæ ualetudini redditur, anno M.D.L.

Anno

ANno M.D.xlvi. Protestantes in Ianuario Francofordĳ conuentum egere, quo fœdus suum aduersus Concilium Tridenti coactum communirent, itemq; apud Cæsarem Religionis & iudicĳ Camerarĳ causa agerent. An. 1546.

Cæsar quidem Colloquĳ inter uiros doctos diem præscripserat circa Decembris initia anni superioris: at qui Protestantium partes tuebantur, xxi. Ianuarĳ die anni huius demum aduenere. Ex Cæsaris parte decreti fuere Collocutores Theologi, Petrus Maluenda Hispanus, Eberhardus Billichius Carmelitanus & Theologiæ Doctor, Ioannes Hofmeisterus Augustinianus, & Ioannes Cochleus Doctor: Porro auditores, Georgius Loxanus, Casparus a Caltendal, Georgius Ilsingerus, Bartholomæus Latomus. A Protestantibus Collocutores fuerunt missi, Martinus Bucerus, Ioannes Brentius, Georgius Maior, Erhardus Schneppius: Auditores uero, Vuolradus Comes a Vualdeck, Balthasar a Gultlingen, Laurentius Zoch, & Georgius Volckaimer.

XXvĳ. Ianuarĳ Domini Præsides Missæ sacrũ in summa æde Ratisponensi solenniter celebrari curarunt, cumq; utriusq; partis Collocutores in Curia Ratisponeñ. conuenissent, quæ a Cæsare mandata haberent, illis exposuerunt. Lutherani multis ambagibus diuersisq; exceptionibus Colloquium protraxere, adeo ut quinta demum Februarĳ die cœptum sit, atq; a Catholicis Iustificationis articulus in medium allatus. Petrus Maluenda Theologus Parisieñ. pro more patrum disputando, aduersus Lutheranorum dogma, hominem non fide sola tantum, sed insuper spe & charitate iustificari probauit. At Bucerus irretitum se sentiens, nec quicquam posse contra Maluendam, ait de Iustificationis Articulo in proximo Colloquio inter partes conuentum esse. Cuius dicta sunt a Doctore Eberhardo Carmelitano Prouinciali refutata, asserẽte nunquam illo de articulo, quod Bucerus diceret, satis conuenisse. Sequenti die, cum Lutherani respondere deberent, illi protestando & alĳs multis modis tempus extraxerunt, rursumq; ad duodecimũ usq; illius mensis diem negocium dilatum est. Tum illi uolebant acta dictaq; omnia per notarios in scripta referri. Quod cum Præsides dixissent nimiam temporis moram exigere, nec in eorũ esse potestate aliam colloquĳ habendi formam, quam a Cæsare constitutam esse, præscribere, interim nihilo minus celeri nuncio Cæsarem certiorem reddidere, ut ob Lutheranorum importunas altercationes alia

Colloquĳ initia.

Sleidanus hęc refert infideliter.

r nes alia

nes alia colloquẽdi ratio institueretur, si quid uellet cum ipsis agi. Cæsar autem misit illis credentiarum, quas uocant, literas, electumque ac confirmatum Naumburgeñ. Episcopum D. Iulium Pflugiũ tertium illis Præsidem adiunxit.

XXvi. Februarij utrisq; partibus Præsidum literæ credentiarum, & Cæsaris mandata proposita sunt, & a Catholicis quidem ea qua par fuit obedientia recepta. Alij uero permulta adferebant Cæsaris decretis contraria. Præcipue namq; iusserat Cæsar, ut acta omnia in silentio haberentur, nec cuiquam ea communicare liceret, donec sua Maiestas cum alijs Imperij Ordinibus ea cognouisset. Atqui Protestantes a suis Principibus in mandatis habere se aiebãt, ut ad illos quicquid esset gestũ, referre. Præsides ergo Cæsari, qui iam iter Ratisponam uersus ingressus erat, per literas alias Lutheranorum propositum significarunt, orantes de sua ipsos uoluntate scripto certiores redderet.

Lutherani clãse e Colloquio subducũt

Verum Lutherani Collocutores non expectato Cæsaris responso, intra uicesimum & uicesimum primum diem Martij, contra omnium opinionem, clam inde festini abierunt, ita ut illorum pertinacia rursus omnis concordiæ & pacis spes erepta sit.

Ea re cognita Præsides, moti sunt indignitate, maxime quando serio ab eis petijssent, & etiam Cæsaris nomine mandassent, illius ut rescriptum præstolarentur. Atq; ut turpis ea fuga certa relatione ad omnium perferatur notitiam, uisũm nobis est literas D. Eberhardi Billichij, tum temporis ciuibus Coloniensibus scriptas, ad uerbum subijcere.

EPISTOLA

EPISTOLA R.P. MAGISTRI EBERHARDI BILLICHII, COLONIEN. ORDINIS CARMELItarum Prouincialis inferioris Germaniæ, unius ex Colloquutoribus Catholicis, continens progressum Colloquij Ratispon. Anni M.D.XLVI. & fugam Lutheranorum. Ad Ciues Colonienses.



SALVTEM, ueramq; consolationem a Deo, qui fideles suos nouit in omni tribulatione, quam pro ipsius nomine, & Ecclesia sustinent, abunde consolari, nunc & in perpetuum. Amen. Famam apud uos de Colloquio, quod in causa religionis, & fidei Christianæ ex Cæs. Maie. decreto hic cum aduersarijs initum est, uariam, atq; inconstantem esse, fit mihi hinc uerisimile, quod tam uarie de eo non modo uulgus hominum per se uanum, ac mobile, uerum etiam Illustrium, ac primorum ordinum quidam loquantur, ac passim etiam mentiantur in uicinis Ciuitatibus Augustæ, Nurembergæ, Vlmæ, & alijs plerisq; locis, ubi famam circumferri audimus uictoriæ aduersariorum de catholicis reportatæ. Vani & inuerecundi sectarij, quam stabili, ac solida uirtute cõparare sibi non possunt gloriam, per mendacia quærunt, & plausu gaudent inani, ac uano. Itaq; concitarunt hos rumores, sed quam parum feliciter, partim iam probauit euentus, loquiturq; res ipsa, partim post colloquij euulgationem fiet toti mundo palam manifestum. Secundum iussionẽ Imperialem, & fidem designatis a Cæs. Maie. Præsidibus utrinq; datam, Catholici omnia in Colloquio gesta continuerunt hactenus sub silentio; quid aduersarij colloquutores, & auscultatores fecerint, ignoro. Si uera essent, aut ueri saltẽ speciem aliquam, quæ uulgo circũferuntur, haberent, crederem ab eis publicata. Nunc uero cum sint tam falsa, tam absurda, tamq; a rebus gestis aliena, ut nulla fronte potuerint ab aduersarijs colloquutoribus confingi, facile adducor, ut credam a pestilentissimis hominibus, & Lutheranis illis, qui Colloquio non interfuerunt (ut est genus istud hominum partium suarum immodice, ac scelerate

ſtudioſum) conficta, atq; in leue uulgus diſſeminata. Si tamen ab ipſis aduerſariorum, uel colloquentibus, uel auditoribus prodijt hæc fabula, & illi commentũ hoc ſuffuderunt in alios, nefaria profecto res eſt, & perfidia tam ingens, ut cui comparari queat, non habeam. Cæterum, ne uos quoq; relinquã opinione dubia, ac fortaſſe falſa ſuſpenſos, paucis quomodo inchoatum, in progreſſu habitum, atq; ad poſtremum abſque omni fructu diſcuſſum ſit Colloquium recitabo: ſed res tantummodo illas, quæ intra Colloquij ſecreta non continentur, non ipſam diſputationem, donec totius colloquutionis, relatione Cæſ. Maie. facta, permittatur nobis, & hanc amicis communicare.

Initio R. Præſul Eichſteteñ. & Illuſtriſſ. D. Fridericus Comes a Furſtenberg, Præſides a Cæſ. Mai. colloquio moderando dati, utriuſq; partis colloquutoribus agendi formam, quam ſciebant Cæſ. Maie. probari, talem dederunt, ut de articulis controuerſis ordine conferrent, expenderentq; eas ad Scripturas diuinas, ad Sacrorum Conciliorum definitiones, & Patrum Sanctorum dicta, ac eo uſq; legitimis argumentationibus eos excuterent, donec appareret quid utrinq; reciperent colloquentes, quid non. Et ea quæ communi ſententia hoc pacto conciliarentur, uerbis planis, minimeq; ambiguis conſcriberent, ac ne quis colloquentium poſtea tergiuerſaretur, conciliatis inſcriberent ſua nomina ſinguli, atque ad hunc modum conſignatam ſententiam traderent Præſidibus per Notarios eorum referendam in acta. Quæ uero in controuerſo relinquerentur, & neutra partium alteri cedente contingeret, non cõciliari. Similiter poſt ſufficientem collationem conſcriberent ſuã utraque pars ſententiam cum fundamentis, ſeu rationibus, quibus potiſſimum inniterentur, ac Præſidibus exhiberent, eodem modo referenda in acta per Cæſ. Maie. & Imperij ordines expendendam, uel conciliandam in comitijs, uel ad Concilium generale reijciendam. Legibus iſtis aiebant Catholici adiuuante Deo ſe obtemperaturos, daturosq; operam quo ad poſſent, ut uoluntati D. Præſidum, & expectationi Cæſ. Maie. ac ordinum Imperij ſatisfaciant. At Proteſtantium colloquentes una cum auditoribus eorum huic ordinationi parere prorſus recuſabant. Volebant enim, ut etiam collationes, & diſputationes omnes ad uerbum ſicut fit in negotijs profanis conſcriberentur, & licere ſibi habere exceptores, qui acta, dictaq; in colloquio omnia notarent, propterea quod eſſet ad acta

ſæpius

ſæpius recurrendum. Et quia in mandatis haberent, ut hæc omnia renunciarent ſuis Principibus, quod fieri non poſſet, niſi permitterentur eis Notarij, qui conſcriberent omnia, deniq; & prorogationem Vuormatienſem hoc ipſum poſtulare, quæ iuberet omnes omnino colloquij tractatus Cæſari & ſtatibus in comitijs referri. Aliquandiu obſtiterunt Præſides eo quod uideretur ratio iſta non ſolum difficilis, uerum etiam plane inutilis, quæ ne faciem quidem haberet ueri colloquij. Poſceret etiam huiuſcemodi dictatio plurimum temporis, euaderetq; in declamationes nunquam finiendas, in hac præſertim cauſa Religionis, in qua nemo uideatur facturus alteri nouiſſimum dicendi locum, & forſan hinc libri poſſent conflari, ſed nulla conſtitui conciliatio. Ad hæc noſtrum quidam ſubmonebant dominos Præſides prorogationi Vuormatienſi, quam aduerſarij tantopere urgerent, parum congruere, ut colloquij tractatio ante ſtatutum tempus ad Proteſtantes prius, q̃ ad Cæſ. Mai. & cæteros Imperij ordines referrentur, id uero etiam indignum uideri, nec item fas eſſe, ut ante ab aduerſarijs, & eorum concionatoribus, unde diſſidium hoc ortum eſt, & fouetur, tanq̃ totius orbis cenſoribus, perlegantur, præiudicetur, ac ſtatuatur de eis, aut etiam illorum more horſum illorſum traducantur, q̃ de eis etiã cognoſcant Principes Catholici, & ipſe Cæſar, hoc ad pacem publicã adeo non conferre, ut etiã indicta, iam, iamq; habenda omnium Imperij ordinum comitia anteq̃ ſatis inchoentur, ad nutum concionatorũ illorum perturbare, omnemq; colloquij fructum auertere poſſe uideatur. Cum autẽ tali altercatione plurimũ temporis defluxiſſet, & Catholicis forma colloquendi, quã præſides præſcripſerant, probaretur. Contra uero Proteſtantium tam auditores, q̃ colloquutores diuerſam pertinaciter exigerent, ac tandem etiam non obſcure minitarentur, niſi poſtulata, qualicunq; licet eſſent, obtinerent, ſe colloquio infecto mox conſenſis equis abituros, arbitrati ſunt Catholici (ne ſua etiã ipſi pertinacia colloquiũ uel detrectare, uel diſſolutum uelle uiderentur) tantæ illorũ improbitati donandũ aliquid eſſe, quamuis ultra iuſtum, & potius difficile, q̃ nullum colloquiũ cum eis capeſcendũ. Itaq; conſentientibus Catholicis, Præſides Cæſarei Notarios utriq; parti & dictationes, & conſcriptiones actorum, & fere quicquid aduerſarij ab eis contenderant, conceſſerunt. Verebantur etiam colloquij diſſolutionem, quam apparebat proteſtantes quærere, ſi rigidius eis obſtitiſſent, quum Catholicos

ad omnem rationem,seu formam colloquendi,quamcunq; præscri bere libuisset,siue ut colloquutione familiari,siue ut dictatione res ageretur,haberent quam obsequentissimos.

Initum est itaq; magnis studijs Colloquium breue, seu potius declamatio,qualis ante annos quinq; Vuormatiæ ab exceptoribus utrinq; designatis conscripta, sed non multas hebdomadas potuit hæc ratio durare,dictationem enim fastidium statim sequutū est, tam auditorum, quam Præsidum, nedum ipsorum colloquentiū. Vt uiderunt autem aduersarij Catholicos præter suam expectationem adeo in hoc genere colloquendi non succumbere, ut etiam contra insurgerent,ac præmerent,questi sunt,se non intelligi a Catholicis, & hinc adeo se frustra ab eis impugnari, quū iactent alias, sua doctrina nihil clarius esse. Volueruntq; etiam familiariter uerbis liberis,quæ a Notarijs non exciperentur cum Catholicis experiri,sic totum biduum nihil fere aliud,quam partes sibi sumpserunt in morem concionatorum prædicandi,docendi, exclamandi, suadendi,hortandi, deplorandi nostra,sua attollendi, nonnunquam lingua Germanica,quo generosum Comitem Furstenbergium,& auditores nostros uiros ut clarissimos ita Catholicæ fidei addictissimos commouerent,& sunt huiuscemodi actionum egregij artifices,minimum uero temporis argumentationibus, seu ratiocinationibus impendebatur, nec fere sinebant se, tantus erat fastus,a Catholicis dum declamarent,Bucerus præcipue,& Schneppius,interpellari,bestiæ illæ præ se tulerunt,quod & impudentissime, ac uerbis procacibus contendebant, Principibus, & Rebuspub. protestan.a Cæs.Maie.colloquium istud datum,ad patefaciendum sinceriorem,ac puriorem Euangelij doctrinam,quam ipsi doceant. Sic enim appellant suas hæreses,quas,ut longius propagent,tam speciosis uendicant nominibus,Enimuero propositum,ac mentem fuisse Cæsaris,ut colloquio isto ad mentem saniorem reducerentur, ac resipiscerent,ne cogitatum quidem uolebant,tanta confidentia,tantaq; iactantia doctrinam suam purissimam esse, & haberi etiam a Cæsare contendebant.Proinde audiri uolebant, non audire in colloquio,nisi parcius,rei indignitate commoti colloquutores Catholici poposcerunt etiam sibi diem aliquem ad agendum cum eis libere,& familiariter concedi,quod uix egre ab inuitis,& repugnantibus,Præsidum authoritate extorserunt,sed hanc texere historiā longum esset,deniq; & ad secretos colloquij tractatus illa pertinēt,

nec

nec licet nobis disputationis materiam, factosq; congressus prodere, hoc tantum habete, in uno illo congressu, quem fecit doctissimus Theologus D. Petrus Maluenda, sic hæsisse Bucerum, sic in angustias fuisse coactum, ut refugium nullum habuerit, nisi res defenderet absurdissimas, etiam a sensu communi abhorrentes, quod & magna impudentia, ac contra suam ipsius proculdubio mentem fecit, id profecto quod nunquam ego hominem aperte commissurum mihi persuaseram. Sed ille malebat insanire, atq; errare crassius, quam uictus uideri. Itaq; familiaris colloquutionis periculo cum Catholicis facto, non libuit diutius hac ratione colloqui, reditumq; est ad priores dictationes, ubi absq; interpellatione licebat quidlibet cuilibet dicere, & declamare. Non multo post uenerunt a Cæs. Maie. literæ, quibus sua Maiestas uetabat omnino dictare, uoluitq; colloquutores omnes conferre, & congredi tantum familiariter, ac uere colloqui, nec quicquam scribi amplius, preter quã sola capita, quæ collatione dogmatum, uel huiuscemodi disertatione conciliarentur, aut si non uiderentur inter colloquentes conciliari posse, ut illa cum rationibus utrinq; oppositis notarentur, nec ulli reuelarentur mortalium, continerentur uero omnes colloquij tractatus, accepto de hoc ab omnibus iureiurando, sub silentio: donec sua Maiestas iuberet eos in comitijs referri. Negabant Lutherani se recipere leges istas, nec item iuratutos silentium, quibus sui Principes mandassent renunciare omnia, uehemẽter apud Præsides colloquij institerunt, ut uel leges illæ tametsi non ignorarent, hoc ipsum in potestate Præsidũ non esse, ab eis tollerentur, aut si hoc non impetrarent, ut ad Cæs. Mai. referrent difficultatẽ hanc, eniterenturq; suis literis earum remissionem, quæ nisi obtineretur, se non colloquuturos. Quid facerent hic aliud Præsides humaniss. pacisq; publicæ, p̃sertim uero concordiæ sacratiss. Religionis cupidissimi, quũ Lutherani polliciti eis fuissent, se respõsum ad hæc Cæsaris, uelle p̃stolari, supplicarunt Cæsari, ut p̃scriptam colloquij formam remittere, uel mutare dignaretur. Siquidẽ Protestantes cum Catholicis uellet diutius colloqui ita factum est, ut Colloquium illud solenne, & publicum a Cæs. Maiest. præscriptum, ex uoluntate protestantium usque ad responsionem Cæsaris suspenderetur. Censebant autem D. Præsides non parum ad ueritatis illustrationem, aut certe inquisitionem, si ueritas lateat, postea allaturum, si colloquentes interim dum Cæsaris literæ expectantur, non

publice

publice quidem propter reuerentiam, quæ Cæsareis debetur mandatis, sed absq; arbitris, in priuatis ædibus congrederentur ad parandam conciliationi articulorum discrepantium uiam aliquam, quamquam autem congresiones huiuscemodi priuatas, si animis paribus collocutores utrinq; ad ueritatem, & illustrandam essent affecti, omnium commodissimas fore, & plurimum ad litis huius direptionem profuturas, nemo rerũ ecclesiasticarum uel mediocriter peritus, non censuerit, tamen Protestantes eam conditionem prorsus respuerunt, Catholici uero tametsi neq; tutum sibi in domo priuata cum hominibus ferocibus altercationi, & calũnijs deditis absq; publicæ authoritatis præsidio congredi, neq; cum uersipellibus, & ingeniosis mendaciorum confectoribus absq; bonorum uirorum testimonio agere satis securum arbitrarentur, non tamen uolebant quaslibet priuatorum congressuum rationes ita prorsus declinare, sed modum quendam excogitarũt, quo incommoda illa omnia uitari possent, nec tamen contra Cæsaris præscriptum publice res ageretur. Nempe ut aduersarij singulis quibusq; interualli istius diebus excutiendũ aliquod simplex caput, in quo uideátur a nobis recedere sententiam suam statuerent scripturis illis, & argumentis, quibus potissimum innitérentur, mitterentq; ad Catholicos illam expendendam, qui statim seligerent, quæ putarent recipienda. Ea uero quæ reijcerent, confutarent, etiam graui scripturarum, Patrum, & Conciliorum authoritate, ac rationibus apertis, neq; id tantũ, uerum etiam aduersæ partis rationes, ac fundamenta clare dissoluerẽt, & hanc suam discussionẽ mitterent e uestigio parti aduersæ expendendam, qua examinata si non putarẽt illi sibi satisfactum, possent suos scrupulos Catholicis rursus obijcere, ac illorum explicationem uicissim ab eis percipere. Excussoque ad hunc modũ capite uno aliquo, duobus, aut ad summum tribus congressibus, ne ad infinitum replicationes illæ excurrerent, procedere ad caput aliud. Et quamuis trium forte dierum congressu non conueniretur in unam sententiam, appareret tamen certus rei status, & qua uia ad cõcordiam (nisi desperata sit caula qualẽ habemus cum Turcis, & Iudæis) perueniri posset. Verum siue Præsides noluerint nos hoc pacto committere, siue detrectauerint aduersarij, neutrum enim nobis compertum est, neq; hæc ratio successit. Sed cum dies circiter decem fuissent elapsi, & iam Cæsaris responsum propediẽ ad futurum speraretur, Protestantes. xx. Martij sub

tij sub horam uespertinā, missa sui recessus causa scripta ad D. Præsides aiebant se a Principibus, & superioribus suis reuocatos domū, quidam etiam innuebant sibi uideri cōsultius esse, ut ecclesijs suis adessent, quam hic diutius morarentur. quibus intellectis D. Præsides ob subitam, atq; inexpectatam Colloquij discussionem, quæ partis alterius recessum sequutura erat, nonnihil perturbati, accitos eos illico admonuerunt officiorum suorū, & ut Cæsaris responsionem, quod se facturos erant polliciti expectarēt, ne discessu intempestiuo, & Imperatorē, & omnes Imperij ordines fallerent, ac comitijs istis perniciosissime incommodarēt, responderunt se non posse aliud, quam Principes iussissent, & temere factū, quod promiserant responsionē expectare a Cæsare, Præsidibus aūt grauiter exigentibus, ut cogitarent Cæsari potius esse parendum, & quantis malis occasionem præberent, receperunt se uelle rursus consultare, ac respondere. Caterum uespericum nox appetisset, quidā eorum clam proripuerunt se Ratisponæ, egerant enim cū quibusdā e Magistratu, ut portam haberent consueto serius apertam. Postero die cum Præsides Cæsaræi, quid deliberatum eis esset, expectarēt, nunciatum est Bucerum, & Saxones abijsse, ubi uero metueretur ne & reliqui simili fuga Præsidibus illuderēt, cum in hospicijs de eorum proposito inconstanter responderetur, miserūt D. Præsides ad eos tres primos Reipub. Ratisponensis uiros, D. Georgium Loxanū, urbis Cæs. Ma. nomine Præfectum, Camerariū item, qui est summus hic Magistratus, & Scultetum, qui reliquos conuenirent, trāderentque eis scriptam Cæsareorum Præsidum monitionem, qua collocutores, auditoresq; protestantium Cæs. Ma. authoritate requirebantur, ut officio suo non deessent, prorogationiq; Vuormaciensi satisfacerent. Admonitionis mitto uobis exemplū, ut uideatis quam indecens, atq; inhonesta fuerit aduersariorū fuga ista. Licet autem monitio illa fuisset recepta omniū nomine, nihilominus neque illi qui abierant rediere, neq; perstitere omnes qui aderant, sed paulatim alio diuerterunt, quidam admodum furtiue, fingentes enim se aliud facere, cū extra urbem uelut deambulationis gratia uestibus bene culti, pcessissent, mutatis illic subito uestibus, equos, quos ad hoc habebant paratos, conscenderunt, & ita se proripuerunt hinc. Miramur omnes fugam istam, poterant manifesto die abscedere omnes, cum nemo uim faceret, nemoq; insidiaretur, sed credo eos tali fugæ specie uoluisse Cæs. Ma. odium, atque inui-

diam conflare, ac uulgo immittere suspitionem, quasi Cæsar eos pro rebellione forte comprehendere, hic, uel in itinere statuisset. Non potest enim fuga, hoc potissimum tempore facta, esse penitus otiosa, nisi forte, quia causæ suæ, quam sciunt non optimam esse, diffidunt, proripuerunt se fuga. Subuereor tamē ne aliquid monstri, ut solet in perfidia, apud protestantes alatur, & forte machinetur Catholico cuipiam Principi, aut etiā Cæsari (quid enim non audet temeraria impietas) pro comitijs insperatum bellum.

Hic est tam famosi Colloquij status, seu potius exitus, quem licebit uobis amicis omnibus cōmunicare, ne quis falsis rumoribus perturbetur, aut animo deijciatur suo. Nec uelim ea quæ scripsi in dubium uocari, sunt enim eiusmodi, quæ ne ipsi quidem aduersarij poterunt negare, quæq; tam ipsorum præsidum, quā auditorum, & colloquētium omnium infallibili testimonio probari possunt, nec fere aliter, ut opinor, apud Cæs. Ma. communi omnium nomine referentur, nisi quod contractior fui, quam illic futura sit narratio, multaq; præterij, quæ non uidebantur relatu digna.

Ratisponæ ultima Aprilis. 1546.

ADMONITIO PRAESIDVM Imperialium Ad Colloquutores Protestantium fugitiuos.

EXcusationem uestram Auditores, Colloquutoresq; partium Augustanæ confessionis hesterno die ad nos missam accepimus, ac perlegimus diligenter, in qua commemoratis grauaminibus, quæ ex instructione Cæs. Maie. proximis diebus de obseruatione, ac forma Colloquij ad nos missa adferātur, partibus uestris significatis, constitutum uobis esse domum tantisper regredi, dum a Cæsarea Maie. remissio eorundem impetrata, quo iusta ratione colloquendi constituta causa ueritatis, quæ ad omnium salutem pertineat, pro magnitudine, ac dignitate sua dextre, atque utiliter tractari possit, petentes, ut in bonam partem accipiamus discessum uestrum, atque in eadem apud Cæsar. Maie. interpretari uelimus, paratos uos esse ad obeundum colloquium secundum postulata uestra constitutum, quo primum tempore de consensu Principum, ac superiorum uestrorum fueritis a Cæs. Maiesta. reuocati. Nos uero hoc tempore nihil minus ueriti sumus, quam ut huius

 rei

rei quicquam ab ijs, qui ad hoc negocium deputati sunt, expectaremus, non solum propter obseruantiam Cæsa. Maiesta. ad quam de eisdem rebus, tum ex cōsensu, ac uoluntate uestra retulerimus, responsum quoque ab eadem, non uobis minus, qui id facturos esse promisistis nobis, quam diuersæ parti quæ se semper in omnibus obsequentem præbuit, expectari æquum erat, sed etiam propter causam ipsam in qua cum singularem rationem fortasse, uel componendæ Religionis, ita concordiæ, pacisque Germanicæ eadem Cæs. Maie. constitutam habeat, quis tam negligens publicæ utilitatis, aut sui officij erga eandem Cæs. Maiestatē incogitans fuerit, ut studeo, ac sedulitate sua tā salubri, ac necessario negotio ulla de causa defuisse uidere uelit? Nam, ut omittamus cætera, minime putamus tanti Principis, uel studium, uel mansuetudinem in hac omni causa uel authoritatem contemnēdam esse. Etenim iam totis uiginti annis, & amplius luctatur prope cum fortuna ipsa in depellendis periculis nostris, neq; ullum tempus, ullam occasionem prætermisit. Quid futurum esse putatis, si uictus odio, atque obstinatione partium, tardior factus fuerit, poterimusq; sustinere diu hanc molem discordiæ, sub cuius ruina omnibus pariter succumbendi erit, nisi nos Deus ipse respexerit, aut si hunc offenderimus rerum nostrarum moderatorem, quem alium expectabimus in maximis periculis, qui aut resistere possit malis nostris tam prope impēdentibus, aut id quod possit, pari uirtute, ac moderatione præstare uelit. Iam uero tota Germania hodie intenta est in hunc actūm nostrum, amant, ac laudant institutum Cæs. Maiesta. quæ nihil intentatum relinquit, nostram spectat fidem, ac diligentiam in qua concordiam Religionis, pacem Germaniæ, suas fortunas multi positas esse arbitrantur, detestaturi proculdubio, atque odio prosequūtur omnes, qui moram huic negotio, uel detrimentum ullum culpa sua attulisse uidebūtur. Neque hæc eo mouemus, quod plus nostra in hac causa, quam uestra intersit, sed ut satisfaciamus uoluntati Cæs. maiesta. qui has partes nobis credidit suo nomine gerendas, atque adeo ne officio nostro ulla in parté defuisse uideamur, aduentare dicitur eius Maiestas, ac paucis diebus hic adfutura certis literis nunciatur. Quod si relicta hac uestra prouincia, atque edicto Vuormaciensi post habito, domum uos retuleritis, occurretis

Maiestati eius in uia hūc properanti, ne quam moram expectationis longiorem causari possitis. Quæ quum ita sint, petimus a uobis, ut uestri officij memores in hac causa tanta, & expectare responsum Cæsa. Maiestat. quam omnes merito obseruare debemus, & publicæ utilitatis rationem habere uelitis, id quod non modo per se gratum ipsius Maiesta. sed a nobis quoque eidem studiose commendādum erit. Quod si immota stat uobis sentētia, ut quicquam nomen officij, ac sedulitatis nostræ a uobis Impetrare potest, tum nos hoc scripto testatum esse uolumus, per nos minime stetisse quo minus satisfactum fuerit uoluntati Cæsa. Maiesta. in continuando Colloquio, sed uestra potius recusatione, atque discessu, desertum hoc tempore, atq; discussum fuisse.

Ex Actis Lutheri fol. 313.

Circa idem tempus tristis ad Lutheranos nuntius allatus est de obitu patris eorum Martini Lutheri, qui tū profectus erat ad Comites Mansfeldenses, dissidij cuiusdam componendi causa, ob bona hæreditaria inter illos nati.

XVII. Februarij cum cœnatus esset hilariter, nocte eadem mortuus est. De eius morte uaria tū scripta sunt edita, sed alia ab alijs discrepantia. Lutherani magnam librorum germanicorum turbam edidere, populo ut persuaderent, quam sancte sanctissimus illorum pater (sic enim uocatur ab eis) spiritum reddidisset. Inter hos primarij erant Melanthon, Pomeranus & Ionas Cocus, qui se Iustum nominat. Ionas iste nocte eadem, qua necopinato & repentino mortuus est Lutherus, illi adfuit, moxque ea ipsa nocte Electori Saxoniæ eius obitum significauit. Idem post modū pomposum illud & magnificum eius funus descripsit: alij lugubres ac funebres habuere conciones, Pomeranus germanice ad populum, Melanthon latine ad studiosos Vuittenbergenses. Quibus illi concionibus hoc omnium animis persuadere moliuntur, Lutherum non gustasse mortē, sed perinde ut Enoch, Elias, & Ioānes Euangelista, absque morte esse ablatum. Illique confirmando eam Ioannis 8. capit. sententiam accommodant, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit (uel uidebit) inæternum: quam etiam sententiā aiunt Lutherū paucis ante diebus in quodā hospitis sui codice germanice scripsisse, atq; hunc in modū esse interpretatū:

Si quis

Si quis uerbum Dei suo in pectore serio meditetur, illi credat, atque ita obdormiat uel moriatur, illum hinc excedere prius quam uideat uel sentiat mortem: quæ expositio nulla alia quam Lutheri authoritate nititur: quasi non etiam etnicis constiterit nihil esse morte terribilius, cuius aculeos etsi non æque acres sentiunt omnes, tamen nullus euadit: & est luculenta apud Dauidem sententia, cuius Lutherus uidetur oblitus fuisse cum hæc scriberet Quis est homo qui uiuet, inquit & non uidebit mortē? Solus Lutherus mortem forsitan non uidit, quia bene potus ante extinctus est quā posset præuidere. Quod uero illum Enoch, Eliæ uel Ioanni equi parare nituntur, quis non uideat cuius sit impudentiæ, cum tamen illorum argumenta omnia uel hoc solum euertat, quod plurimi cadauer eius humo condi uiderunt, id quod de Enoch uel Eliæ corpore nemo dixerit? Psal. 88.

Ionas quidem & obitum, & funus Lutheri Germanice conscripsit, at Doctor Ioannes Cochlæus scribit in eum in hunc modum:

Quisquis Ionæ scripta diligenter perpendit, næ ille haud difficile potest assequi, ea quidem omnia, quæ ad funus pertinent, ad mundi pompam & gloriam, cætera uero ad carnis uoluptatem & seculi fastum esse relata: & quæcunq; in illo sunt gesta funere, longe ea a Christi & Apostolorum eius doctrina dissidere. Quis oro sanctorum postquam uita functus esset, in curru triumphali, cum tribus, qui spectarentur, filijs, atq; ijsipsis contaminato thoro, ex monacho & Nonna natis, tanto cū apparatu & pompa ad sepulchrum ductus est? Quæ uero illius Celsitudo, nobilitas generis, & origo fuit, ut illustres Comites a Mandsfelt corpus illud putidū cum centum & tredecim equis tā honorifice exciperent? Aut quis unquā uir apostolicus uel sanctitate cōspicuus id uel uisus est uel auditus attētare, quod Lutherus facere nō dubitauit, ut a duobus præcipuis Ecclesiæ capitibus, puta Romano Pontifice & Imperatore, hæresios manifesto dānatus, nec unquam in Episcopum uel electus uel cōsecratus, sacerdotes ipse consecraret? id quod Ionas eū Islebij fecisse scribit. Quæ ea sanctitas fuit quod uesperi, post eaquā lautissime cœnatus, ciboq; ac poto refertus erat, capite e fenestra educto, precem quandā fudit, eamq; interim tā attente & serio, ut sua Ionas historia refert, ut qui circumstarent, cum quieti essent & taciti, quædam precationis illius uerba non sine admiratione perciperent?

Nulla tamen hic precum horariarum, quas ille ut monasticen professus, & sacris initiatus dicere tenebatur, nec ullius alterius, quam interdiu fecisset, si quã modo fecit, precationis mẽtio habetur. Mira sane hæc est & hactenus inaudita sanctitas, ut nouus Saxonum apostolus, postquam diem omnem negocijs secularibus transegerat, prandij quoque & cœnæ horis uentrem cibo potuque farcierat, præcibus Canonicis, quibus dicendis obstrictus erat, omissis, breuem quandam, antequam cubitum iret, precatiunculam dicere deprehensus sit. Eius uero extrema oratio, ut Ionas author est, eiusmodi fuit: O mi cælestis pater, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, deus totius consolationis, laudes & gratias ago tibi, quod mihi filium tuum IESVM Christum reuelasti, quem cognoui, quem dilexi, quem laudibus celebraui, quem Romanus pontifex & cætus impiorum contemnit & persequitur. Liberet hic ex Iona huius historiæ architecto percontari, num scriptura omni diuina patrumque monimentis sedulo perlectis, quicquam eiusmodi unquam compertum didicerit, ut homo Christianus ad Christi tribunal iturus, tam te[illegible] Christoque & Euangelia plane aduersa prece usus sit. Num quisquam unquam Christianus iam iamque moriturus, supra cæteros Christianos omnes, qui sub Romano Pontifice Christum colunt, adorant & confitentur, adeo sese extulit? reliquos omnes impietatis damnauit? ipsum Ecclesiæ pastorem & summum sacerdotem tam indignis proscidit conuitijs? An non uerisimile est Christum æquissimum iudicem animæ illi e corpore migranti dixisse, Ex ore tuo te iudico serue nequam? Paucis ante annis fassus es publice, & scriptum quoque reliquisti, ac dixerete in Pontifice Romano uocem Christi, in illo loquentis, illumque dirigentis: uerbis etiam & scriptis testatus es, sub Papa ueram esse Christianitatem, & uerum Christianitatis nucleum.

O precē Cristianam, modestiāc Euangelicam.

Iam uero quid de illo sperandum est, qui ea animi pertinacia, obstinatoq; odio contra proximi charitatem migrat e corpore? Ionas certe eum in modum referẽda Lutheri morte, cumprimis eum euehere ac in diuos referre uoluit: sed apud cordatos omnes summa eum affecit ignominia, planeq; condemnauit, haud secus quam Pomeranus quoque, dicens in oratione funebri, Lutherum in extremis uaticinatum esse de Papatus excidio, idq; hoc uersu:

Preclarū Lutheri Vaticinium.

Pestis eram uiuens, moriens tua mors ero Papa.

Ad quæ

Ad quæ Cochlæus ita respondet: Age uero, si Papatus Lutheri morte extinctus & euersus est, cur Protestantes & ante bellū Smalcaldicum, & dum illud gereretur, Pontificem & eius fœderatos, ut ipsimet scripserunt, usq; adeo pertimuerunt?

Addit porro Cochlæus: Quid miseræ illi Lutheri animæ contulit apud tribunal Christi inanis illa pompa funeris, quodque corpus eius exanime stanneo inclusum loculo ab aliis ad alias Ecclesias magno fastu est translatum, tantaque equitum & peditum frequentia Vuitebergam usque perductum? Prudentiori illi consilio fortassis usi uideretur, si corpus illud ferreo potius quam stanneo loculo imposuissent, quemadmodum Sarraceni sui Mahometis corpus, cuius loculus ui magnetis attractus, uidetur in aere pendere. Atqui magnes stannum non ad se rapit &c. Sed hæc de obitu & funere Lutheri dicta sint satis

Vide latius in Actis Lutheri.

Huius anni mense Martio Cæsar Ratisponam aduenit, ubi cum didicisset Colloquium dissipatum, moleste tulit. Principes quoque necdum coram omnes aderant, ut Cæsar iusserat. Missis igitur ultro citroque literis, plurimum querebatur, hortatusque est principes serio, ut ad Comitia accederent. Venerunt autem eo Mauricius Saxoniæ dux, Ericus Brunsuuiceñ. dux, Ioannes & Albertus Marchiones Brandenburgeñ. Tridentinus, Augustanus, Bambergensis, Herbipoleñ. Patauieñ. & Hildesieñ. Episcopi. Protenstantium soli legati adfuere.

XV. die Iulij in summa æde Ratisponeñ. Missæ sacrum præsente Cæsare & Rege, & aliis Imperij ordinibus solenniter peractum est, & post fusas ad Deum preces, Imperator cū aliis omnibus in Curiam abiit, & quæ illis Comitiis agenda essent proposuit in hunc modum:

Tametsi affectus ipse esset corporis ualetudine, haberetq; domi negociorum plus satis, tamen in Imperij & Germanicæ nationis gratiam eo se accessisse, sperasse quoq; reliquos principes idem facturos fuisse: tum præterea Colloquium doctorum uirorum absq; ullo fructu & utilitate dissolutum, & inexpectatū omnino exitum habuisse. Quando igitur summo ipse optaret opere omnem religionis discordiā remouere, uelle ipsum nosse ex illis ecquid illis in cōmunem rem fore uideretur, quo possent id quod conducibile esset, in communi re statuere.

Caholici

Catholici cum inter ſe deliberaſſent, in Concilium Tridentinum conſenſere, rogaruntque Cæſarem illud ut tueretur, Proteſtantesque eo adduceret, illi ut morigeros ſe præberēt. Atqui Proteſtantes pacem certam petiere, utque intra Germaniam eiuſmodi haberetur Concilium, cum quo Romano Pontifici nihil eſſet commercij.

Interea temporis rumor ſparſus eſt, paſſim magnum fieri belli apparatum: qua re permoti Proteſtātes, ex Cæſare percontati ſunt num eius iuſſu fieret: quando enim induciæ eſſent cum Turcis, & cum Gallis pax conciliata, mirari ipſos, quorſum ille belli ſpectaret apparatus.

Cæſar reſpondit, ſe quidem pro illo, quo iam inde ab initio Germaniam complexus eſſet amore, ſemperq; in pacem & fuiſſet & eſſet propenſus, nihil moliri aliud, quam ut Imperij ordines in cōcordiam mutuam redirent, paxque & Ius in Imperio conſtitueretur. Qua in re qui ipſi eſſent obtemperaturi, illis omnem ſe humanitatem & beneuolentiam polliceri: ſi qui uero rebellare ſtatuiſſent, aduerſum eos cogi ſe tum iure ipſo, tum etiam ſuæ Maieſtatis tuendæ cauſa, talem ſe declarare, ut ſtrenuum ac integrum deceat Imperatorem.

Exordiū belli Smalcaldici.

Altera deinde die ſcripſit Argentoratenſibus, Norebergeñ. Auguſtanis, Vlmeñ. & quibuſdam alijs Proteſtantiū urbibus, nō ignorare illos, quantum ipſe operæ & ſumptuū poſuiſſet in componendis Religionis diſſidijs, illa nimirum ſpe, fore ut ſua clementia & lenitas toti Imperio ſaluti ac bono eſſet. uerum quoſdam ſub Religionis prætextu alios Ordines opprimere, atque eorum facultates ſibi uendicare niterentur. Itaque nihil ſibi eſſe ſpei reliquum, poſſe illos ſua patientia & manſuetudine emolliri atque redire ad ſanitatem, animique illam elationem deponere: atque niſi mature occurratur, Germanicam nationem a priſtina illa ſua liberate in moleſtiſſimam planeq; tyrannicam ſeruitutem redactum iri. Se itaq; conſtituiſſe ſeditioſos illos in Imperio ad obedientiā compellere, Germaniamque in priſtinum ſtatum & libertatē reſtituere. In eandem fere ſententiam ſcripſit etiam Duci Vuirtenbergeñ. Eodem autem die, quo hæc ſcripta ſunt, Granuella & Naues earum urbium Legatis ad ſe accitis, ſingulis priuatim dixere, bellum hoc nō contra Ciuitates, ſed aduerſum rebelles quoſdam, qui in Cæſaream incurriſſent maieſtatem, principibus & Epiſcopis nonnullis eorum facultates

Cæſar ſcribit Duci Vuirtenbergenſi.

tates eripuissent, nec ipsis denique Ciuitatibus, ubi oblata esset occasio, parcere constituissent, esse susceptum. Eamobrem non debere ipsos aduersarijs neq; consilio, neq; auxilio suffragari, ne quam Cæsareæ Maiestati aduersum ipsos indignationis materiam præbeāt, quibus ea alioqui cuperet consultum. Atq; hæc ipsa ut ad suos perscriberent, & eos ut in obedientia & officio permaneāt, hortarētur. Namque & Cæsarem ipsum scripturum illis, & suos ad illos legatos decreuisse.

Argentoratenses autem Cæsari eum in modum responderunt, ipsos quidem ingentes illi gratias agere, quod suam in Germaniam uoluntatem admodum propensam cōmemorasset, una tamen obsecrare interim, ut quiesceret, nec ad bellum intestinum prouocari se pateretur. Quod autē nonnullos suo deesse officio, ipsiq; neq; fidem neque obedientiam præstare quereretur, id se quidem non absque dolore ingenti cognouissē, ea tamen spe duci, nullum qui ipsorum esset addictus religioni, hoc scelere obstrictū teneri, precarique se obnixe admodum, ne quod in Germania bellum moueret: si qui uero a fide & obedientia recessissent, cum illis iure ageret.

Interim Protestantium legati alij post alios sensim abiere, & ad suos reuersi sunt.

XIII. die Iunij Cæsar legatum suum Ioānem Muschetum Comitatus Burgurdiæ Camerarium, ad Heluetios misit: qui cum initio multa de Cæsaris erga Remp. maxime Germaniæ salutem propensa uoluntate præfatus esset, ait quosdam principes sub Euāgelij prætextu passim seditiones mouere, & leges omnes iuraque uiolare, ut omni sublato iudicio, nihil illi quod metuerēt, reliquum habeant. Eorum uero proteruiam usq; eo iam progressam esse, ut in ipsius etiam Cæsaream Maiesta. incurrant, uim ac bella minitentur, nec obscure significēt ipso absente communem patriam se oppugnare, & in suam ditionem redigere statuisse. Iis rationibus necessario adactum se esse ad arma capessenda, quo pro suo officio & maiestate impendentia Imperio pericula propulsare, illosque in officio continere possit, nec se habere dubium, quin id gratum esset Deo, itemq; sperare sege, reliquos ordines, quorū salus hinc penderet, sibi & consilio & auxilio adfuturos. Itaq; rogare se illos, ne ab aduersæ partis hominibus, qui infensis & acerbis animis multa de ipso blaterarēt, quippiam ab his diuersum sibi persuaderi, nec ob illorum preces quicquam attētari, aut in suis ditionibus fieri permittant, Cæsaris ad Heluetios legatio.

tant, quo suum hoc propositum aut impediri, aut distineri queat; Namq; bellum hoc pro totius Germanicæ nationis salute & utilitate, nec ulla alia ratione suscipi.

Porro cum Ciuitates Germaniæ superioris & Dux Vuirtenbergensis Cæsaris propositum didicissent, confestim ad Saxoniæ Electorem & Hassiæ Lantgrauium, ceu fœderis capita, literas dederunt, quibus eos de singulis reddidere certiores, unaque omnem illis tum opem polliciti sunt: eoque nomine quantam maxime peditum copiam coegerunt, adeo ut illi primi in expeditione essent. Erat autem is exercitus in duas partes distributus: alter Duci Vdalrico sub quatuor & uiginti signis militabat, in quibus multi erant, nobiles, alter Ciuitatibus merebat. Cum autem ad Vlmam pariter conuenissent, xxi. Iunij Guntiam profecti sunt, & sequenti die in aciem producti, in duos exercitus separati sunt. Duces in his & capita erant Ioannes ab Heydeck, Sebastianus Schertelus, Balthasar a Gultlingen, Sebastianus Hesserer, Matthæus Langemantel, Ioannes Hader, & Iodocus Rosenberger. Ii uero primum Ciuitatum copijs literas quæ belli causam continerent proponentes, pro more illos sacramento adegerunt, eo adiuncto mandato, ut Schertelo morem gererent, donec fœderis primarij principes aduenirent.

Deinde ad Vuirtenbergensium copias accedunt eadem omnino ratione, & Heydecensem eis præficiunt. His uero expeditis Balthasar Gultlinger eiusmodi ad milites oratione usus est: Romanus Pontifex, Satanæ uicarius, optimi commilitones, ignem excitare conatur, quo Germania omnis penitus conflagret & euertatur. Excitauit enim Carolum Cæsarem, ut Principes nostros & reliquos ordines bello premat, sperans nimirum, ui & immani tyrannide adactos ipsius impiam & satanicam religionem recepturos. Eam ob rem Principes & ordines nostri iam plane constituerunt diuina freti ope, aduersum hoc bellum acriter sese tueri, eoq; nomine tum uos, dum alios uestri similes, quantum ex temporum angustiæ per misere', conscribendos iudicarunt. Quando uero fœderis capita necdum adsunt paucis licet post diebus adfutura, princeps illustrissimus Vdalricus dux Vuirtenbergensis, ut interim omnia recte & ordine gerantur, suo loco alium uobis præfectum esse uoluit ducem,

Adhortatio ad milites.

cem, nempe claris ortum natalibus Dominum Ioannem ab Heydeck: cui uos debetis pro data fide esse obsequentes, quo honestissimum longeque diuulgatum nomen illud, quod maiores nostri multis olim bellis in exteras natiões & populos susceptis, magnis animis multoq; sanguine sibi pepererunt, ad posteros nostros cũ laude transmittere possimus.

Sub idem tempus Brunsuuiceñ. Goslarieñ. Hildesieñ. & Hanouerẽses, iussu Electoris Saxoniæ & Hassiæ Lantgrauij, munitissimam Henrici Ducis Brunsuuiceñ. arcem, quam imposito in eam præsidio ad id usque temporis sibi uendicarant, funditus diruerunt.

XV. Septembris die summus Pontifex scriptum promulgauit, quo suam erga Remp. & hominum salutem, animi beneuolentiam & solicitudinem testatus est, simulque Concilij inchoationem & hæreticorum pertinaciam indicauit, ut qui illud contemnerent ac rejcerent, & Catholicis atque orthodoxis omnibus bellum fœdissimum indixissent. Denique hortatus est in communi omnes, ut precibus & ieiunijs instarent apud Deum, peccata sua cõfiterentur, & quilibet sibi quem uellent eum in usum sacerdotem eligerent, ac deinde Eucharistiam acciperent, Deumque rogarent, ut bellum hoc quod Cæsar necessitate compulsus ob hæreses extirpandas, & pacem in Ecclesia instaurandam suscepisset, ad optatum finem perduceret. *Lantgrauius ad bellum proficiscitur.*

Vbi uero qui Smalcaldici erãt fœderis de Cæsaris sententia certiores sunt effecti, animum illi ad bellum gerendũ promptissimum & præsentissimum attulere. Lantgrauius filium suum maiorem natu Argentoratum misit, ipseq; ad xv. diem Iulij in aciem processit.

Antequam autem procederet, Dux Brunsuuiceñ. Henricus, quem captiuum detinebat, cum eo colloquẽdi copiam fieri sibi petijt, sed frustra.

Sebastianus Schertelus Augustani Episcopi di[illegible] occupato oppido ad licum amnẽ, Fissano mine. Porro [illegible]ceñ. Dillingam eiusdem æque antistitis urbem obtinuit. Qui Donauerti erant, licet ad deditionem se præberent difficiles, at tamen ubi exercitus omnis accessit, in hostium concessere potestatem.

Cæsar interim Ratisponæ degebat cum septingentis plus minus equitibus, & plerisq; Germanis ac Hispanis peditibus: reliquus autem eius exercitus longe adhuc aberat.

Saxo et Lantgrauius a Cæsare Proscribuntur.

XX. Iulij die Cæsar Saxonem & Lantgrauium proscripsit, ijs allatis rationibus, quod erga suam Maiestatem rei essent perfidiæ, multoque tempore ipsius neglecta patientia utilitatem & pacem Reip. perturbassent, contra ipsum fœdus composuissent, quendam Imperij principem bello petiuissent, ac profligassent, eiusque ditiones occupassent, nonnullos Episcopos & prælatos ecclesiasticos facultatibus & annuis prouentibus priuassent, Cameræ Iudicium sustulissent, atque ea omnia sub religionis & uerbi Dei prætextu. Adferebantur praeterea etiam aliæ a Cæsare querelæ; atque hisce de causis pronunciauit ac declarauit eos ceu periuros, contumaces uel rebelles, seditiosos, reos læsæ maiestatis, & communis pacis turbatores proscriptionis sententiæ subiacere; addito mandato, ne quis sub pœna capitis & facultatum amittendarum eis esset auxilio.

Per id tempus Albertus Baioariæ Dux Ferdinandi regis Romanorum filiam Annam, & Vuilhelmus Cliuensis Dux Mariam eiusdem Ferdinandi filiam matrimonio sibi iunxere. Protestantes suas indies augebant copias, ad Danubij ripas castrametati. Cæsar autem milite pene nullo stipatus adhuc erat. Itaque relicto Ratisponæ præsidio, Landresium profectus est, quod oppidum paret Duci Baioariæ.

Protestantes Cæsari bellu denunciant.

XI. Augusti die Saxo & Lantgrauius Cæsari literas misere, quibus illi bellum denunciarunt. Iis in literis regem eum Hispaniæ & putatitium Cæsarem uocarūt, questiq; sunt multis annis sui eum oblitum iuramenti, & cum Romano Antichristo & alijs Regibus consilium aduersus Euangelij doctrinā inijsse, secumq; deliberasse, ipsos ui cogere ut Concilio obtemperent. Iis igitur alijsque causis ipsos permotos fœdus percussisse, & contra illum arma sumpsisse, atq; cum his literis fidei, qua illi essent obstricti, se plane renūciare.

Inde consultatio habita est, qua potissimum capessendum esset iter. Quibusdam uidebatur consultius, ut Landresium, ubi Cæsar tum erat, peteretur: sed cum eius regioni periti indicassent loca interiacere palustria, adeo ut in angusta semita plerumque integro & eo amplius milliario nō nisi unus posset equus ingredi, mutata sententia Ratisponam adire decreuerunt, ubi Cæsar & præsidium, & tormenta bellica reliquerat: posse enim inibi commodum castris metandis locum captari, & si Cæsar obsessis uellet ferre suppetias, posse uno conflictu toti negocio finem imponi. Motis igitur castris, sensim eo proficisci cæpere.

Eodem

Eodem fere tempore, puta xiij. Augusti, Italorum copiæ Landresium peruenerunt: quas cum Cæsar iampridem expectasset, misit qui iter accelerare iuberent. Peditum erant xiiij. millia, & equites leuis armaturæ quingenti.

Cum his Dux Florentiæ Cosmas Medices equites ducentos, & Ferrariæ Dux Hercules centum equites, quibus præerat Alphonsus frater eius, non tamen germanus.

Non multo post adfuere etiam Hispanorum sex millia, quos Cæsar ex Neapoli & Mediolano ueteranos euocarat. Totius exercitus Cæsariani pfectus primarius fuit Ferdinandus a Toleto, Dux Albanus & secundum hunc Ioãnes Baptista Castaldus. Cardinali Augustano cõmeatus procurandi erat prouincia demandata. Præter hos fuere cum Cæsare Maximilianus Archidux Austriæ, Emanuel Philibertus Ducis Sabaudiæ filius, Ericus dux Brunsuuicẽ. Philippus Henrici Ducis captiui filius, Georgius Magnopolensis dux, Georgius dux Brunsuuicẽ. frater ducis Henrici, Fredericus Comes Furstenbergensis, Reinhardus Comes Solmẽ. & perplures alij. *Hispanorum aduentus.* *Principes in Cæsaris exercitu.*

Cum igitur copiæ omnes conuenissent, ijs demptis, quas Buranus Comes ex inferiori Germania ductabat, Cæsar a Landresio Ratisponam reuersus est, atque inde Ingolstadium petijt. At uero Lantgrauius cum paucis equitibus insecutus, Ingolstadium explorare uoluit, nesciens Cæsaris exercitum illic iam adesse: persuasum autem habens Hispanos quosdã præsidio relictos, quos ad pugnam elicere statuerat. Sed cum longius progrederetur, quidam in eius conspectum prodiere equites, atque utrinque illis concurrentibus, ab utraque parte nonnulli cæsi sunt, perplures sauciati. Ex captis autem didicit Lantgrauius Cæsarem ea die castra ad Ingolstadium metari constituisse.

Displicuit ille Lantgrauij conatus Saxoni haud mediocriter, atque si quidem absq; ipso de cætero quicquam eiusmodi gereret, se cum suis abiturũ. Deinde exercitũ omnẽ in aciẽ eduxerũt, haud secus quam si præliũ essent cõmissuri: at tamẽ in castra se receperũt. Nocte pxima ad primã uigiliã Hispani in Domini ab Heideck, qui Saxoni erat attributus castra facta irruptiõe, ingẽtẽ in castris oĩbus perturbationẽ cõcitarunt, quã noctis tenebræ non parũ auxerunt.

Altera luce, nempe xxix. Augusti, missi sunt quidam ex præcipuis qui Cæsaris castra explorarent: in quos ex improuiso equites Itali impetum fecerunt, & cum multi cecidissent, ad castra re infecta rediere.

Porro Buranus Comes Maximilianus, cum suas copias omnes contraxisset, equitum quatuor, & peditum decē millia, in quibus essent pleræque Hispanorum & Italorum, qui sub Henrico Angliæ rege aduersus Gallos meruerant, in Augusto ex Germania inferiori mouit, supraque ac infra Moguntiam, ubicunque naues & cymbas habere potuit, Rhenum cum exercitu transmisit, nihil moratus illos, qui ab altera parte sub Christophoro Oldenburgen. & Frederico Reiffenbergen. Comitibus a Smalcaldicis relicti erant, eo nomine ut illorum transitum prohiberent. Interea temporis Smalcaldicorum exercitus ad Cæsaris castra loco editiori uniuersus accessit, & tormenta omnia in hostes maxima contentione & impetu expedire & exonerare cæperunt. Sed cum Cæsar horrenda illa bombardarū tonitrua ea die sustinuisset illæsus cum suis, sequenti nocte ea ratione sua castra muniuit, ut deinceps magna fiducia rem gerere, & hostium conatus omnes facilius posset perferre. Incredibilem ille in præsentissimis periculis id temporis præ se tulit animi magnitudinem, adeo ut nedum nullam timoris alicuius significationem de se daret, sed suorum etiam animos confirmaret & erigeret, dicens se cum illis & prospera & aduersa omnia communia habiturum.

Protestantiū ad Ingolstadiū conatus.

Protestantes ab Ingolstadio recedunt.

Postquam autem immania illa tormentorum tonitrua cessarunt, & Cæsar interim uallo fossaq; sua Castra probe cōmunierat, Protestantes die quarto Septembris discesserunt. Et cognito aduentu Burani Comitis, ne se Cæsari posset cōiungere, illius iter impedire uoluerunt. Missis igitur x. Septembris, exploratoribus, iusserunt ut ubinam Buranus esset, perdiscerent. Quod cum Cæsarem non lateret, per literas Buranum certiorem reddidit, quanam iter arriperet. Iis cognitis Buranus ab itinere nonnihil deflectens, Norinberga Ratisponam profectus est, atque tandem illæsus cum suis Ingolstadiū ad Cæsarem, eius aduentu mirifice exhilaratum (habebat enim copias lectissimas & instructissimas) peruenit.

At Pro-

At Protestantes ubi de hac sua spe deciderunt, tertio inde die Donauertum regressi sunt, ubi Comites Christophorus de Oldēburg & Fredericus a Reiffenberg cum duabus copijs, & Comes Buchlingensis cum quinque peditum uexillis eis se coniunxerunt. Cæsar uero motis castris Neburgum obsedit, sed cum a nemine defenderentur, qui in præsidio erant sese dedidere: quibus Cæsar ueniam dedit, accepto ab illis iuramento, ne cui aduersus ipsum militarent.

Postea Cæsar Donauertum misit Octauium Farnesium cum aliquot Germanorum signis & tormentis bellicis, ut oppidum occuparet: quæ res illi cessit ex sententia. Cum enim noctu eo aduenisset, & prima luce scalas muris admouissent, ciues deditione in Cæsaris uenere potestatem: at qui præsidio erant, in fugam uersi sunt.

Per id tempus Albanus Dux ex Lantgrauio percōtatus est, cur ita perpetuo in montibus & collibus uersaretur, nec se in planitiem conferre ausus esset & manus conserere.

Cæsar Conauerto profectus, Dilingam, Hochstadium, & paulo post Laugingam & Gundelfingam deditione recepit. Atq; ubi Danubium tenuit, maximam rei prospere gerendæ adeptus est opportunitatem. Relicto autem Laugingæ præsidio, traiectoq; Brento ad pagum Sontheim castrametatus est eo consilio, ut inde Vlmam tribus distantem milliaribus sese conferret.

Dum hæc agerentur, Romanorū Rex cum Boemis in Saxoniam irrupit, & dux eius exercitus quōdam Electoris Saxoniæ subditis bellum indixit, ea ratione, quod princeps ipsorum a Cæsaris obedientia & fide recessisset, & Monasterium Dobrilugense occupasset, nonnullisque alijs de causis: addens, etiamsi nulla ei causa suppeteret, tamen proscriptionem ducis a Cæsare factam esse omnibus manifestam. Boemi in Saxoniā irrunnt.

Id uero ubi Saxo rescivit, fœderatis rem omnem exposuit, [illegible] lorum etiam ope implorata. Aiebat acerbum sibi esse coniugem & liberos atq; subditos eo in discrimine relinquere. Sed Protestantes reliqui obnixe rogabant, ne ab ipsis discederet: eius enim recessu in maximum se discrimen adductum iri.

Igitur

Igitur in Nouembri Protestantibus ad Gingam conuenientibus, propositum est, quandoquidem nulla ex Gallijs expectāda essent subsidia, & Luneburgenses ac Pomerani cum alijs ipsorum religionis addictis, nullas eis ferrent suppetias, atq; hyems causa plures in dies se subducerent, aut prælium esse cōmittendum, aut discedendum, relicto in hybernis firmo præsidio, inter alia decretum est, ut a Cæsare pax, uel induciæ peterentur. Sed cum Cæsar conditiones alias atq; ipsi uellent proponeret, communi sententia statutum est, ut denuo ad Galliæ & Angliæ reges legatos mitterent, & anni sequentis mense Ianuario Francophordiæ conuenirent.

His ita definitis, xxiij. Nouembris discessere, non eo, quē sperauerant, bello huic fini imposito.

Protestantes e bello recedunt.

Cæsar Protestantes insequitur.

Cæsar eorum cognito recessu, Ducem Albanum & Buranum Comitem eos iussit insequi, quos ipse cū Germanorū equestri exercitu sequebatur. Lantgrauius autem & Saxo in quodam substiterant monte, donec Cæsar sub noctē dato signo suos ad Castra reuocaret. Tum illi clam abire pergentes maximum euasere discrimen. Nam si Cæsar bello eos petiuisset, aut uiui, aut mortui omnes in eius potestatem uenissent, quemadmodū ipsi quoque postea facti sunt. Cæsar uero in Castra se recepit, atq; ibi biduo militibus recreandis dato, cū Boppingam, Nordlingam, Comitum Oetingēsium ditiones & Dunnckelspulā deditione accepisset, celeriter Rothomagum Imperij oppidum contendit.

[illegible]antgrauius ad Ducem Vuittenbergēn. profectus cum copias [illegible] i per[illegible]et, domum abijt, & prima Decembris uenit [illegible]ordia[illegible] Saxo autem cum suo exercitu iter capessens Gemūnda[illegible] oppi[illegible]um primo oppugnatum, deditione tādem accepit, [illegible] pecuniam a Senatu exactam, uiritim soluere compulsi sunt. [illegible] x. Decem[illegible]ris Francophordiam ueniens, nouem aureorum [illegible] ab i[illegible]s recepit. Ab Moguntino uero Antistite XL. au[illegible]lia extorsit. Mox ad Abbatem Fuldensem opibus in[illegible]e conferens, cum illo & plerisque alijs Catholicæ religio[illegible]s eodem modo egit.

[illegible]scribit [illegible] Vuirtenbergensis.

[illegible]o Cæsar Buranum comitem cum Belgicis copijs a se dimitte[illegible]s, iussit ut modis omnibus Frācophordiā occuparet. Scripsit quo[illegible] mense Decembri Vdalrico Vuirtenbergensi dynastæ, illi impr[illegible]perans, quod beneficiorum omnium immemor, hostibus suis, quos ipse proscripsisset, auxilio fuisset: addensque tametsi ea causa merito

merito grauia in eum supplicia posset constituere, tamen ob miserum uulgus se illi propicium fore, modo ijs perspectis literis, seque suaque omnia ipsi permitteret: quod ni faceret, se illum & eius subditos ferro & igni persecuturum.

Dux Vdalricus his acceptis literis, demisse admodum respondit, ueniamque petens, Christi causa obsecrauit, ne quid porro contra ipsum iam ante afflictum principem, aut miseros suos subditos moliretur.

His precibus, cum quidam principes intercessissent, flexus Cæsar, recepit illum in gratiam: ijs conditionibus, ut intra sex hebdomadas supplex ueniã peteret, proscriptis nullas dehinc ferret suppetias, tormenta bellica fœderatorum in ipsius terra relicta cum omnibus ad ea pertinentibus ipsi traderet, & in impensas belli a Cæsare suscepti trecenta aureorum millia conferret. *Vlricus Dux in gratiam admittitur.*

Princeps Elector Palatinus Comes Fredericus, Smalcaldicis subsidio miserat quadringentos equites. Eius excusandi causa Cæsarẽ adiens, ait non id se fecisse animo ipsum impugnandi, sed quod ratione fœderis cuiusdam cum duce Vuirtenbergeñ. ictî ad id fuisset obligatus. Cæsar illi durius respondit: at tamen ueniam dedit, admonens ut eam culpã maiori deinceps fide & obedientia aboleret. *Palatinus Cæsarẽ adit*

Non multo post Vlmenses quoque flexis genibus ueniam petiuere. Cæsar quidem illis ignouit, sed nihilo minus numerare coacti sunt centum aureorum millia, & duodecim illi magna tormẽta ænea tradere. *Vlmensibus datur uenia.*

Comes Buranus oppidulũ quoddam Francophordiæ uicinum, Darmstadij uocabulo, occupat, castrum flammis absumit, sed uulgo parcit. Cumque haud longe abesset a Francophordia, eius Vrbis Senatus & ciues missa ad eum legatione, se Cæsaris clementiæ permiserunt. Buranus itaque Cæsaris nomine illos recepit. Denique Cæsar ipse ea conditione illis ueniam dedit, ut pro sua culpa octoginta aureorum millia penderent.

Eodem anno in Hungaria ex uuis sanguis manauit. *Lycosthenes.*

In Franconia editus est infans, ex cuius uentre culter eminebat, qui tamen caute eductus est.

Libet ad calcem huius anni, quo ut supra dictum est, Lutherus uiuendi finem fecit, quandam Erasmi Rotherodami de tam præclaro noui Euangelij architecto & quibusdam alijs sententia adscribere, extractã ex illius Epistola ad D. Conradum Goclenium scripta,

cuius autographum in bibliotheca eiusdem Goclenij post mortem illius reperit uir eruditione ac pietate insignis, D. Ioannes Vos, Altenanus, Decanus Cliuen. quod esset executor testamẽti. In ea Epistola hæc sunt uerba Erasmi: Doleo istic tam multos infectos nouis dogmatibus. Lutherum ex ipsius scriptis deprehẽdo uirum esse sceleratissimum. Zuinglius & Oecolampadius plane tyrannidem affectant. Quotquot se semel illis sectis addixerunt, exuunt prorsus hominem. Hactenus ille.

An. 1547 ANno ab orbe redempto M. D. xlvij. Archiepiscopus Coloniensis in suscepta nouatiõe perdurãs, a Pontifice Max. & Cæsare actione iuridica gradu dimouetur, & iussu Pontificis succedit Adolphus e Comitibus unus a Schauuenburg, qui annis aliquot Diœcesim quasi secũdus a Vuedano gubernarrat. Itaq; Pontifex cõfectis literis ordines totius Diœceseos hortatur ut illum pro Archiepiscopo agnoscant, suscipiant atq; obseruent. Cæsar quoq; Legationem Coloniã mittit, Diœcesanis (quos ibidẽ cõparere mandauerat) suo ipsius nomine proponitur, ut ab Hermanno quondã ipsorum Antistite discedant, atq; relinquãt, quod is nimirũ a Religione Catholica ad hæresin defecisset, Adolphum igitur pro Dño & Præsule suo colant, eidemq; fidẽ præstẽt & iuramentũ. Ad hũc itaq; modũ nono calẽdas Februarij, D. Adolphus e Comitibus a Schauvuenburg, quõdam Coadiutor, a collegio Metropolitano in Archiepiscopum eligitur, ac mox publice in Ecclesia declaratur & exhibetur. Statimq; concionatores illi maleferiati exauthorantur, & cuncta Catholico more instaurantur.

Hermanni Archiepiscopi Coloniensis amotio.

Sub finem uero Ianuarij, huius eiusdem anni Henricus Octauus nomine, Anglorum Rex uita defungitur.

Obitus Regis Angliæ.

Eodem insup anno Regis Ferdinãdi cõiunx Anna, fato quoq; concessit, cuius Rex Vlmæ pro more Catholicæ pietatis & amplitudine, regia honeste iusta peregit.

Regis Ferdinandi Coniux moritur.

Cæterũ fœderis socij unus uicissim post aliũ dedere sese ceperũt. Quo cõperto Augustani, ueniã & gratiã implorant, & assequunt, numeratis centũ & quinquaginta milibus aureorũ, duodecimq; tormẽtis bellicis instructissimis. Ciuitatẽ sibi munit decẽ uexillis militũ.

Augustanos Cæsar in gratiam recipit.

Interea uero Saxoni multũ displicebat tã prosperũ Cæs. auspiciũ atq; successus. Queritur in primis corã Magistratu Argẽtinẽ. Ducem Vlricũ, & ciuitates Cæsari se reconciliasse, & quod maius uidebatur, auxilia quoq; in ipsum & socios, Cæsari promisisse, certe tale

Argentoratũ ueniam a Cæsare consequitur.

quippiam

quippiam non expectasse. Proinde hortatur ut ceptis cōstanter insistat, & si necessitas incumbat aliunde uidelicet petendi suppetias, spem esse de Heluetijs & Francis, qui nō sint denegaturi. Sed frustratur Saxo. quandoquidē magistratus iam definierat conciliationē cū Cæsare ineūdam. Igitur uicesima prima Martij, in gratiam redeūt, sub mulcta aureorum triginta milium, & duodecim bōbardarum.

Gallorū Rex uitam morte commutat.

Eodem anno ultima Martij Franciscus Gallorū Rex diē clausit extremū, filiū suū Henricum hæredē regni posteris cōmendans.

Iisdem fere temporibus Patres conscripti qui Tridenti Concilio incumbebant, propter intemperiem & infectionē aeris Bononiam alij secedunt, alij se ut poterant Tridenti continebant.

Pridie Idus Aprilis, Comes Buranus duos Francophurti maleficos morte plectit, unus ciuis erat, alter uero Lātgrauicus, Nā his obijciebatur, q̄d a Lantgrauio essent subornati, ut Ciuitatē in quatuor partibus incendio tradant, post uero ipsum Buranum, cōsules omnemq; magistratum, auxilio coniuratorum laqueis suffocent. Veruntamen Lantgrauius excusat se atq; testatur, ex quo Francofurtū Cæsar in suā potestatē redegisset, nunquā aliquid in eā tētasse.

Decimo Calēdas Aprilis, Cæsar cum infinitis pene copijs prope Misenum castra applicuit, ubi Saxo aciem collocauerat. Quod ubi percepit is, ciuitatē deserit, pontemq; post se igni succendit, & secus Albim fluuium non procul a Mulbergo castrametatur, Cæsar aūt ueritus ne Vuittenbergam Ciuitatē undiq; bene munitā petat, operæpretiū sibi fore putauit, ut eo se cōuertat incunctanter, mandat ilico suo exercitui ut Vuittēbergam uersus properet, qui cum una iā nocte quieuisset, tandem die xxiij. Aprilis ad Albim consedit. Verum Saxo quosdam ex aduerso cum bombardis succenturiarat, qui cauerēt ne Cæsar pontē sibi extruat, hocq; modo omnis aditus & accessus ipsis Cæsarianis prohibeatur. Diligenter proinde pontes quos obtinuerant seruāt & tueantur. Sed ubi Cæsarē cū toto exercitu aduentasse cōperiunt, & Hispanos mille in flumen turmatim ad axillas usq; se præcipitasse, atq; ita magna ui irruere, & excubias seu etiā stationē eiaculationibus opprimi, in proprios scalmos ignem conijciūt, qui partim tali perierūt incēdio. Sic nimirū Saxones pedetentim ab ripa cedebāt. Tū quidē Hispani artis natādi periti nudo se corpore in flumē mergūt, gladios ore tātū uibrātes. Hi ergo cū ad littus uenissent, scaphas a Saxone relictas, aut potius ab altera parte pontis solutas & diffluētes, cōiungunt, & despectis ad-

uerſariorum eaculationibus ſecũ abducunt. Ex his & alijs quas curribus impoſitas aduexerãt, pontẽ conficiunt, ut peditibus ſuiſq; caculis traijcendi facultas, daretur. Rebus ita cõpoſitis Saxo calones cũ uehiculus ꝑmittit, ſequiturq;, Vuittenbergã cõtendere uolens. Cæſar uero ubi pontem aditumq; cõperit, Huſſaros uelitesq; flumẽ tranſmittere iubet. Deinde traiecit & ipſe cũ cataphractis, incolumis, omnẽq; morã exoſus, haud quaquã impedimẽta exercitus perditumq; copias expectat, ſed Saxonem (qui ut dictũ eſt littore ſoluerat) concitus perſequitur ad ſyluam uſq; Lochanam, ubi tribus trans Albim miliaribus eundem offendit. Tum Cæſar ſuos ut fortiter agant hortatus, claſſicum canere mandat, hoſtemq; uicinum prælio aggredi, ſternere atq; ferire.

Saxoniæ Dux Elector capitur.

Erat autem æquitatus in duas turmas diuiſus. Vnam Albanus ducebat, alteram Cæſar, cum fratre Ferdinando Rege, duobusque nepotibus filij Ferdinandi & Ducis Allobrogum filio ordine pulcherrimo regebat. Congreſſi igitur acriter utrinq; decertatũ fuit, & durante in noctem uſq; prælio, Saxoniæ Dux Elector in maxilla læditur, & captus primum ad Ducem Albanum, dein ad Cæſarem ducitur. In cuius conſpectum cum ille ueniſſet, ſic ait: Clementiſſime Cæſar, en me tuæ Maieſtati dedo, ſimulac rogo, ut cuſtodiam Principe uiro dignam mihi conſtituas. Ad quem ita Cæſar infit: Num tibi modo clementiſſimus Cæſar? quin potius pro tuo merito caſtigandus uenis. At Rex Ferdinandus acrioribus uerbis eum obiurgare cœpit, & accuſare, quod uidelicet & ſe & liberos ſuos omnibus facultatibus ſpoliare niſus fuiſſet. Captus præterea cum eo fuit Dux Erneſtus Brunſuicenſis Philippi Ducis filius. Verum natu maior, Saxonis capti filius Vuittenbergam recepto uulnere fugit. Numerus captiuorum ſat magnus erat. Qui uero effugerant, quadringenti fuere, Vuittenbergam quaſi ad ſuum aſylum huc illucq; palantes contendunt, inter quos Comes Bichlingus & Georgius Ricrodus. Equites Cæſariani fugitantem turbam perſequuti, ampliſſima ſpolia, omnia tórmenta ænea quæ Saxo præmiſerat, referunt. Poſthæc Albanus Electorem, Ducemq; Erneſtum Alfonſo Viueti ſeruandos tradit.

Hiſce temporibus Sol tam horribilem & cruentum præ ſe diebus aliquot ſtatũ ferre uiſus eſt, ut plurimi extra Saxoniã iſtius ſtratagematis prorſus ignari aliquid nouum inde diuinarent.

Deuicto iam Saxone, Cæſar, Vuittenbergã quarto nonas Maij uenit, & triduò poſt Ioannem Fridericũ Ducẽ Electorẽ reum mortis, ob

tis ob suā inobedientiā & rebellionem decernit. Quod ubi rescivit Elector, respondit: Neq̄tiq̄ sperare, ipsum Cæsarem ita secum actu rum, alioquin si hoc ipsum penitus statuisset, cupere ut certior inde fiat, quo nimirum uxori prolibusq; tempestiue prospiciat.

Brandeburgensis aūt Elector prælium hoc modo gestum audiens, itineri summa cum festinatione sese accingit, & sexta Maij in Castra peruenit, ubi Cæsaris iram moderatus, impetrat, ne captus Saxo moriatur. In aliam igitur Cæsar mutatus sentētiam, Duci captiuo articulos aliquot ꝓponit. Quibus cū ille xviij. Maij consensit, mortis sententiā pariter euasit. Articuli uero hi erant: Vt dignitati septemuirali tam suo quam liberorum nomine renunciet, eamq; Cæsaris arbitrio submittat. Vuittembergam & Gotham Cæsari tradat, ꝓmittat obedientiam Iurisdictioni Cameræ, qualem ipse Cæsar p̄scripturus esset, in qua decernēda sumptus quoq; suppetat. In libertatem Henrici Ducis Brunsuicēs, simulac filij sui cōsentiat, nec aliquid deinceps aduersus eos machinetur. Ab omni fœdere in Cæsarē & Regē Ferdinandū suscepto descilcat, nec ulterius tale (in quo nimirū non haberentur ipsi duo & sociæ nationes) ineat. Quicqd Cæsar cū uniuerso ordinū cœtu indicturus esset, obseruet. Quia uero immunitatē mulctæ capitalis accepisset, exinde fieret aut Cæsaris aut sane filij sui Philippi Principis Hispaniarum captiuus.

Conditiones Saxoni propositæ.

Dum aūt Cæsar hoc modo cū Saxone transegisset, ciues Vuittembergici postulant ne in ciuitatē externū militē admittat. Quod Cæsar illis annuit, p̄stititq;. Præterea quoq; cōcedit, ut si qui sese ingererent, nec sui ingressus symbolū uel testimonium exhibere possent, eos libere expellant.

Vuittembergæ se imperatori Carolo dedit.

Dedita iā ciuitate, uenit ad Cæsarē in castris coniunx Saxonis Sybilla, Ducis Cliuiæ filia, assumptis filio & leuiro, quæ ad genua ꝓcumbens suppliciter cū lachrymis orat ꝓ capto marito. Hanc igit nimis mœstam amarissimeq; flentem Cæsar benigne humaniterq; excipit atq; solatur. Dehinc Saxoni potestatē facit, Ciuitatem ingredi, ubi cum sua coniuge & filio, per octiduum recreetur.

Interea Dux Mauricius & Marchio Brandeburgēsis Electores, Cæsari ꝓ Lantgrauio supplicant, & quo rem tutius cōficiant, hunc ipsum Lypsiā euocant. Nā etsi Cæsar ipse prorsus uellet, ut is incontanter sese dederet, interuentu tamē & patrocinio utriusq; principis effectum est, ut præscriptis quibusdam receptisq; conditionibus pax suis rebus concederetur.

Formula uero pacis hæc erat, ut se suāq; ditionē nulla interposita

Pacta Lantgrauio proposita.

 lege siue

ſine conditione Cæſari dedat. Ipſemet ad eũ ueniat genibus flexis
ueniam obteſtaturus. Deinceps Cæſari pareat & obſequatur. Idi-
pſum probet quod Cæſar ad cõmune regni totius commodũ con-
ſtitueret. Camerali iuriſdictioni ſic obſecundet, quẽadmodũ Cæſ.
uellet, pro cuius etiã ſubſidio impẽſas cõferat, ut par eſſet. In Tur-
cam cũ alijs proceribus ſuppetias Imperio ferat. A quocunq; fœdere
maxime omniũ a Smalkaldico diſcedat, & literas inde cõfectas Cæ-
ſaris ad manus tradat. Nulli poſtmodũ fœderi ſe mancipet cuius i-
pſe nimirũ Cæſar & frater Romanorũ Rex exortes forẽt. Omnes
Cæſaris aduerſarios patria pellat, nec ibidẽ uſpiã cõmorari permit-
tat. In ſubditos qui uel cõtra Cæſarẽ aut Ferdinandũ Regẽ milita-
turi eſſent, animaduertat, & ſi qui iã militarẽt, exauthoret, ut intra
dies quatuordecim a ſignis uel ſtatione diſcedant, eos autem qui re-
pugnarent, proſcribat, publicatis ipſorum bonis, quæ Cæſar i ce-
derent, cui etiam pro ratione ſumptuum quos belli cauſa expen-
diſſet, ante menſes quatuor centum & quinquaginta aureorum mi-
lia numeret. Arces omnes, omnesq; munitiões quas occuparet, fun-
ditus extirpet, dẽptis Zigenhemo atq; Caſſello, milites quos in præ-
ſidia reliquarum collocaſſet, Cæſari ſacramento adigat. Nullas præ-
terea munitiones extruat ſine cõſenſu Cæſaris. Omnia tormẽta bel-
lica cũ toto apparatu mox Cæſari reddat, ex quibus ea quæ neceſſa-
ria uiderentur muniendis locis illis (quæ nimirũ Cæſar libera fece-
rat) acciperet. Henricũ Brunſuicẽſ. & filiũ pariter dimittat. Cui etiã
patriam reſtituat, ſubditosq; iuramẽto præſtito liberet, cũ quo de-
niq; de damno illato agat. Quicquid familiæ theutonicæ præfecto
aliisq; ui abſtuliſſet, reddat. In Daniæ Regẽ ſeu etiã alios nihil mo-
liatur, quod ijs minime ſibi ſubſidio fuiſſent, ſed potius partes Cæ-
ſaris ſequuti. Captiuos omnes qui Cæſari meruerant, immunes li-
berosq; dimittat, ijs qui iure cum eo experiri uolent, ſe ſiſtat. Hiſce
igitur conditionibus tanquã ratis & efficacibus ſui filij ſubſcribant.
Similiter quoq; nobilitas & ſubditi faciant. Quæ ſi uiolentur Cæ-
ſari uinctum ipſum tradant. Pro his omnibus Brandeburgicus E-
lector, Dux Mauricius, Vulfgangus Palatinus ipſius gener fide iu-
beant, qui uiciſſim comperta illius fraude & inobedientia, omnes
pariter eum inuadant, utque huiuſmodi pacta ſeruet, cogant. Cæ-
terum Lantgrauius exhibitis hiſce conditionibus, unanimi ſuo-
rum concilio atque aſſenſu, eaſdem ſibi probat, iter odornat & die
tandẽ decimo octauo Iunij, circa ueſperã medius inter Ducẽ Mau-
ricium & Brandeburgeñ. Halã uenit. Mox deinde poſt unius horæ
ſpacium

spacium aduenit Dux Henricus cum Carolo Victore filio suo, qui captiuus fuerat, & altero ipsius filio Philippo, & Erico Brunsuniceñ. Cæsar uero cum in suo solio se composuisset, introductus est ad eum Lãtgrauius a duobus illis quasi sequestris, qui appropinquans, corã Cæsare mox geniculatur, proxime illũ suus Cãcellarius Gunterodus, qui ex libellis hæc recitare cepit: Quod Lãtgrauius nupero bello tuã Ma. Inuictissime Cæsar grauiter offẽderit, adeo ut a te duriter etiã castigari possit, dolet ex aĩo, hinc sese tuo arbitrio totũ cõmittit, quẽadmodũ superioribus diebus facturũ spopõderat, obsecrans per Christi nomẽ, ut hoc illi pro tua Clemẽtia ignoscas, & cõmeritam proscriptionẽ obliteres, pristinæ libertati dones, inq; tuã fidẽ atq; tutelã suscipias. Huiusmodi magni loco beneficij habebit, & deinceps fidẽ, obsequiũq; & obedientiã tuæ Ma. præstabit. Ad hæc Cæsar habita prius deliberatione, per Georgiũ Seldũ ita respõdit,

Lantgrauius Halam Saxoniæ uenit.

Quanquam grauissimã mulctam incidisset, ut & palam constet, & ipse minime diffiteatur, se tamen ait pro ingenita benignitate, & quia nõnulli Principes intercesserint, nõ reluctari, quin & ꝓscriptionem effugiat, & neq; uindictæ (quam cõmeruerat) subiaceat, neq; carceri perpetuò mancipetur, neq; maiorẽ bonorum suorũ iacturã patiatur, quam pacis formula decernat. etiã nobilitati subditisq; remittere, modo cõditionibus stare uelint, nec ingrati sint aut immemores tanti beneficij. Lantgrauius Cæsari gratias agit, & post longã geniculationẽ, iniussus in pedes se erigit. Statimq; Marchio Brandeburgeñ. eũ adijt, utq; secum una cũ Duce Mauricio & Albano coenatum ueniat, dicit, ij ubi aduenerũt, cũ Albano coenã sumpsere, qua quidẽ iã absoluta, Mauricius & Brandeburgicus cũ Albano & Atrebateñ. colloquũtur. Interea uero Lantgrauius animi causa in fritillo ludebat. Cũ aũt iã aduesperasceret, nocatus a Mauricio & Brãdeburgico, audit sibi dici ut illa nocte ibidẽ maneat, & custodes recipiat.

Lantgrauius custodiæ mãcipatur.

Indignatus Lantgrauius ait, si hoc ipsum præsciuisset, eo se minime uenire uoluisse. at illi pollicentur se cum Cæsare acturos ne captiuus habeatur aut detineatur longius.

Die autem postero Principes sequestri Cæsarem orãt ut ipsorũ rationẽ habeat, quippe qui se tanquã fideiussores interposuissent, ac proinde Lantgrauium abire permittat, ne in detrimentũ ipsorũ, aliquid neglectũ imputet. Subiungit Cæsar, Equidẽ se Lantgrauio promisisse, quod nollet ipsum ꝑpetuo detinere, quãobrẽ nunq̃ in ea fuisse sententia, ut tã repente abeundi facultas illi concederetur.

Metuebant

Metuebant enim Principes, ne forte in Hispaniam mitteretur. Lantgrauium itaque deprecantur ut bono sit animo, quandoquidẽ operam se daturos pollicentur ut in proximis comitijs liber fiat.

Cæsar Vlmæ comitiorum diem dixerat, sed illis tanta aeris corruptio & lues seuiebat, ut sede mutata, Principes Augustam euocaret. Venit igitur Cæsar Augustam sub exitũ Iulij, capto Principe Saxoniæ secũ adducto, Lantgrauiũ quippe Donauuerdæ reliquerat, assignatis illi custodibus Hispanis.

Porro Tridentinum illud Concilium ut dictum est ob insalubritatem aeris & sæuitiam pestis Bononiam translatũ erat. Sed quidam e Patribus iussu Cæsaris, Tridenti adhuc remanserant. Cæsar ad Pontificem scribit, ut Concilium Tridenti ubi & auspicatum iam esset, perfici curet, quo tandem omnis tumultis religionis aboleatur. Pontifex uicissim scripto testatus se uelle cum ijs qui Bononiæ essent, consultare, ait præterea cuncta pro uiribus præstiturum quæ pro officio sibi incumberent.

Post ubi uero Cæsaris Legatio animaduerteret, quod cõuentũ qui Bononiæ erat ei qui Tridenti consederat, Pontifex ipse præferret, nomine Cæsaris protestationem intendit, cuius etiam impulsu Pontifex ad utrunque consessum, tam eum qui Tridenti quam qui Bononiæ cælebrabatur, Legatũ mittere debuit, ut si posset reipsa demõstrari quod cum iniuria Bononiæ conuentũ sit, se cum demũ accuraturum spondet, quo Concilium Tridenti absoluatur.

Vindicatæ pro Lantgrauio deprecatio. Cæterum ut de Lantgrauio dicere pergam, hæc paucis interiecta uolui. Igitur Christina Lantgrauij coniunx, cũ suis filijs & consiliarijs, Augustam appulit, sperans maritum obtinere saluum & liberum. Cæsar uero priusquam pro Lantgrauio deprecationem accepisset, ordinibus Imperij proponit: Probe se intelligere uotum ipsorum, propterea modo se uelle totam actionem cum Lantgrauio susceptam simpliciter breuissimeque recensere. *Quid intercessoribus Cæsar responsi tulerit.*

Itaque Lantgrauio primum omnium pacem postulãti, Cæsarem respondisse, paci quidem nullum esse locum, quin potius citra omnem actionem ipse se dedat.

Deinde cum hac eadem fuga, domum redijsset, idipsum iterũ atque iterum multis in locis, usus opera Mauritij, solicitasse, utpote Hailprunæ, Vlmæ, Nordlingæ, & Egeræ, ut nimirum pacem sibi tantum obtinere posset, nulla interim uel Saxonis uel etiam sociorum facta mẽtione, quin etiam cum in Saxoniam proficisceremur

non

non intermittebat. Ad illius igitur instantiam Mauritio sic respondimus: Quandoquidem Lantgrauius tam crebro & tam grauiter nos offendisset, nulla ratione aut fide aliena nobis satisfieri posse, nisi hanc ipsemet præstet, omnesq; munitiones suas nostræ ditioni subijciat.

Verum capto iam Saxonum Duce Electore, atq; adeo Lantgrauius ipse consideraret totam uim belli in eum conuertendam esse, Lypsiam uersus contendit, ubi conditiones aliquot inconcinnas & absurdas proponit. Insuper etiam suo nomine Mauricius & Brandeburgicus agebant, nec recusabant, sese nobis sistere, donec is omnibus plane conditionibus satisfecisset. Dum autem iniquum nec satis decorum fore arbitraremur, ut ij quorũ fidem & sedulam erga nos beneuolentiam affatim sumus experti, alieno periculo grauentur, seposita istiusmodi fideiussione, eum saltem postulauimus reddi. Nec multo post, quum nimirum Saxonicum bellum deferbuisset, Vuittemberga sese dedidisset, ac rursus Albim traiecissemus, prælium in Hassia facturi, Lypsia iterum discedens unum e nobilibus suis in exercitum misit, ut Mauricio atq; Brandeburgico insinuet, se nulla interposita pactione uelle iam dedere, arces æquare solo, & quicquid erat bellicorum tormentorum reddere, duo tantum sibi munimenta petere, Zigenhemium uidelicet & Casselum libera, & totidem arietes quot sufficerent seruandis illis. Tum Mauricius & Brandeburgicus scire expetunt, quorsum huiusmodi deditio spectaret, & quem in sensum debeat intelligi. Bona tunc fide responsum fuit: Hac uidelicet lege deditionem huiusmodi se præstituram, Primum ne de capite periclitetur, aut perpetuis uinculis detineatur, nec maiorem subire mulctam cogatur, quam formula pacis exprimat. Et hæc quidem ratio præsentibus illis descripta fuit, nec alia spes oblata, quod ipsos quoq; testimonio posse confirmare iudico. Idcirco Halam reuertitur, & genu flexione nobis exhibita, rogat Brandeburgicus, Num illum affari, dextramq; porrigere uelimus, ut ijs etiam facere consueuimus, quos antea in gratiã recepissemus. Respondimus neutiquam id decere nisi prius integræ libertati donetur. Posthæc Albano Duci mandauimus, ut in arcem abduceret, eidemq; custodiã poneret. Is Mauricium & Brandeburgeñ. & Lantgrauium ad cœnam uocat, & quum illum deinde sisteret, orta fuit controuersia, & diuersa interposita colloquia, quo comperto primam ea de re quæstionem haberi uoluimus, iure

an potius iniuria hunc captiuum detineremus. His etiam adiecimus, priusquam nostra sententia aut sane uerba suspecta habeantur, admissurum esse ut omni actione dimissa, domū Lantgrauius redeat, quo institutum prosequi possemus cōmodius. Tunc Mauricius & Brandeburgicus ingenue prorsus confitebantur ipsi iniqui nihil per nos esse commissum, imo uero ad omnes excusare, si qui forsitan sint contradicturi. Hoc solum efflagitabāt, ne diutius captiuus teneatur. Huic ipsorum petitioni respondimus, satius fore ut prius exploretur ipsius probitas, utrum etiam conuentis stare uelit. Licet autem existimaremus eum conditionibus magis astipulaturum, & ipsa re exequuturum, est tamen adhuc quod desideretur efficiendum. Nam confœderationis Smalcaldicæ necdum arcana (ut fuerat pollicitus) exhibuit, nec arces quas oportuit destruxit, neq; ita pridem factum est, ut custodes delegatos de fide & iuramento tentaret, ac ita sibi tandem deuinciret. Hæc omnia uobis sine ambagibus, sed nude simpliciterque insinuare uoluimus, quo de tota uobis actione constet, nec demum æquitas causæ uos prætereat.

Mauricij responsio.

Hanc Cæsaris denarrationem Mauricio & Brandeburgico intercessoribus eodem sane die Ordines renunciāt, qui postridie hæc ediuerso subdunt. Et antea quidem & ubiq; sese palam testari, omnibus in re crimine carere Cæsarem, nec ullo modo culpandū esse. Attamen se prius cum Ferdinando Rege antequam e castris prope Vuittenbergam domum discederet, & consiliarijs Cæsaris arcana quædam colloquia habuisse. Fieri quoq; posse, ut præter rectam intelligentiam error sit admissus, qua quidem de re nihil uelle disceptare. Sed quomodocunq; res se haberet, quo innocentum populum liberent, & Germania optata pace fruatur, Lantgrauium eo se induxisse, ut Halam ueniret, ueniā supplex ac pronus imploraret, nec pacis conditiones recusaret. Quod autem sua libertate priuaretur, & adhuc captiuus detineretur, unicuiq; profecto notissimum esse, istud nec ualetudini ipsius conducere, nec ita suo nomini, authoritati & existimationi subseruire, quin ipsam infamiam concilient. Idcirco se uelle summopere rogatos omnes ordines, ut cum ipsis pariter apud Cæsarem transigant & deprecentur, ut se ipsos potius (qui fidele Imperio præstitissent obsequium) quam Lantgrauium respiciant, nec aliquid grauius in eum decernatur, sed magis illum sibi liberum reddat, potissimum ex quo conditionibus pro

maiori

maiori parte satisfactum esset, & Cæsari ex parte ipsius diligentissimis cautionibus prospectum. Sic omnium & singulorum nomine pro Lantgrauio rogatum est. Et quanquam ipsius coniunx Cæsaris Sororem Mariam sibi in eam rem quasi patronam adhibuisset, nihil tamen profectum est.

De obitu Francisci Gallorum Regis supramemoratum est, is xxiij. Maij. celebri cum pompa & hæroica magnificentia in æde D. Dionysij Regum sepulturæ consecrata inhumatus est, at non in eo (quod uiuus ex candidissimo alabastro sibi exculpi atq; poliri magnifice fecerat) sepulchro conditus. Sepulti quoq; sunt una cum eo duo filij Franciscus & Carolus, quorum ille ante undecimum annum, hic autē ante biennium uita defunctus erat. Nam ad hoc usq; tempus amborū corpora aromatibus condita & tumbis plumbeis inclusa seruabantur.

Sub finem Nouembris Petrus Martyr, Florentinus, monastica religionis uotum Deo exhibitum pertæsus, quia Catholicis ad hæreticos defecerat, Argentorato cum Bernardino Ochino Seneñ. discedit in Angliam.

Deniq; hoc eodem anno mendicus quidam Rigæ Liuaniæ plateatim uagabatur, & quoslibet citra delectum carpebat. Inprimis mercatores ipsos auaritiæ atq; superbiæ taxabat, uulgū gastrimargia arguebat, & nobiles classicosq; uiros acriter satis reprehendebat, quod inopem rusticum degluberent, & affligerent. Simul etiā addebat, Deum horum omnium ultorem fore, ni resipiscant. Is licet sæpius comprehensus & in carcerem detrusus fuisset, nihilominus mox ut liberum nactus est exitum, idem cōstanter occinebat. Non multo post, sub meridiem, ignem extra ciuitatem exardescere cepit, qui ciuitatem & multorum ciuium iuxta primariam ædem domos succēdit, & turrim eiusdem ædis. Dehinc flamma per aerem sese contorquens areas mercatorum extra mœnia sitas inuasit, & incendio totas cum omnibus inibi bonis reconditis penitus consumpsit. Quæ sane calamitas & deuastatio trium horarum spacio ciuibus euenit.

ANno salutis M.D.xlviij. quarta decima Ianuarij, Cæsar ordinibus Imperij proponit, Metuendum profecto ne Patrum dissidio, Concilium serius quam sperabatur, finem accipiat. Quare summopere necessarium esse, ut ordo quidam efficiatur, & constitutio An. 1548

tutio quo religionis ergo, quiuis interea pacifice uiuant, sublata simul discordia. Negocium autem istud Cæsari totum, proceres Imperij committunt. Hic igitur uolumen confici curat de præcipuis religionis Christianæ dogmatibus siue articulis, quorum hic fere primas tenebat.

Vnde uocabulum Interim profectum.

De statu hominis ante lapsum & post peccatum. De Redemptione Christi beneficio exhibita. De Ecclesia & eiusdem potestate. His etiam obiter omnes Ecclesiæ Catholicæ ritus & cæremoniæ subijciebantur, quarum honestas & utilitas ex testimonijs sacræ scripturæ, sanctorumq; patrum, ac deniq; antiquissimis traditionibus demonstrabatur. Præterea pacis seruandæ gratia, ꝓtestantibus permittebatur, primum ut Ecclesiarum ministri, qui apud eos castitatem prætergressi mulierculas quasi uxores duxissent, easdem sibi retineant, donec commune Concilium finiatur, deinde, ut laicis apud quos cõmunicandi sub utraq; specie mos iam inuectus erat, idem etiam ad finem concilij concedatur. Cæterum hæc duo themata Catholicis non parum displicebant, existimantes penes Cæsarem aut etiam Ordines Imperij potestatem non esse permittendi huiusmodi, quin potius penes œcumenicum Concilium, maxime uero quod ad Sacerdotum coniugium attinere uideretur, siquidẽ ij saniore intellectu & rationis usu præsentissimo prædici, uoto pariter & sacramento promisissent castam cœlibemq; uitam profiteri, imo etiam in istius rei siue promissionis certitudinem, Christi corpus de manibus Episcoporum accepissent atq; libassent. Licet autẽ Cæsar pacis causa tantum illa duo permisisset ipsis, ad usq; Concilij determinationem, tamen benigne admodum & grauiter eos adhortabatur, ut in communem aliorum ordinum sententiam transeant, & ipsis in cunctis sese conforment.

Hanc itaq; definitionem, statutum uel ordinationem in finem usq; Concilij se permittere, ait citra seu etiamnum ultra quam Protestantes nihil plane præsumant. Latini eam Interim nominabant, tanquam ad certum tempus duraturam. Erant ijsdem temporibus homines leues, circunforanei & sycophantæ, qui Cæsaris fidem, & rectam intentionem mordebant, & dictionem illam Interim, irrisionibus, & blasphemis conuitijs excipiebant.

Quidnã Interim significet.

Hoc eodem comitio Sebastianus Vogelspergerus a duobus Iurisperitis qui castra Cæsaris sequebantur, ueluti inobediens & qui tendicu-

Vogelspergerus inobedientiæ pœnas dedit.

tendicula insidiasq; machinatus fuisset, cum duobus aliis, Iacobo Mantelio, & Vuolffgango Thoma, morti adiudicatus, septimo Februarij die, publicitus in foro obtruncatur.

In hisce quoq; comitijs Dux Mauritius solita cum pompa & cæremonijs in Electorem Saxoniæ creatur.

Mauritius Dux in Electorem Saxoniæ creatur.

Dies iste comitialis exitum tandem nactus est sub finem ueris. Et cum dimittendi essent ordines Imperij, propter omnes obedientiam Concilio Tridentino spondent, in quo etiam cunctis qui Augustanæ confessionis essent, publicam fidem Cæsar se præstiturum promittit.

Comitiorum finis.

Decima Iulij Cæsar ad Episcopum Argentoratens. scribit, Operam det ut Religio iuxta Decreti tenorem instauretur. At uicissim Argentoratenses supplices transmittunt ad Cæsarem libellos, obsecrant ut sibi liceat religioni (quam nuper imbibissent) adhærere, donec Concilium expiret. In gratiam autem ipsius equidem sese permissuros, ut Episcopus in aliquibus ecclesijs religionem pro suo nutu atq; consilio redintegret, & conciuibus liberum facturos pollicentur, quibus uelint adhæreant. Velle quoq; religionem nouitiam ab ipsis nuper receptam, in alijs permanere ecclesijs. Quod uero ad obseruantiam festiuitatum, Ieiunij & carnispriuij pertineret, perlibenter sese accommodaturos censuræ (quam ipsum Interim præscriberet) aiunt.

Cæsaris ad præsulem Argentoratensem epistola.

Dehinc tertio die Augusti Cæsar iubet eos gradu dimoueri qui Augustæ Vindelicorum e uulgo ad magistratum fuissent assumpti, nouumq; creari ex prudentioribus ditioribusq;, quos etiam iuramento sibi adegit, præcipiens pariter ac mandans, ut publicæ saluti & commodo studeant, Religionis declarationem obseruent, omnemq; sibi fidem præstent.

Augustani Magistratus amotio.

Constantienses expositionem religionis accipere nolunt, quos propterea Cæsar proscriptione mulctat. Quo cognito Lindauienses qui etiam rennuerant, metu proscriptionis Religionis decreto acquiescunt.

Constantia proscriptione mulctatur.

Cæsar Augusta discedens Vlmam petit, ubi nouum statuit magistratum alio repudiato, concionatores ibidem religionis statutum explodentes

Vlmæ nouo creato magistratu Lutheri Concionatores capiuntur.

 impre-

comprehendi iussit,& post dies aliquot præfecto cuidam Hispano seruandos tradit.

Cæsaris Captiuis Coloniam appulit

Ad exitum mensis Augusti Cæsar Spiram applicuit, sed post morulam inde Moguntiam traiecit Coloniam ubiorum uersus, Captiui quoq; Principes, Saxo atq; Lantgrauius diuersis nauibus una secum ferebantur.Cæsar itaq; cũ ad Belgicam transisset, Saxonem quidem apud se manere uoluit,Lantgrauium uero Aldernardi Flandriæ seruari cõstituit. Eo & Leonora Cæsaris Soror,Francisci nuper Gallorum Regis uidua,e Francia cum bona pace concessit.

Constantienses ditioni Austriacæ se subdunt.

Cæterum Constantiẽn.angustijs & proscriptionis periculis cõclusi,domui Austriacæ sese dedunt,&cum iuramento Regi Ferdinando suisq; hæredibus parere uelle in causa religionis cæterisque omnibus pollicentur.

Cæsaris filius idemq; Hispaniarum Rex Philippus Genuam uenit.

Eodem hoc anno xxv.Nouembris Philippus Imperatoris Caroli filius,Genuam ex Hispania cum magno Principum atq; heroũ frequentia appulit,ubi etiam magnifice excipitur. Mense post hæc Decembri Mediolanum,die xix.peruenit.In cuius occursum passim in plateis,arcus,columnæ,& portæ triumphales, gloriosis titulis descriptæ erigebantur.

Comitis Burani obitus.

Circiter idem tempus Comes Buranus post multa præclare fortiterq; gesta ex apostemate quod græci proprie ántian appellant, Bruxellæ moritur, prius uero quam moreretur (nam D.Andreas Vesalius Cæsaris Medicus longe peritissimus & integerrimus, ex certis indicijs horam mortis significauerat) uiuaci memoria & sano intellectu præditus,ecclesiæ uiatico & sacramẽto extremæ unctionis,se digna cum ueneratione & fide,suscipiendo præparat,& percipit,suis creditoribus satisfacere per quæstorem ærarium iubet, uocatisq; ad se famulis ad pietatem & honestatem sectandam hortabatur.Deniq; se totum Deo præcibus & eleemosynis commendans, spiritum reddit. Ad cuius corpus aromatibus conditum & baltheo indutum, noctu diuque sacræ præces atque litationes fiebant.

Episcopus Vuintoniensis Anglorũ pro regis se opposuit.

Eodem hoc anno,permissu,studio atq; fauore Tutoris Regis Henrici filij,ab Anglis Lutherica factio suscipitur.Erat eodem tempore D.Stephanus Episcopus Vuintoniensis magnæ existimationis in regno,ut etiam Cancellarium dece, tqui cum sese fortiter &

ingenue opponeret, carceri mancipatur: Scripsit singulare quoddã opus de Confutationibus cauillationum quibus sacrosanctũ Eucharistiæ Sacramentum ab impijs Capharnaitis hæreticis impeti solet.

Hoc insuper anno Turcarum Imperator Solymannus, expeditionem in Persas denuo adoritur. Cario teste.

Eadem fere tempestate Gallus summissis in Scotiam classibus, Anglos inde magna strage abegit.

Academia Parisiensis propter occupatos prati sui ad ædem D. Germani limites positis & extructis, ibi priuatorum hominum ædificijs sine suo uel scitu uel iussu magnopere tumultuatur, ut etiam Senatus caueret ne res infœlicius uerteretur.

Seditionem apud Burdigalenses in Gallia propter salinarium uectigal & tributarias exactiones nuper exortam, Anna Mommorantius Regis iussu educto secum exercitu sedat, res enim ad defectionem spectare uidebatur. Incensores autẽ illius seditionis morte mulctat & uarijs supplicijs e medio tollit, ciuibus in ordinem & concordiam redactis.

Iacobi eius nominis V. Scotiæ Regis ultimi filia unica Maria, quasi regni hæres annos sex nata, aut eo amplius, in Galliam deducitur Delphino despondenda.

Mense Maio Insula (quam uocant equorum) inter duo oppida maritima Letham & Kyngorn in æstuario forthiæ sitam Prorege Domino ab Essai Equite ordinis D. Michaelis, ductore uero Nicolao Villagagno Equite Rhodio literatissimo, cum plurimis Scotiæ Dynastis uicapitur, fugatis inde Anglis.

Ludouicus Dux Aurelianus Henrico Galliæ Regi ad Germani fanum mense Februario nascitur.

Antonius a Borbonio Dux Vindocinensis Ioannam Henrici Dalbreti & Margaritæ Valesiæ Reginæ Nauarræ unigenitam in uxorem ducit.

ANno Domini M.D.xlix. die xix. Martij, Anglorum Prorex & insignis hæreticus suspicione quadam in fratrem suum, regni Limenarcham quem Amiraldum dicunt commotus, ac si is regni gubernacula ambiret, eundẽ capite plecti iussit. Idem ille Prorex, Bucerũ & eius farinæ homunciones in Angliam ad se euocat, quorum opera fretus Catholicam religionem funditus extirpet. An. 1549. Buceri & aliorum in Angliã uocatio.

Eodem

Cario teſtis.

Eodem hoc anno Turcæ Primogenitus fratrem regno inaugurandum a patre credens, ad Perſas deficit, apud quos collecto exercitu in patrem inſurgit, loca multa patris dominio ſubiecta ui cepit. Pater filij cum Perſis ſæuitiam intelligens, conflatis undiq; copijs bello filium adoritur. Qui metu perculſus fugam inijt, uillas & oppida paſſim incendio tradit, non abſque grandi patris iactura. Nam præ inopia, fame & peſte quibus milites affligebantur, domum reuerti coactus, perſequi deſtitit.

Philippi Regis Hiſpaniarum Bruxellã aulicorum ingreditur.

Calendis Aprilis Philippus Hiſpaniæ Rex, Cæſaris Caroli filius, Bruxellam Brabantiæ magno cum triumpho ingreditur. Cæſar cũ duabus ſororibus reginis, filio ad medium uſq; miliare obuiam celebri cum pompa proceſſit. Vbi ſubdiale domicilium, uarijs picturis & herbeſcentis terræ, plantarum, uirgultorum, arborum & diuerſorum florum ac fructuum celaturis ornatum, ex aſſeribus leuioribus compoſitũ erat. Proxime quoq; munitio quaſi arx quædam ex ceſpitibus & glebis, denſiſſimisq; faſciculis congeſta, quam alij machinis, ſagittis, haſtis & gladijs contra alios lepido congreſſu defendere uidebantur. Hoc ſpectaculi genere Cæſar cum ſororibus Reginis & filio totoq; comitatu quam frequentiſſimo ſe oblectabat. Percelebrato conuiuio & ludis ad urbem uenit. Occurrebant turmatim Clerus omnis & magiſtratus cum toto municipio. Omnes pro ſua conditione & officio ſplendide ueſtiti, plateæ ad aulam uſq; Cæſaream facibus media adhuc die colluſtrabantur, portis arcubusq; & columnis (in quibus facta heroum adamuſſim exprimebãtur) undiq; ſtratæ. Erat tunc in foro herbario fons triceps, qui ſimul manabat in noctem uſq; uinũ album & rubrũm, ut hoc modo uulgus detineretur. Eo confluxerat magna populi turba, alius alium haurientem deturbare certabat, & uulgare quoddam duellium agebatur, quidam præreptam ſibi amphoram, nonnulli fractam, alij quod repulſam toties nouis & fortioribus irruentibus paterentur, dolebant. Vbi uero tam celebri & feſtiuo procerum occurſu ſtipatus Cæſaris filius ad ædem D. Gudulæ peruenit, præcedente Clero in ſacris ueſtibus cum tropheis crucis & iubilo templũ ipſum ingreditur. Ingreſſus cum Principibus aliquot Deo pronus in terram ad adytum ſacramenti miraculoſi pro conceſſa incolumitate proſperitateq; gratias ſupplex agit, oblatis muneribus, tanto Principe dignis. Reddita Deo gratiarum actione, æquum denuo conſcendit, & multa iã nocte medius inter principẽ Pedemontanũ

& Car-

& Cardinalem Tridentinum,in palatium honorifice deducitur,& portis clausis tota ciuitas gaudijs personuit, uicatim pyræ triumphales extruebantur,& quisq; ad odium fere lætior & festiuior uideri certabat.

Post hæc a Cæsare parente suo dilectissimo in Flandriam,Hannoniam, Arthesiam & nationes alias deducitur,& ibidem inauguratur. Antuerpiam quoq; deductus,a magistratu,ciuibus & diuersarum nationum mercatoribus,cum indicibili pompa suscipitur.

Magdeburgeñ.ut antea fecerant nonnulli,religionis decretum recipere detrectant,quos Cæsar,ꝓscriptione mulctat,omniumq; direptionibus exponit.

Hoc itidem anno concionatores Vuittembergici,dentata in Lubeceñ.Luneburgicos & Hamburgeñ. charta agunt. Inter quos Nicolaus Ambstorfius,& Matthias Illiricus,quondam Melanthonis sectator,inuectiuas uicissim scribunt in Vuittembergicos illos. *Velitatio inter Vuittembergen. et Lubecenses.*

Mense Iunio Catharina e Medicis,Henrici Gallorum Regis coniunx in Reginam consecratur,& corona insignitur. Rex itaque Henricus Parisios eam deducens magna cum pompa celebrat. *Cario testis.*

Anglis hoc tempore quicquid iuris nacti fuerant in agro Boloniensi adimitur,& Boloniam qui proditione dediderat capitis supplicio afficitur,membris in quatuor partes dilaniatis atq; suffixis.

Rex quidam Aphricanus Sarcensis Argeriam inuadit, Cæsari & Lusitano arces aliquot præsidiarias & transmarinas eripit.

Quarto idus Nouembris migrat ad Christum Paulus tertius, anno ætatis suæ octuagesimo secundo,qui solennibus & sacris precibus Deo commendatus in sacello sancti Sixti tumulatur,ubi more uetusto & consueto in diem usq; tertium singulis conspiciendus sistitur. *Obitus Pauli tertij.*

Paulus Iouius Historiographus celeberrimus, testatur Pontificem hunc uarijs eluxisse uirtutibus,ac cum primis pontificio pariterq; maximæ post Deum potestati singulari cum pietate & prudentia præfuisse & gubernasse, & licet is suos potius naturæ instinctu promouere libenter & sedulo studuerit,tamen ab omni sese seruauit immunem factione,sic ut omnium se patrem agnosceret & re ipsa declararet.Concilio quoq; Oecumenico plurimũ fauere multis argumentis probauit,nec intermisisse quippiã,quo pax & concordia inter Cæsarem regemq; Gallorum ineatur confirmeturq;. *Iouij ingenuũ de Paulo tertio testimoniũ cõmendabile.*

Quam uero Concilij Tridentini successibus fauerit, ex epistola quam ad proceres Imperij dedit, cognosci poterit. Est autem hæc:

Venerab. Fratribus & dilectis filijs ORDINVM IMPERII STATIbus Ecclesiasticis in conuentu Augustano, PAVLVS PAPA III.

VEnerabiles Fratres, & dilecti Filij salutem &c. Accepimus superioribus diebus literas uestras. xiiij. Septembris Augustæ datas, quibus post explicatas diuturnas, & graues prouinciæ Germaniæ calamitates, a nobis petitis, ut redintegrato Tridentino Concilio, inque pristinum locum, & statum suū restituto, saluti, & tranquillitati uestræ Nationis cōsulamus. Qua in re sollicitudo uestra, quoniam nobiscum communis est, gratissima nobis fuit. Hanc.n. curam ab initio nostri Pontificatus in animo fixam semper habuimus, ut isti prouinciæ grauiter affectæ, & laboranti (quantū in nobis esset) mederemur. Cuius sane nostri paterni in uos animi, ut multa alia argumenta omittamus, illud satis sufficere possit, q̄d post Mantuan. & Vicentinam indictionem, Concilio habendo urbem Tridentinam delegimus, uobis propinquam, & cōmodam, quodq; legatis illuc nostris semel atque iterum missis, omni studio ac diligentia ad illud celebrandum incubuimus, neq; ullis sumptibus pepercimus. Verum cū incœpto iam Concilio, totos quindecim menses a posteriore indictione expectati essetis, neq; adhuc ullū in Germania bellum existeret, si non admodū multi uestræ nationis illuc accesserunt, aut miserunt, cū tamen aliqui accesserint, aut miserint, nōn nobis, sed illis est tribuendū, qui cum propiores cæteris essent, ire ipsi, ut debebant, aut saltem exusatorē mittere non curarunt. At uero eo ex Hispanijs, Gallijs, Italia, & ex remotioribus prouincijs, quibus Ciuitas Tridenti non ita cōmoda erat, satis magnus Episcopoꝝ & Prælatorū numerus confluxerat: multæq; interea Sessiones habitæ fuerant, quibus plurima salutaria Decreta, quæ partim ad fidē, & religionē, partim ad morū reformationē pertinerēt, diui nispūs instinctu, atq; auxilio, summaq; Episcopoꝝ, ac Prælatoꝝ consensione facta sunt. Quibus quidē maxima impioꝝ dogmatū pars, quæ ab Hæreticis huius temporis defendebantur, declarata, & conuicta

conuicta est. Quare intelligi ex his licet curam semper excubuisse apud nos istius sanandæ Prouinciæ, & a calamitatibus (quantum cũ Dei gratia per nos fieri potuit) liberandæ. Nam quod post bienniũ fere, a posteriore indictione translatũ ex illa Vrbe Concilium est, ea translatio non modo nobis auctoribus, sed ne scientibus quidem facta est. Et tamen quoniam dubitari non potest quin Concilium generale iustum, & legitimũ, ex huius sanctæ sedis auctoritate indictum, & congregatum, ius habuerit, sui ipsius, eo, quo Spiritus sanctus dictauerit, transferendi, præsertim sui conseruandi causa, iustam nos & legitimã ipsam translationẽ existimare debemus, nisi rem aliter se habere plane cognouerimus. Qua quidem a translatione etsi pauci quidẽ dissenserunt, stari eo tamen debet, quod multo maxima pars constituerit, atq; decreuit: neq; propterea diuisum esse Conciliũ putandũ est. Et si. n. quidam adhuc Bononiã ad Concilium profecti non sunt, sed Tridenti remanserunt, manet tamen illud singulare atq; unicũ. Nec tamen illud in eam urbem translatũ est, q̃ aut nimis longe a Tridentina urbe absit, aut ad cõmorandum incõmoda, aut ad celebrandũ ipsum Conciliũ parũ tuta uideri debeat. Nã neq; ab urbe Tridento magno admodũ interuallo Vrbs Bononieñ. distat, & cũ ob aeris salubritatẽ, tum ob rerum uictui necessariarũ copiam, tum ob ciuium hospitalitatẽ, & ipsius magnitudinem cõmodissima est. Quod uero sub tutela Ecclesiæ est, ob id uestræ pcipue Nationi minus tuta uideri nõ debet, q̃ ab Ecclesia ipsa, non solum fidẽ, & religionẽ Christianã, sed etiã multa alia materna charitatis, & munificentiæ egregia in se monumenta habet & fruitur: pſertim cum eidem Vrbi Bononieñ. illi Principes, & populi finitimi sint, qui in fide sunt charissimi in Christo filij nostri Caroli Romanoꝝ Imperatoris semper Augusti. Verum ut ad literarum uestrarum postulata redeamus, serius quidem a nobis quã uoluissemus, ad illa responsum est, atq; huius tarditatis causam explicandã esse uobis duximus, ne quid in nobis uoluntariæ moræ fuisse existimetis: cum. n. haud multo post receptionẽ uestrarum literarum uenisset ad nos dilectus filius noster Christophorus Cardinalis Tridentinus, a Serenissimo Cæsare ad nos missus, & una cũ dilecto filio nobili uiro Didaco de Mendozza, eiusdem Cæsaris apud nos Oratore, nobis exposuisset, uniuersam istam Germanicam Nationem opera, ac diligentia ipsius Cæsaris, Concilio Tridenti celebrando se submisisse, & propterea tam dictæ Maiestatis, q̃ de eius mãdato

 etiam

etiā Sereniſſimi Romanoꝝ Regis, & omniū ſtatuū ſacri Imperij nomine, a nobis petijſſet, ut ipſum Conciliū ex Bononia Tridentū remittere uellemus. Nos cū ueſtra poſtulata, cū poſtulatis dictæ Maieſtatis cōgruerent, eadēq; prorſus eſſent, nō putauimus ad ueſtras prius q̄ ad dictæ Maieſtatis literas eſſe reſpondendū. Itaq; cum idē Chriſtophorus Cardinalis, & Didacus Orator Cæſareus ſæpius rem hanc nō ſolū priuatim corā nobis, ſed etiā publice coram uniuerſis S.R.E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ꝓpoſuiſſent, neceſſario factū eſt, ut nos etiā cum eiſdē Cardinalibus rem diſcuteremus, q̄d & rei grauitas poſtulabat. Itaq; matura cōſultatione cū ipſis Cardinalibus p̄habita, de ipſoꝝ conſilio decreuimus, cū de reductione Concilij, & de negotio cōmuniter ad om̄es ſpectante ageret̄, Prælatos ex omnibus fere Nationibus Bononiæ in Cōcilio exiſtentes, ante om̄ia conſulendos eſſe. Quod cū ad abrumpendā omnē morā ſtatim feciſſemus, celeri tabellario ad eos dedita opera cum noſtris litteris miſſo, reſponſum ab eis tale habuimus, quale & i. ſi Oratori Cæſaris (iam Cardinale Tridentino, a nobis digreſſo) in Congregatione noſtra multis præſentibus dedimus, & fraternitatibus ueſtris, ne longiores in his ſimus, mittimus p̄ſentibus alligatū. Ex quo ſane fraternitates ueſtræ pſpicient quæ nam dilucidari, & declarari, ac plane fieri, & ab his, qui ſe Concilio ſubmiſiſſe dicunt̄, re ipſa adimpleri debeant, anteaq̄ de reditu ipſius Concilij ad Ciuitatē Tridentinā deliberetur. In quo ſolitā ueſtroꝝ æquitatē animoꝝ, ueritatisq;, ac iuſtitiæ amorē ſemp uobis inſitū, nunc optamus, & expectamus. Vos in Deo Dn̄o hortantes, ut tranquillitati Eccleſiæ Catholicæ, cui ſemp ꝓ ueſtra probitate adhæſiſtis, omni ueſtra authoritate, ope, & cōſilio conſulatis, quo nobiliſſimæ Nationi ueſtræ, quantū in uobis erit, pacis fructus, ſedatis ſeditionibus, & ueræ religionis lux, pulſis impietatis tenebris, reſtituat̄. Quod, ut noſtris diebus uideamus, ab eodē deo ſupplices, ac uotis om̄ibus p̄camur, ac petimus: & uos hortamur, ut cum cæteris Bononiā ꝓficiſci, aut nuncios ueſtros ſine mora mittere uelitis, uel Conciliū ipſum ꝓſecuturi, uel ſi locus minus aptus uiſus fuerit, cū alijs q̄d agendū ſit, dictante Spirituſancto, deliberaturi. Nā q̄ extremis ueſtris literis uerendum nobis eſſe ſignificatis, ne ceſſante in hoc opere diutius ſede Apoſtolica, alia ſumant̄ conſilia, alijſq; uijs, & rationibus hæc cauſa tandē expediat̄. Nos quidē ſi agnoſceremus in ꝓcuranda ſalute illius inclytæ ꝓuinciæ, a nobis ceſſatū fuiſſe, oīa ſane timeremus: p̄cipue uero Dei irā, q̄ nos in hac ſancta ſede, tanq̄ in ſpecula collocauit,

ut olim Christi ouium, pcipue aût illarũ, quæ a reliquo grege se subtraxerunt, curã habere mus. Quod uero nõ defuerimus in hoc opere cõsulendi pvinciæ Germaniæ, ea quæ supra scripsimus, satis testimonio esse possunt: psertim cũ nota scribamus nõ tã uobis, q̃ uniuerso orbi Christiano. Quare quod ad nos attinet, eo minus nobis timendũ duximus, q̃ magis nostri studij, ac laboris in hac causa sumus cõscij, & quod eã de grauitate, ac moderatione uestra opinionẽ, eã de Cæsaris sapientia & animo in Christianã Remp. spem habemus, ut nec illum, nec uos ullã huius expediẽdæ causæ rationẽ, nisi q̃ recta, & ipso, ac uob:s digna sit, pbaturos, credamus. Hoc.n. experta uestra, & cõstans semp in aliorũ defectione pietas, & fides nos sperare iubet: Quod si nõ fiat, noua uero cõsilia cõtra auctoritatẽ huius sanctæ sedis suscipiant: Nos quidẽ non ij sumus, qui phibere possimus, quo minus in eã tanq̃ in domum aliq̃ descẽdat pluuia, ueniãt flumina, flent atq; irruant uenti (hæc enĩ omnia futura esse, ab ipso summo Architecto, cũ eius fundamẽta iaceret, sunt pdicta) ne uero ppterea cadat, ne dissoluatẽ, timere quidẽ nõ possumus, quia scimus fundatã esse supra firmã petram. Illis potius timemus, & illorũ uicẽ ualde dolemus, q nec irritis conatibus illorũ, q hanc sibi olim oppugnandã animo pposuerunt, nec grauibus Dei iudicijs, cũ ueteribus, tum nouis, in oẽs, q hoc aliquãdo tentarunt, deterrentẽ quominus eiusmodi cõsilia capiant: malintq; se certo periculo cum totius Ecclesiæ pturbatione exponere, dum opus Dei dissoluere conantur, q̃ nullo nõ seculo ab improbis oppugnatum, nunq̃ expugnari potuit, q̃ in pulchritudine pacis nobiscum unanimes in una domo uiuere, ad q̃ eos semp inuitauimus, & perpetuo inuitamus. Idem autẽ, ut uos faciatis, nec permittatis, ut aliena, & nullis profutura consilia locum, aut authoritatem, in uestris Conuentibus habeant, ualde in Domino hortamur: uosq; ita facturos de pristina uestra, & constanti, quam semper ostendistis, pietate, & fide, maxime confidimus. Datum Romæ, &c. Prima Ianuarij. M.D.xlviij. Pontificatus Nostri Anno xiiij.

Vicesima prima Decembris, Margareta Valesia Henrici regis amita moritur.

Hoc anno prope Colmariam tanta ranarum & bufonum ex aere in terram copia descendit, ut etiam indigenæ neruis alijsq; instrumentis usi interficere cogerentur. Iussu uero Satrapæ & præsidio suorum coaceruatim fossis iniectæ & opertæ sunt. Lycosthenes.

RERVM MEMORABILIVM QVAE AB ANNO DOMINI M. D. AD ANNVM usq; LIX. in republica Christiana gestæ sunt,

Liber Quintus.

An. 1550 NNO a Natiuitate Christi M.D.L. apostolicæ sedis authoritate remissionis annus quē Iubileum nuncupant, celebratur.

Mense Februario in Festo Purificationis Virginis Deiparæ, aliquot Ecclesiæ ab Argentoratensibus Episcopo & Clero ibidem restituuntur, in quibus denuo iuxta Christianum & Catholicum ritum, diuinum officium, utpote Missæ sacrum, & horæ canonicæ frequentari cœperunt, quæ quidem anno uigesimo primo inhibita fuerant. Oborto uero tumultu ab adolescentioribus aliquot, Clerus sacræ concioni cum ĳs quos habebat illustri familia natos, intentus, nouam iterum seditionem agitari suspicabatur. Quod intelligens Consul & Senatus, ad templum (ubi tumultus excitatus erat) festinanter concesserunt, sed iam ille consopitus erat. Veruntamen Ecclesiastici aiebant se ex huiusmodi subito concursu in magnum uenturos periculum, quærimoniam suam ad Episcopum deferunt. Idcirco mensibus aliquot, diuinis officĳs templum uacat. Interea uero Magistratus fidem hanc interponit, quod deinceps caueret, ne quis uim illis inferat, neue foris aut intus periculum sustineant. Qua tandem interposita in ipsa sacratissima Pentecoste, templorum ualuæ denuo aperiuntur, & solita celebrantur mysteria.

Sleidani iocus seu potius s.omma in diuinissimū Missæ sacrificiū.

Cæterum quotusquisq; est, qui Sleidani cōmentaria uidit, & nō intelligat ipsius parū sane candidū pectus, quippe q oēm missæ actionē a circunstantĳs describens, iocatur & ludit in tam sacrosancto mysterio, qd sane tanta cū reuerentia ab initio nascētis Ecclesiæ sancti patres, Viri mēte & doctrina apostolici, coluerūt. Benedicere hostiā crucis signaculo, micare digitis Sleidanus nominat, qd tamen

Cicero

Cicero lib. ij. de Diuinatione proprie sortilegorum esse testatur, poterat sane eodem pacto sacrificium Missæ, quod absit, sortilegium nominasse. Deniq; nihil est, nihil fit, nihil geritur, nihil sumitur, quod ille non carpat, ut interim prætercam, quod toties Christi uiuificũ corpus in altari panem azymum nuncupet. Negat transsubstantiationem & ueritatem Eucharistiæ, simulac Christianorum sacerdotes nihil aliud quam iudaicum ritum conficere autumat, quos tamen D. Ambrosius, Chrysostomus, & Basylius, & alij angelis pares faciunt, propter sacrificium quod in altari suis ipsorum manibus confit.

Iisdem fere tẽporibus mors Solymanni lætis rumoribus nunciabatur, qui annis triginta Christianos afflixerat.

Mense Februario die vij. Ioannes Maria de Monte ad ordinẽ summi pontificatus canonica electione, euehitur, qui Iulij tertij nomen obtinuit. *Iulius tertius inauguratur.*

Decimo Calendas Martij Cæsar denuo comitia Augustæ indicit, diemq; xxv. Iunij nominat. Quo cũ pergeret, Saxonem secum Augustam deducit, Lantgrauium Mechliniæ custodiri præcipiens.

Iis in Comitijs præcipue agebatur de Concilij satisfactione. Cardinalis Augustanus (in quem etiam Sleidanus sua scommata iacere non ueretur) concionem habuit, in qua Luthericos grauiter ac serio increpabat. *Cardinalis Augustani in Luthericos reprehensio.*

Gallorum Rex initio cum Anglis fœdere, Boloniam quatuor milibus aureorum sibi redemit. quam ad Idus Maij ingressus imaginem argenteam multo quam olim preciosiorem D. Virgini Matri statuit.

Tota hæresis controuersia & recognitio a forensibus ad iudices Ecclesiasticos relata est, in Gallia, uetitumq; Senatoribus ne exinde Episcoporum & aliorum Antistitum uicesgerant.

Ibidem etiã hoc anno magna monetæ ratio habita est, propter falsos & adulteratos præcisosq; & imminutos nummos.

Sub exitum Maij Philippus Hispaniarum Princeps Cæsaris Caroli filius, Augusta in Hispanias per Italiam redit. Cum quo pariter Maximilianus sororius ut desponsam sibi coniugem inde duceret proficiscitur, duarum prolium parentem, siquidem hic Hispaniam absente Rege Philippo aliquandiu gubernarat.

Sexto calendas Iulij, ipso die Pantaleonis, Adolphus nuper in Archiepiscopũ & Electorẽ creatus, magna cũ gloria & heroũ frequẽtia

ubiorum

ubiorum Coloniam ingreditur pulchro & undiq; ornato subuectus caballo, medius inter Ducem ac Principem Cliuensem & Coronensem, qui Cæsaris nomine congratulaturus & honoraturus aderat.

Obitus Granuellani.

Sub finē mensis Augusti Granuellanus, qui Vesontio Sequanorum urbe Augustam uenerat, e uiuis excessit, non absq; grandi Cæsaris mœrore ut creditu facillimum est.

Magdeburgici pœnam proscriptionis luunt.

Hoc eodem anno menseq; Septembri, Henricus Dux, ciuitatē Brunsuicensem obsidione cingit. Cæsar hoc comperto, inducias utriq; parti interdicit, uelle enim se obortam discordiam dirimere ait. Tum Georgius Dux Mechelburgeñ. exercitum omnem ad se rapit, & Magdeburgicis, ratione proscriptionis, magnam iacturam attulit.

Senatus igitur ciues militesq; in aciem cōnscribit, & cum equitibus aliquot in campum descendit. Verum Dux illos anteuertens, sternit, amplissimumq; belli ex ea strage apparatum recipit.

Interea plures alij Principes uiri in Magdeburgicos proscriptos uires & copias instruunt, quorum primus erat, Dux Mauritius. Cæterum ordines illius Diœcesis apud Cæsarē & Imperij proceres quæruntur, timendum ne Magdeburgici toti Imperio, negocij multum facessant, nouamq; tragœdiam excitent, idcirco auxilia postulare, quo tempestiue incendium illud opprimatur.

Expeditio in Magdeburgicos Duce Mauritio.

Post longam deliberationem uisum fuit, ciuitatem obsidione uallare, & quoquouersum aggeres uallares obijcere, donec dedatur. Mauritius Dux belli decernitur, & in sustentationem obsidionis atq; militiæ singulis mensibus, aureorum sexaginta milia numerare placuit.

Coniunctis itaq; copijs Ciuitatem Mauritius adoritur, & uallis concludere cœpit. Nocte partē unam ciuitatis adsilijt, & quotquot insurrexerant, aut cæsi sunt, aut capti.

Non deerant interea qui oppresso municipio succurrere tentarent. Nam Comes Albertus, & alius ab Heydec milites in uicinis maritimisq; ciuitatibus cōscribunt, in subsidium Magdeburgicis. uerum Dux Mauritius collectum ita militem inuadit obruitq;, & signa ex his quatuor adhuc salua sibi adsociat.

Die uero decimo nono Decembris media iam nocte Magdeburgici urbem egressi, hostium castra opprimunt, & Georgium Ducē Mechelburgeñ. captum in urbem abducunt.

Mense

Mēse nono Classis Cæsarianæ Dux ac Princeps, Siciliæ Prorex, collectis undiq; ex præsidijs regni Siciliæ & Neapolitani & Insubriæ militibus, fretus quoq; suppetijs Ducis Florentini, Genuensium & equitum Rhodiensium, Dragutium quendam archipiratam, Thyrreni maris oram, Insulas Baleares, Corsicam, & Sardiniam depopulantem persequitur, quem cum profugisse in Aphricam ciuitatē regionis Aphricæ intelligeret, urbem undiq; fere mari cinctam, arctissima obsessione uallat, & die secundo eiusdem mensis magna in hostes edita strage non prorsus ipse damni expers, capit, diripit & occupat, & ualidis inibi præsidijs relictis, filio custodiendam tradit. Magnam hic uictor prædam nactus est, deprahensiq; sunt in ea Iudæi complures, qui cum ex Thessalonica, tum ex Lusitania eo profugerant, cum negotiatoribus Alexandrinis. Ciuitatis Aphricanæ expugnatio.

Carolus Maximilianus Angolismensis Dux, mense Iulio ad D. Germani fanum in Gallia, nascitur.

Eodē mense xix. die Regina Scotiæ Illustrissimi Ducis Guysiani Filia Vidua, Henrici Gallorum Regis euocatione, sex triremibus cum multa Scoticæ nobilitatis frequentia in Franciam appulit.

Die xxi. Lodouuicus Dux Aurelianus natus, Henrici Regis secundo genitus adhuc infans in arce Mantæ moritur.

Septimo nonas Decembris Parisijs, Ioannes quidā adolescens uigintitrium annorum, Lotaringus natione, cum basilicam Diuæ Virginis sacram esset ingressus ipso Conceptionis profesto, Clero solenniter uespertinas preces & hymnū uirgini modulante, ad imaginem uirginis quæ ad dextram atrij interioris uulgo chorum nominant, religiose colitur, celeri cursu contendens, gladio quo præcinctus erat exempto, eam excidere tentat, nemine id suspicante, prohibitus autem ab edituo qui ad imaginem obseruare consueuerat, & alijs, post alapas & colaphos carceri mancipatur. Vbi uero examinata iam causa & facti indignitate, cum resipiscere nollet, sed de socijs gloriaretur coniuratoribus, ante templum Virginis uiuus execta prius lingua, exuritur.

Hoc insuper anno xviij. calendas Decembris, Iulius tertius nuper in Pontificem Maximum creatus passim ad Ecclesiarum Prælatos missis diplomatis, Tridentum prosequendi Concilij gratia, euocat, omnes pariter quorum adesse interest hortatur, ut calendis Maij deinceps sequentis anni compareant. Concilij redintegratio.

z Mauritius

Mauritius & Brandenburgicus Duces apud Cæsarē uehementer instabant, nullis præcibus intermissis, quo Lantgrauium dimittat liberum. Cæsar autē rationes aliquot grauissimas reddit, cur Lantgrauium eo potissimū tempore, libertati minime donet. Post multam & uariam deliberationem & tractationem, Lantgrauius longioris moræ impatiens, effugere clam statuit, & per itinera passim a patria Mechliniam usq; ueredos subornat. Verum unus e famulis suis euulgauerat, herum ipsius mox liberandum. Quo comperto, Præfectus custodiæ, eadē hora, eodēq; momento, quo euasurus erat, omnibus ad fugam & iter necessarijs comparatis atq; dispositis, ne fieret præcauit, compræhensis aliquot e famulitio Lantgrauij & decollatis. Postmodum accessit custodia diligentior.

Lantgrauius fugā iubornat.

Lycosthenes.

In Carinthia non adeo procul a Clagenfurto, mense uidelicet Aprili, per duas integras horas cœlum bonum & electum frumentum pluit, quod homines illic in cibum uti cœperunt.

An. 1551. ANno præstitæ salutis Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo primo, Idibus Februarij, Augustæ postremo dicta comitia cessant. Decretum itaq; fuit, ut omnes insimul Imperij ordines Tridentino Cōcilio obtemperent. Cæsar quoq; quod sui erat officij ingenue libereq; tam Protestantibus quam Catholicis liberū concedere singulis commeatum uellet.

Mense Februario die xxvij. Bucerus Apostata in Catholicam Religionem sæuissimus, in Anglia, ciuitate Catabrigæ moritur.

Igitur Concilium toties optatum, multis diplomatis Summorum Pontificum, & Imperialibus decretis sancitum, & redintegratum in autumno Tridenti cœptum est prosequi, & quotquot Cæsaris pium affectum & desiderium boni consulebant, & quod capuerat hac in re, pietati & religioni operam dabant, itineri mox sese accingunt. Cæsar eos qui sani & incolumes Augustam, decima Septembris a sorore Maria (quæ ipsius partes obibat in Belgica) missi, uenerant, triduo post, ad salutationem in cœnaculum suum benigne admittit, & inter alia, propria & blanda uoce delectos monet, ut summa cura & diligentia, negocium Ecclesiæ Christi promoueant, seduloque & assidue ob oculos ponant, & pertractent, promittens uicissim se minime defuturum laboribus & conatibus pro liberanda Religione & Ecclesia Christi IESV (quæ prohdolor tot hostibus totidemque machinis obruere-

obrueretur) expendendis. Et quum ipsa uox & oratio affectum animi, & pectoris candorem exprimeret, adeo commouit, ut omnibus illis abeuntibus, lachrymas excuteret. Dimissi posthæc ualedicunt, & cœpto sese itineri accingunt, & sexto calendas Octobris incolumes Tridentum perueniunt. Quorum sane præsentia Præsidibus Concilij longe fuit gratissima. Pontifex Max. Legatum dedit D. Marcellum tituli sancti Marcelli Cardinalem a Crescentijs. Præsides duos, Sebastianum Piguinum Archiepiscopum Sipontinum & Cardinalem, genere Rezanum, & Aloysium Lipomanum Episcopum Veronensem, Venetum. Cæsar, Hugonem Comitem a Montfort, Franciscum a Toleto, & Vuilhelmum a Pictauia, Archidiaconum Campiniæ mittit. Regis Romanorum nomine uenerunt, Paulus de Gregorianis Episcopus Zagabrieñ. & Fridericus Nausea Episcopus Viennensis.

Cæsaris oratio ad Delectos.
Alpes niuosos ingrediuntur.
Præsides Concilij.
Oratores Cæsaris.
Oratores Regis Romanorum.

Decima Octobris Archiepiscopus Coloniensis, elegantissime equitatu Tridentum uenit, cum D. Groppero, Eberardo Billico, Carmelitarū Prouinciale, & doctore Saltzburg Iurisperito, iamque Reuerendissimus Dominus Moguntinus & Treuireñ. aduenerant.

Interfuere autem huic Concilio Archiepiscopi cum Electoribus decem, inter quos peregrinæ nationis duo, Sardus unus, alter Gottus, Episcopi plus minus triginta sex, Abbates uero tres potissimum.

Theologi a Pontifice missi duo Theologi fuerunt, Iacobus & Alphonsus Salmeron, uterque Hispanus, congregationis Iesu, inter alios uero quos necdum recensuimus clariores hi extiterunt, Petrus Maluenda, ab Imperatore missus, Ruuuardus Tappart ab Anchusia, Decanus Louaniensis, Franciscus Sonnius, Iudocus Rauesteyn, quem Tiletanum denominant, Ioannes Leonhardi ab Hasselt, qui tempore Concilij febri laborans acutissima, ex hac uita discessit, non sine quærelis & lachrymis academiæ Louaniensis) Ioannes Manhusius Franciscanus, Alexander Candidus, Professor ordinarius in Coloniensi Vniuersitate, instituti Carmelitarū, Antonius Maria, Italus, procurator ordinis Carmelitarum, Vir (ut interim absit inuidia dicto) disertissimus, & incomparabilis. Ioannes Delphensis, aliique innumeri, qui sane nominatim perstringi meruerunt, sed omnium nomina non occurrebant.

Theologorū maxime celebriū catalogus.

His proinde congregatis methodus quædam certa disputandi proponitur, huiusmodi nimirum:

Modus & ratio disputādi.

Sententiæ a Theologis in medium adducēdæ, ex sacris biblijs, Apostolicis traditionibus, Sacris quoq; & approbatis Concilijs atque constitutionibus, sanctorum deniq; patrum testimonijs & authoritatibus, bona fide decerpantur. Breuitati studeant, obscuritatem caueant, parerga & exotica fugiant, & a superfluis ociosisq; quæstionibus deniq; quod absit proteruis contentionibus omnibus modis abstineant.

Ordo quoque in dicendis sententijs habitus est hoc nimirum pacto, ut primo loco dicant ij qui a Pontifice Romano missi sint. Deinde ij qui Imperatoris nomine aderant, alijq; legati, postea uero Clerici Seculares iuxta promotionis gradus. Postremo Regulares, seruato eodem ordine.

Constitutum itaq; fuit ut primi die Martis mane pronuncient, reliqui deinde, ordine proposito.

Quoniam uero themata ad disputandum proposita de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, hæreticorum opinionibus subscriberent, idcirco Apostolicæ Sedis Legatus potestatē facit Theologis disputaturis, uolumina illorum in quibus opiniones hæreticæ fouebantur, diligenter euoluere, quo uidelicet ueritas statuatur, & opinionum diuersitas ac falsitas confutetur.

Communicatis proinde sententijs, concordi omnium assensu & fide, Canones thematis hæreticorum oppositos de Sacramenti Eucharistici ueritate definiunt xi. Octobris, instinctu utiq; sancti spiritus, qui eosdem, uiros Apostolicos, Ecclesiarū Rectores uniuersum per orbem edocuerat, quemadmodum ex monimentis & traditionibus ipsorum, patres Concilij fœliciter hauserunt.

Canones autem huiusmodi sunt:

Canones in secunda Sessione, quæ fuit 11. Octobris, acta.

Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri uere & realiter & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima & diuinitate, D.N. Iesu, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantum esse in eo ut in signo uel figura, aut uirtute, Anathema est.

Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & uini una cum corpore & sanguine, D.N. Iesu Christi, negaueritq; mirabilem illam & singularem totius sub-

stantiæ

ſtantiæ panis in corpus & totius ſubſtantiæ uini in ſanguinem (manentibus duntaxat ſpeciebus panis & uini) quæſtionem quam Catholica Eccleſia aptiſſime transſubſtantionem appellat, Anathema eſt.

Siquis negauerit in uenerabili ſacramento Euchariſtiæ, ſub utraq; ſpecie & ſub ſingulis cuiusq; ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, Anathema eſt.

Si quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus & ſanguinē, D.N. Ieſu Chriſti, ſed tantum in uſu dum ſumitur, non autem ante uel poſt & in hoſtijs ſeu particulis conſecratis, qui poſt communionem reſeruantur uel ſuperſunt non remanere uerum corpus Domini, Anathema ſit.

Si quis dixerit uel præcipuum effectum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, uel ex eo non alios peruenire effectus, Anathema ſit.

Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atq; adeo nec feſtiua peculiari celebritate uenerādum, neq; in proceſſionibus ſecundum laudabilem & uniuerſalem ſanctæ Eccleſiæ ritum & cōſuetudinem ſolenniter circungeſtandum, uel non publice ut adoretur populo proponendum, & eius adoratores eſſe Idololatras, Anathema ſit.

Siquis dixerit ſacroſanctā Euchariſtiam non licere in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendū aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur, Anathema ſit.

Si quis dixerit Chriſtum in Euchariſtia exhibitū ſpiritualiter tantum manducari, & non ſacramentaliter ac realiter, Anathema ſit.

Si quis negauerit omnes & ſingulos Chriſtifideles utriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum iuxta præceptū S. Matris Eccleſiæ, Anathema ſit.

Si quis dixerit ſacerdoti celebranti non licere ſeipſum communicare, Anathema ſit.

Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, Anathema ſit.

Et ne [illegible]um Sacramentum indigne atq; ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atq; declarat ipsa Synodus, illis quos cōscientia peccati mortalis grauat, quantumcunq; etiam contritos existiment (habita copia confessoris) necessario esse praemittendam confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excōmunicatus existat.

Dux Vuirtembergensis. Pridie Idus Septembris, Dux Vuirtembergeñ. in conclaue Cæsaris admissus, paulopost inde hilari plane & exporrecta fronte redire uisus est. Optima de eo in aula Cæsaris erat expectatio, & spes recuperandæ ac uindicandæ apud suos Catholicæ & autenticæ religionis. Nam rumor erat, quod is pro sua uirili hanc passim instauraret, quemadmodum plerisq; compertum fuit, qui multas suæ ditionis ciuitates ad Concilium profecturi, peragrauerant.

Mauritij querulosus orator. Dux Mauricius Oratorem ad Cæsarem Augustam uersus mittit, questum de difficultate subditorum, in approbatione Decreti, quod uulgo Interim nominant.

Legatus ad Francorum Regem. Eodem fere tempore D. Hieronymus Verallus Cardinalis ad Gallorum Regem nomine Concilij, Legatione perfungitur.

Tripolim occupat Turca. Turca Tripolim occupat fraude Gallorum magis quam ui.

Cæsaris feruens ad Cōcilium studium. Cæsar tantis studijs Concilium promouet, ut etiam ea prætermitteret negocia, quæ magni uidebantur esse momenti, licet enim celeberrimi quidam heroes eum in Brabantia expectarent, in euentum belli Parmensis, se tamen Augustæ continuit, ne ulla in re Cōcilio deesse posset. Quinetiam commeatum liberrimum aduersarijs annuit, ut ad Concilium ueniant, sua proponant, disputent, conferant, omniaq; agant, quæ alij quicunq;, Episcopali tantum munere excepto, ac ubi eis uisum fuerit, libere discedant.

Receptus quoq; est Orator Illustrissimi Principis Electoris Ioachimi Brandeburgeñ. qui se suasq; Ditiones in publica Sessione Sacro submisit Concilio.

Regi Gallorum tanta modestia animiq; Constantia a Patribus Concilij responsum est, ut prudentissimis quibuscunque miraculo fuerit. Quamobrem sane dignum fore putauimus si huiusmodi responsionem subnectamus.

Oratio sanctæ Tridentinæ Synodi, AD SCRIPTA CHRISTIAnissimi Francorum Regis responsio.

CVm ex proxima Sessione, maximam hæc sancta Synodus lęticiam, uoluptatemq; cępisset, non solum propter auctam Patrum frequētiam, aduentum amplissimorum Germaniæ Præsulū, & eorundem principum, & sacri Romani Imperij Electorum, uerumetiam quod a pijssimo Imperatore, & ex Hungariæ Bohemięque regnis a Serenissimo Romanorum rege, Legati uiri ornatissimi cum literis ac mandatis uenerunt (quæ fuerant in ea ipsa Sessione recitatæ) ac per eosdem dies ex literis Clarissimorum Regum Lusitaniæ & Poloniæ cognitum fuerat, illos quoq; inclitos reges in animo habere legatos suos ad sacrosanctam hanc Synodū mittere, omnes tum patres collaudato Imperatoris & illorum Regum officio, atq; erga hanc Synodum reuerentia, meritas Deo gratias egerunt, quod post tam diuturnas tenebras maxima subito lux Christianæ Reipub. fulsisset: tum minime dubium habuerūt, quin Rex Christianissimus Galliæ, pro sua & maiorum suorum dignitate, suos quoq; ipse legatos Episcoposq; missurus, & insigne quoddam studium religionis & pacis atq; unitatis Ecclesiæ esset declaraturus. Namq; cum omnibus gentibus notum sit, quam egregia Francorum Regum merita in Rempub. Christianam extiterint, cum hunc Regem putandum sit, nec pietate erga Deum, nec studio fidei Orthodoxæ, neq; adeo magnitudine animi quoq; illis esse inferiorem, quis non existimarit firmum præsidium sanctæ huic Synodo & Catholicæ Ecclesiæ in eius uirtute & authoritate esse constitutum? Verum cum ipsius nuncius in consessum Patrum prodijsset, & literæ ab eo allatæ una cum scriptura quadam illis adiuncta recitatæ fuissent, mox Synodus dolore & sollicitudine affecta est. Quanquam enim modeste admodum scriptæ erant, nec paruam reuerentiam (qua ille Rex hunc sacrum Conuentum prosequitur) significationem habebant, tamen inde difficultas uidetur obijci, unde auxilium expectabatur. Quis non & uehementer admiretur & magnopere doleret? Sed etsi propter quasdam causas, opinionesque incommodas, Regis animum offensum & exulceratum esse apparebat, non propterea tamen Sancta hæc Synodus spem de illo pristinam sibi abijciendam

putauit,

putauit. Optimorum enim consiliorum sibi & rectissimæ uoluntatis conscia præter spem (quam in Deo omnipotente, S. Conciliorũ authore & præside habet maximam) ipsum Regem confidit, re (pro sua prudentia) melius secum perpensa, habiturum esse cum officij ac dignitatis suæ rationem, tum cõmunis Ecclesiæ utilitatem, atq; adeo salutem, nec plus apud eum authoritatis & ponderis habiturum esse minus recta fortassis, quorundam consilia, quam S. Oecumenicæ illius amantissimæ Synodi hortationes atq; monita, quam libenter audire & eius authoritate moueri Christianissimus rex debet, memor eius quod Dominus dixit: Qui uos audit me audit. Ac primum illa quam Rex non retinuit, omnibus omittenda suspicio est, si qui sunt qui ex hoc sacro Concilio existiment non communi Ecclesiæ utilitati, sed priuatim aliquorum commodis & rationibus inseruiri. Etenim quibus de rebus agendum sit, diserte præscriptum ac diffinitum est binis literis summorum Pontificũ, quarum alteris Concilium huc a Paulo tertio felicis recordationis, huius prædecessore, indictum est. Alteris ab hoc ipso Pontifice Maximo in eandem hanc urbem restitutũ. Res autem hæ sunt: Extirpatio hæresum, Reformatio morũ, Pax Ecclesiæ. Quæ tandem rerum harum non cum toti Ecclesiæ utilis ac potius necessaria est, tum ab omnibus pijs & uere Christianis Principibus expetenda & summis studijs adiuuanda est. Hæreses iampridem longe lateq; non per Germaniam modo unde ortæ sunt, sed per reliquas etiam fere Prouincias omnes, non sine miserabili animarum interitu atq; strage, & maxima cultus diuini diminutione peruagantur, corroborantur & indies ea pestis latius serpit, non absq; grandi multorum periculo. Qui tanto malo obuiam ire ac mederi cupiunt proprio cuiusdam commodo ac non Dei Opt. Max. honori & animarum incolumitati inseruire putandi sunt? Vetus illa & sancta maiorum nostrorum disciplina iam pridem negligitur, populorum mores maiorem in modum deprauati atq; corrupti sunt, qui Ecclesiasticam disciplinam restituere, qui mores reformare, qui populos ad rectiorem uiuendi rationẽ reuocare conantur, priuatim ni principi alicui consultum uolunt? Postremo, ob Principum discordias, quis nescit quantas Respublica Christiana calamitates acceperit, quibus hoc propositum est, cum Dei honori animarumq; saluti prospexerint, & disciplinam populi ac sacerdotum seuerioribus legibus astrinxerint, tum externæ quoq; Ecclesiæ paci consulere &

ad com=

ad componendas Regum controuersias authoritatem suam interponere, utrum ŋ uidentur uni alicui obsequi & gratificari cupere, an cum principibus omnibus tum eorum populis regnisq; prospicere? Non cadit profecto in hanc Synodum hæc suspicio, aliena est atq; abhorrens ab eius fide, grauitate, constantia, nisi forte probandum est, Patres in ea congregatos tam longe a sedibus & Ecclesiis suis tanto suo & suarum rerum incommodo in hanc urbem conuenisse, quo cuipiam Principi fidem & religionē & animas suas addicerent. Illi uero pro loco, pro munere, pro ministerio, ad quod a Deo uocati sunt Principi Principum Christo primum, deinde sanctissimæ eius Ecclesiæ inseruiunt, neq; principum alicuius commodum spectant, sed communem Christiani populi utilitatem, & salutem intuentur, quod quidem cum principium ipsum indicare potuit, iam tum rerum exitus (Deo adiuuante) apertius declarabit. Quamobrem monere Christianissimum Regem suspicio hæc minime debet, quo minus sinat Episcopos Regni sui huc uenire. Neq; cum huic sacro Conuentui tantū in literis suis tribuat, eumque perhonorifice semper appellet de eo huiusmodi quispiam debet suspicari. Quod uero ad eam cōtrouersiam attinet quæ propter urbem Parmam exorta est non dubitat hæc S. Synodus, quin Pontifex Maximus totius sit facti & consilii sui rationem redditurus. Ipsis quidem Patribus nihil potest esse optatius, quā ut res ad ociū & concordiam deducatur. Vtcunq; autem ea res se habet, nihil priuatum illud negotium ad hoc quod publicum est, pertinet, neque ob eam controuersiam Regi Christianissimo recusandum censet hæc Synodus, quo minus huc sinat Regni sui Episcopos accedere. Pluris enim a tam pio & orthodoxo rege uniuersa Ecclesia facienda est, quam unus ab eo in fidem & is alienus cliens ac subditus stipendariusq; receptus. Neq; Regem Christianissimum decet ob priuatam offensionem, officium erga communem matrem deserere, & rem Christianæ Reipub. maxime salutarem, non adiuuare. Nam quod accessus illis esse huc parum certus uidetur propter bellicos uidelicet motus, hac minime excusatione uti licet Episcopos, qui nec bello domi detinentur, & in locum quietum & pacatum & omni tumultu uacuum ad Concilium uocantur et tuto itinere illuc peruenire possunt. At enim fortasse metuunt ne si forte aliqua de re actum fuerit, quæ illis minus probetur, parum illis libere quod senserint, liceat dicere. Quod nequaquam illis uerendū

est. Nonne Regius nuncius cum literas a Rege attulisset, illas quidem non minus huic S. Synodo iucundas in Patrũ consessum admissus est, & cum libere quicquid ei uideretur, diceret, attente & pacienter auditus est? An uero priuata homini tanta uti libertate permissum fuit, Episcopis illo honore, illa dignitate præditis minus libere proferre quod senserint in hoc fratrum suorum cœtu licebit? Illis uero & libere loquẽdi potestas erit, & si uenerint, omni honore & studio cum sua, tum Regis causa, ab omnibus Patribus excipientur. Sin autem muneri atq; officio suo defuerint, quod credere difficile est, nequaquam propter eorum absentiam generale hoc, Oecumenicumq; Concilium esse desinet, quod more exemplorum aliorum generalium Conciliorum indictum & in spiritu sancto iure & legittime congregatum est, & huc tandem, iustis de causis restitutum, ubi ex compluribus prouincijs Episcoporũ aduentu atq; concursu quotidie fit frequentius, nec eius acta atq; decreta sanctæ Apostolicæ uniuersalis Ecclesiæ minus authoritate nitentur, Vnus est enim Christus, una est sponsa, unum corpus, Catholica uidelicet Ecclesia, quæ ut illa Dñi Christi tunica inconsutilis fuit, ita ipsa singularis est & unica. Quod uero testatur Rex atq; denunciat se, si necesse fuerit ad eadem remedia esse descensurũ, quibus maiores sui usi fuerunt aliquando, adduci non potest hæc S. Synodus ut cum ita sentire arbitretur omnino eiusmodi quispiam unquam esse facturum. Etenim quid tam alienum esset a Christianissimo Rege quam ea instituta quæ significat reuocare, quæ grauissimis de causis fuerunt non sine maximo Francorum Regum commodo abrogata iampridem atque sublata? Quæ porro tanta eiusmodi capiendi consilij necessitas unquam poterit existere? Nonne quoduis subire incommodum satius fuerit, quam tantam nobilissimo illi Regno labem aspergere, tanto scandalo Deum omnipotentem & Ecclesiam Apostolicam offendere? Quam uero alienum a prudentia Christianissimi Regis esset, præter offensionẽ Dei atq; Ecclesiæ, pter animæ & salutis æternæ periculũ, omnibus seipsum cõmodis beneficijsq; priuare, tamen a sede apostolica antea concessum tum ab hoc ipso Pontifice Max. tributis. Verum hæc S. Synodus minime timet ne rex tam turbulentum consilium tanquam inutile unquam capiat, neue plus dolori indulgeat, quam obtemperet rationi. Illũ ab eo potius expectat, & postulat, ut Dei honori & Ecclesiæ tranquillitati, animarũ saluti consulat atq; pro-

spiciat,

ſpiciat. Quibus quidem rebus inſeruire, eaſq; uita ipſa potiores habere omnes debent. In primis tamen qui a Deo conſtituti ſunt Reges, atq; Principes, ut quo altiore honoris ac dignitatis gradu locati ſunt, hoc in illum exiſtant gratiores, tacitum & tam opulentum Regnum Dei munere, Rex adeptus tantis præterea beneficijs affectus non operam dabit, non enitetur, ut quam gratiſſimus in eũ eſſe uideatur? nec eum Chariſſimi Chriſti Dñi noſtri ſponſæ & ſanctiſſimæ noſtrum omnium parentis Eccleſiæ diuturnæ miſeriæ calamitatesq; mouebunt? Iam pridem uexatur, ſcinditur, laceratur, creſcit indies malũ, & uehementius ingraueſcit, nulla res amplius dilationem ac moram interponi patitur, cum tandem aliquando hæc S. Synodus a ſpiritu ſancto excitata, ad eius ſalutem incumbere ceperit Chriſtianiſſimus Francorum Rex Henricus tam piorũ & ſalutarium conſiliorum expers eſſe ſuſtinebit? Non opem & fidem ſuam imploranti, dexteram porriget? Non fulciendis ruinis manum admouebit? Neſcio quam aliam occaſionem expectabit, cum ille perpetuus Eccleſiæ aduerſarius atque hoſtis aliud minime ipſe tempus expectet, ſed eam oppugnare, uexare, & lacerare non deſinat. Abſit ut ille Rex in tam graui & tam neceſſario tempore Eccleſiæ deſit. Abſit ut tantã quotidie fieri animarũ iacturam negligat, propria hæc quidem Epiſcoporum curatio proprium hoc munus eſt, unitatem Eccleſiæ tueri & ſaluti animarum proſpicere. Sed tamen pij ſemper hoc Reges & Principes fecerunt, ut huiuſmodi Epiſcoporũ Conuentibus ſtudio & authoritate ſua adeſſent, ſuarũ Ciuitatum Epiſcopos non ire ad eos ſolum ſinerent, uerumetiam hortarentur, Legatos ſuos mitterent, pietatem deniq; in eo ſuã toti terrarum orbi declararent. Hoc idem facere Clariſſimum illum Regem & huic S. Synodo amabilem Principem oportet, ſi officio ac muneri ſuo ſatisfacere, ſi ſe dignum ſuo illo eximio præbere cognomine, ſi Galliarum Eccleſijs (quæ merito illi ſunt chariſſimæ) ſtudet conſulere, ſi deniq; uult patrem ſuum piæ memoriæ Regem imitari. Etenim is pro ſua præſtanti pietate & unitatis Eccleſiæ ſtudio in hanc ipſam urbem ad Concilium lectiſſimos regni ſui Epiſcopos uenire non modo nõ prohibuit, uerumetiam una cum eis legatos ornatiſſimos uiros miſit, & eo magis hoc facere debet, q̃d iam Regni illius Epiſcopi a Pontifice maximo per literas de reſtituto huc Concilio certiores facti, ut uenirent ipſo ſciente & conſentiente Rege admoniti fuerint. Quæ cũ ita ſint fratres illos ſuos

hæc S. Synodus amantissime & studiosissime adhortatur, & rogat, ut ad ipsum in cursu tam piarum actionum adiuuandam (omissa omni cunctatione) huc se conferant. Quod ipsorum munus sit, quod officium, quid tanta Ecclesiæ necessitas ab eis postulet ac potius flagitet quid Deo, quid Ecclesijs suis, quid summo Pontifici, quid uniuersali Synodo præstare debeant, minime ignorant. Ne recusent a Pontifice Maximo euocati atq; admoniti, a fratribus atque uniuersali hac Synodo expetiti, ad res sanctissimas & salutares agendas, ad instaurandam religionem, ad reformandos mores, ad pacem & unionem Ecclesiæ constituendum accedere. Regem uero Christianissimum eadem S. Synodus per uiscera Domini nostri Iesu Christi obtestatur, ut animi sui offensionē ipsi Christo redemptori nostro uelit committere, & cæteris rebus omnibus Christianæ Reipub. commoda anteponere. Imitetur eos Principes quos propter huiusmodi moderationem ac magnitudinem animi & ob dissimulatas interdū pacis retinendæ causa graues iniurias laudat. Imitetur superiores Francorum Reges ac Maiores suos quos ob Ecclesiam non solum eorum opibus exornatam, uerumetiam armis & corpore ipsorum opposito, defensam magnis merito laudibus extollit. Meminerit præclari illius sui cognominis quod ab illis perpetuo bene de Christiana Republica merendo non minus quam Regnum ipsum tueri & conseruare debet. In quo si huius S. Synodi spei opinioniq; responderit, & fidelissimis eius amantissimisq; consilijs paruerit, maximam ab omnibus hominibus laudem, ac æternum a Deo præmium moderationis & pietatis suæ cō sequetur. Deus in cuius manu mentes & corda sunt Principū, Regium animū ad hæc consilia dirigat, quæ & Regi gloriosa & Christianæ Reipub. futura sunt salutaria.

Purgatio Cæsaris. De obsidione Parmensi Cæsar se purgat, Quandoquidem suo nomine nequaquam hanc geri, tum in eam nullum sibi ius uendicet. Quod autē suppetias Pontifici oppresso a Gallo tulisset, id quidem ex officio suo & Iureiurando quod Ecclesiæ præstitit, merito se facere, apud omnes cōtestatum esse uoluit. Quocirca iniuste bellum a Gallo suis terris Germaniæ inferioris illatum.

Cæsar in Italiam duo milia peditū, & quingentos equites Pontifici in subsidium mittit.

Opes ex Insulis. Sub idem fere tempus ad Cæsarem Oeniponti degentem mulæ plurimæ auro ex nouis insulis allato onustæ, deductæ sunt.

Mense

Mense Nouembri Dux quidam Belli Turcici cum exercitu ualidissimo inferioris Hungariæ fines ad Transsyluaniam usq; & prouinciam septem castrorum inuadit, quicquid munitum non erat capit diripitq;, iamq; animo totam occupandi Vngariam & Imperio Turcæ subiugandi spem cōcipit. At Deus omnipotens nostros miseratus dolores, fiduciam tyranni deludit. Nā Georgius ille Regīj exercitus ductor (quem Iulius Pontifex post transitionem ad Regem Romanorum factam, Cardinalem creauit) uim Turcarū dissipat, supra duo milia in conflictu sternit, prædam hiantibus eripit, oppida capta recuperat, eosq; qui in fugam sese conuerterant, insequitur. Turcarum cædes. Victoria.

Duodecima eiusdem mensis Cæsaris filia, Maximiliani Regis Bohemiæ coniunx, Genuam appulit, unde profecto multorū animi in spem maximam sunt erecti. Cæsaris filia.

Ante dies hos circiter xiiij. Galli aliquot nauigia Hispanica (in quibus erāt ducenti equi generosi, & fere uniuersa suppellex fœminea seu mundus muliebris Reginæ Bohemiæ) intercipiunt. Quod factum iudicant omnes fœdissimū, & adeo non ingenuum ut etiā opinio sit ne Turcam quidem fuisse abducturum monilia fœminea, si in ea incidisset. Enimuero prius non inferiorem crudelitatē exercuerant milites Maximiliani (qui ipsum opperiebantur in Italia) in Gallos. Siquidem initio cum Gallis in obsidionē Parmensem missis, prælio, uerterunt eos in fugam, nec ante persequi desierunt, donec referret unusquisq; caput Galli occisi in Lancea sua. Fuerunt autē trecenti qui id fuerant ausi, nullos tamen secum captiuos inde retulerunt, contenti hastas suas horrendo coronasse spectaculo. Facinus indignum.

Iisdem temporibus equites ducenti egregie instructi alpes transeunt, subsidio curribus quadraginta tormentario puluere onustis. Tantus ubiq; rei bellicæ apparatus propinquabat, ut non una uideretur expugnanda natio, imo uero tertia pars orbis. Copiæ instructæ.

Licet autem commeatus aduersarijs concessus esset, moras tamen nectunt, quippe qui non satis bene sibi conscij forent, & uaria suspicione tenerentur, qua profecto nihil opus erat, quum publicam fidem & summam simul securitatem libertatemq; accepissent. Sed uti uerisimile & credibile sit, nodum in scirpo iuxta prouerbiū, quærunt. Moræ aduersariorum.

Nam & Melanthon Oenipontem ueniens Cæsarem instanter

orat,ut hac comparendi in Concilium molestia una cum aliis liberetur. Atq; in hoc suum senium adducit,se quoq; non Theologũ, sed Philotheologum potius profitetur,neq; sibi tantum arrogare simulat,ut nunc id uideri uelit, de quo palam toties gloriari consueuerat.

Canones de Pœnitentiæ Sacramento.

Cæterum Patres Concilij minime desistunt,quod res ipsis cordi magis esset,remq; recta putarent. Canones igitur in quarta Sessione sexto Calendas Decembris, de Pœnitentiæ Sacramento decernunt. quorum primus hic est:

1. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse uere & proprie sacramentum,pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis,a Christo Domino nostro institutum, Anathema sit.

2. Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit,quasi hæc duo sacramenta distincta non sint,atq; ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit.

3. Si quis uerba illa Domini Saluatoris,Accipite spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata remittuntur eis,& quorum retinueritis retenta sunt,nõ esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ,sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit detorserit at contra institutionem huius sacramenti ad authoritatem prædicandi Euangelium, Anathema sit.

4. Si quis negauerit ad integram & perfectam remissionẽ peccatorũ requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ,uidelicet,Contricionem,Confessionem & satisfactionem,quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur. Aut dixerit duas tantũ esse pœnitentiæ partes,terrores incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio uel absolutione qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, Anathema sit.

5. Si quis dixerit eam Contritionem quæ paratur per discussionem,collectionem & detestationem peccatorum,qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorũ suorũ grauitatem,multitudinem,fœditatem,remissionem,æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito uitæ melioris, non esse uerum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam,sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem

demum

demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac uoluntarium, Anathema sit.

6. Si quis negauerit Confessionem sacramentalem uel institutã uel ad salutem esse necessariam iure diuino, aut dixerit modum secretẽ confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper ab initio obseruauit & obseruat, alienum esse ab institutione Christi, & inuentum esse humanum, Anathema sit.

7. Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeat etiam occulta & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta & circunstantijs quæ peccati speciem mutãt, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim obseruatam tantum ad satisfactionem Canonicam imponendam. Aut dixerit eos qui omnia peccata cõfiteri student, nihil relinquere uelle diuinæ misericordiæ agnoscendum aut demum non licere confiteri peccata uenialia, Anathema sit.

8. Si quis dixerit Confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia seruat esse impossibilem, & traditionem humanam a pijs abolendã, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusq; sexus Christifideles iuxta magni Concilij Lateranẽsi. constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse Christifidelibus ut non confiteantur tempore quadragesimæ, Anathema sit.

9. Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum Iudicialem nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio aut ioco absoluat. Aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis ut sacerdos illum absolueret, Anathema sit.

10. Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt potestatem ligandi & soluendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christianis esse dictum, Quæcunq; ligaueritis super terram erunt ligata &c. & quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum &c. quorum uerborum uirtute quilibet absoluere potest peccata publica quidem per correptionẽ si correptus acquieuerit, secreta uero per spontaneam confessionem, Anathema sit.

11. Si

11. Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus nisi quo ad externam politiam, atque ideo casuum reseruationem non prohibere quo minus sacerdos a reseruatis uere absoluat, Anathema sit.
12. Si quis dixerit totam pœnam simul cū culpa remitti semper a Deo, satisfactionem pœnitentiam non esse aliam quā fidem qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, Anathema sit.
13. Si quis dixerit pro peccatis quo ad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis sed neque sponte susceptis, ut Ieiuniis, orationibus, eleemosynis uel alijs etiā pietatis operibus, atque ideo esse optimam pœnitentiam tantum nouam uitam, Anathema sit.
14. Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christū Iesum peccata redimunt non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & uerum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurare, Anathema sit.
15. Si quis dixerit Claues Ecclesiæ esse datas ad absoluendum nō etiam ligandū, & propterea sacerdotes dum imponunt manus confitentibus agere contra finem clauium & contra institutionem Christi, & fictionem esse quidem uirtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, Anathema sit.

Disputatum est præterea de sacramento Extremæ Vnctionis & tota disputatio his fere canonibus definita fuit:

Canones de Sacramento Extremæ unctionis.

1. Si quis dixerit Extremam Vnctionem non esse uere & proprie sacramentum a Christo, D.N. institutum, & a beato Apostolo Iacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum, Anathema sit.
2. Si quis dixerit sacram Infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, aut alleuiare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, Anathema sit.
3. Si quis dixerit Extremæ unctionis ritum & usum quem obseruat S. Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Iacobi apostoli. Ideoque eum mutandum, posseque a Christianis contemni, Anathema sit.
4. Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmū inungendū hortatur non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis cōmunitate ob idque proprium extremæ unctionis ministrū non esse solum sacerdotem, Anathema sit.

Sub

Mirandula expugnatio.

Sub idem fere tempus Mirandula undiq; angustijs & periculis exposita ac circuncepta nec non attrita, capitur.

Segdinum capitur.

Eodem hoc anno Segdinum Hungariæ oppidū a Turcis paulo ante expugnatum post acerrimos conflictus ac multorum stragem, uenit in Potestatem Regis sui Ferdinandi.

Giapam Insulam ad fidem Christi cōuertere Lusitani laborant.

Iisdem fere temporibus Giapa Insula uersus Septentrionem in Parallelo Germaniæ Galliæq; ad Antipodes sita, de recipienda fide Catholica a Lusitanis pertentata fuit. Quæ nisi Chinenses siue Sinarū populi a quibus leucis sexcētis distat, una recipere consentiant, renuit.

Decretum de carnis priuio.

Decretum fuit in Anglia, ut quadragesimæ tempore indigenæ Catholicorum more ab esu carnium abstineant.

Sena a Gallis capitur.

Hoc insuper anno Sena urbs, Senonum quondam at nunc Hetruscorum emporium celeberrimum, Gallorum industria capitur, duce Domino Thermensi, qui Scotiæ Prorex non ita pridem salutabatur. Quæ quidem aperto marte depugnata Cæsari tandem subiugatur Petri de Toledo prudentia atq; solertia.

Factum Regis Galliæ heroicum.

Rex Gallorum Christianissimus sectam prodigiosissimam & planè impiam quæ in suo amplissimo clam fouebatur regno subortam audiens, execratur.

Obitus Friderici Nauseæ.

Ad auspicium anni 52. nunciatur Concilij Patribus, Reuerendissimū D. Fridericum Nauseam Episcopū Viennensem diem clausisse supremum. Qui sane concionibus & scriptis, imo quod primum est, uitæ Christianæ claruit exemplis.

Magdeburgicorum conciliatio.

Mense Nouembri Magdeburgici Cæsarem offensum sibi conciliant, his nimirum pactis, Ad Cæsarem supplices in genua prouoluti ueniant, Cameræ, & nouissimo comitiali decreto Augustæ Vindeliciæ habito obsecundent, quinquaginta aureorum milia Cameræ numerent, & plures huius generis conditiones insuper additæ atq; subiectæ sunt, quibus acceptis confestim Mauritius Magdeburgum uersus properat, ut illic nomine Cæsaris, Ordinū & suo, a municipio iusiurandum excipiat, quo sanctæ promittat, se conditiones præscriptas seruaturum & reuera præstiturum.

Postea uero quam Mauritius Magdeburgum uenit, indicat ut refert Sleidanus, se Lantgrauio libertatem effecturum, etiam cum capitis sui periculo.

Oenipontem Cæsar uenit.

Cæsar Augusta Oenipontem secessit, quæ itinere unius tridui Tridento distat, quò propior esset Concilio.

Interea Dux Mauritius & Brandeburgicus, omnem conatum adhibent, omniaq; media tentant, quo tandem Lantgrauius liber dimittatur. Legationem & ij & cæteri principes celebrem, ad Cæsarem mittunt, quem inprimis omnis obsequij & præstitæ fidei commonefaciunt, & ne tam sui captiui Lantgrauij, quam ipsorum rationem & curam habeat, orant, quippe qui sese sponsores opposuissent, Lantgrauium itaq; ocius dimittat.

Cæsaris ad postulationem Mauritij responsum. Cæsar respondet, indies se opperiri Mauricij Ducis aduentum, quam primum enim is adesset, ita sese ipsis præstiturum, ut etiã certis indicijs atq; manifestis intelligant, nec ipsorum nec aliorũ principum intercessionem seu patrocinium temere aut frustra susceptũ esse.

Cæterũ hoc Cæsaris responsum nullo modo Vuilhelmo Lantgrauij filio arridebat, & animi sui sententiam utiq; uariam non obscure significabat. Duci quoq; Mauritio suadet, ne se Cæsari sistat.

Cario testis. Hoc demum anno in tantam altitudinem magno cum impetu atq; procella Menus fluuius repẽte excreuit, ut aliquot fortissimæ molis ædificia subuerteret, & homines nõn paucos demergeret.

An. 1552. ANno ab Incarnatione Verbi M. D. LII. Hyemen Tridenti *Frigus hyemale temperatissimum.* adeo temperatam Patres uiderunt, ut nullo similem meminerit ætas. Nam hoc obseruatum fuit a medio Nouembri ad septimum usq; Ianuarij nec pluisse neq; ninxisse, sed cœlum perpetuo sudum, clarum atq; suaue. Nam in festo natalicio Saluatoris purpureæ odoriferæq; atq; uernales uiolæ legebantur ibidẽ, quum alioquin testentur incolæ, nusquam magis consuesse hyemen seuire atque istic, non absq; singulari Dei ipsius beneficio seu prouidentia.

Patrum expectatio. Interea uero Patres Concilij, aduentum Protestãtium præstolantes, curis gaudia ut ita dicam interponere uisi sunt, propterea quod ij postulassent, quo tantisper a rei cœptæ, imo iam perfectæ publicatione abstineant, donec & ipsi audiantur. Institerant pro cõmeatu uel ut uocant saluo cõductu, tunc aliter atq; prius fecerant, obtinendo, & quanquam res indignas exigerent, tamen ne possint ullam absentiæ prætexere causam, talis conceditur cõmeatus quales uel petere audebant. Siquidem Dux Mauritius octauo calendas Februarij missis ad Concilium oratoribus, *Legati Mauritij.* iniquis plane conditionibus aduersariorum moram purgat, defendit, at demum ne nicam publicam ac liberam, imo licentiosam & indulgentissimam

fidem

fidem ſuis extorquet. Prudentiores nonnulli audita hac Mauritij
petitione, uerebantur ne Proteſtantes imponant, & nihil minus co-
gitent, quam ut ſe Concilio ſubmittant, authoreſq; ſectæ in con-
ſpectum & congreſſum adducant. Nam uidebantur non obſcure
tergiuerſari, & nunc iſtud nunc illud cauſari, quaſi euadendi rimu-
las ſolicite callideq; ſectantes, & ad extremum ubi exitum non in-
uenerint, ui perrupturi, & Concilij authoritatem non agnituri.
Quorũ ſane metus aut potius præſagium, nequaquã uanum fuit,
ſed longe certiſſimum. Quandoquidem edito Decreto de proroga-
tione publicationis ſimulac data quam poſtulabant fide & ſecurita-
te, Patres in diem uſq; xix. Martij patienter auideq; ipſorum pro- *Cauſa compe-rẽdinationis.*
teſtantium aduentationem expectantes, ut interea haberent illi ſat
temporis nõ modo ueniendi, ſed etiã deliberandi de ijs quæ pro-
ponere uellent, proditiones quæ tunc occultæ fuerant, in manife-
ſtam lucem & periculum acerbiſſimum erumpere ceperunt. Hacte-
nus ſimularant ſe ad Concilium uenturos, & Decretis eiuſdem per
omnia obtemperaturos, Cæſarem de ipſis nihil ſperare aliud quam
obedientiam iubent, res & ſanguinem pro Cæſare contra Gal-
los & Turcam profundere iurant. Legatum quoq; magni nomi- *Dolus Prote-ſtantium.*
nis, Thuringiæ nimirum præfectum, nobilem, Equitem auratum
ſummittunt, qui ſpondebat nunc intrã dies xij. nunc x. nunc viij.
nunc vij. adfuturos, ſimulans mirari ſe uehementer ipſorum mo-
ram. Patres ab omni actione tum ceſſant. Tandem certior a Mau-
ritianis factus, fingit eis ſe uelle occurrere & adducere, ad quod Pa-
tres inſidiarum ignari ipſum magnopere adhortabantur. Quin etiã
Archiepiſcopus Colonienſis Præfecto illi qui iam equos ſuos uen-
diderat, equum optimum quem habebat, commodato dedit. Sed
quid interim? Cum Gallis & Turca tranſigunt, ut Concilium ſan-
ctiſſimum diſſipent, Cæſarem perdant, & imparatũ adeo obruãt.
Mauritius igitur immemor beneficiorum (quibus Cæſar ipſum
nuperrime ut filium uel fratrem abunde cumulauerat) contractis
copijs ualidiſſimis aciem inſtruit aduerſus Cæſarianos. Tota tumul-
tuabatur Germania, ita ut fama hæc ad patres Concilij pertingeret:
Nam Electores Epiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, & Treuiren- *Reuerendiſs. Electores po-teſtatẽ abeun-di petunt.*
ſis, ſuis ipſorum ſubditis metuentes, abeundi facultatem a Cæſare
petunt. Contra uero Cæſar ipſe ſcripto reſpondens, nullum eſſe pe-
riculum teſtatur. Quandoquidem breui adhuc literas a Mauritio

accepiſſet, in quibus om̃e obſequium promitteret. Idcirco ſeſe ab illo nihil expectare poſſe, quam quod fidelem & integrum deceat principem, niſi fortaſſe quod abſit, fides ipſa toto exulet orbe.

At uero non longe poſt, nuncium nuncio ſuccurrit, & a diuerſis ueredarijs certo nunciatur, Mauricium uidelicet cũ Gallorum Rege iniſſe fœdus, & in Cæſarem uelle militare. Quo comperto Electores Epiſcopi Moguntinus & Colonienſis (nam Treuirenſis antea diſceſſerat) confeſtim ueredos in itinere diſponunt, & ſummo mane digrediuntur.

Ii ergo cum Oenipontem ueniſſent, habito cũ Cæſare prolixo ſatis colloquio, rurſus qua potuerunt celeritate, proficiſcuntur.

Itaq; bello hoc tam ſubito excreſcente, Concilium turbatur patrum diſceſſibus. Quare pretium operæ futurum arbitrantur illud produci in xxix. diem Aprilis.

Mauritij defectio. Iamq; Dux Mauritius firmiter decreuerat, Lantgrauium omnibus uiribus liberare. At parum aut nihil proficere apud Cæſarem ſe poſſe cernens & occaſionem ab eo̓ deficiendi quærens, pacta cũ Rege Gallorum fœdere, militiam conſcribit, & ad omnes Imperij ordines ſcribit. Equidem ſe probe intelligere, decretum eſſe confeſſionem Auguſtanam tollere, adhæc ſocerũ ſuum Lantgrauium iniuriatam diu captiuum detineri. Quocirca ſe ad partes Francorũ Regis cũ Vuilhelmo Lantgrauij filio tranſiſſe, quo̓d Lantgrauium & Saxoniæ Ducẽ totamq; Germaniam, libertati priſtinæ reſtituat, & gladio uindicet. Quod ſi uero quiſquam ipſorum inſtituto repugnare tentaret, eum quaſi hoſtem habendum & tractandum eſſe.

Libertatis Germanicæ Vindex. Horum uero ſubſidio fretus Francorum Rex multa ſcripta prodidit in publicum, in quorum titulo medius erat pileolus inter duos pugiones depictus, ſub cuius imagine dictatorem ac uindicem libertatis Germanicæ ſe nominabat.

Porro Romanorum Rex Ferdinandus omnẽ conatum impendit ut conuentione quadam bellum dirimatur.

Auguſtæ deditio. Atqui uero Dux Mauritius & Lantgrauij filius cum Marchione Alberto, ulterius progreſſi, Auguſtam cum ciuitatibus aliquot inuadunt.

Sed & Rex Galliæ Lotharingiam populatur, Tullum & Virdunum, duas Imperij ciuitates capit. Ducem quoq; natum annos no-

uem

uem in Franciam ab equitibus fere ducentis deduci iubet. Mater uero uidua unici sui filij solatio destituta in curiam Cæsaris quæ est Bruxellæ Brabantiæ uenit.

Decima Aprilis uenit Annas Mommeranzius Regis Gallorū nomine ad Mediomatrices, quos modo Metenses nuncupāt, ubi & Ciuitatem metropolitanam Imperio speciosis promissis & persuasionibus eripit. Post octiduum ipsemet Rex eo uenit ut inauguretur, & eiet quasi subditos, quo quidem præstito Satrapam eis præficit, cui parere teneantur non aliter atq; sibiipsi, per quem ciuibus mandat, ut arma omnia in unum locum comportent, ipsamq; ciuitatem undiq; muniant. *Metensis oppidi deditio.*

Argentinenses uero ne quid simile in Imperium committant, præsidiariorum quinq; milia intro ad se recipiunt, & cuncta passim conuellunt ædificia & impedimenta, quibus hostes ad obsidionem mabuti possent, quæque instauratione opus haberent, ædificant ac muniunt. Quæ sane res Gallos magno tædio afficiebat. Sperabant enim ipsis sic euenturum Argentorati ut & Metis. Sed cum præter spem ipsis accidisse compertum haberent, inter Hagenoiam & Vicum Iulium, uulgo Vueissenburgum nominant, castra metantur. *Argentinensium constantia.*

Dux uero Mauritius ad Austriam uersus oppidum quod Lintz appellatur cum Rege Ferdinando depacturus properat. Proponit in primis Regi Lantgrauij libertatem, ad quod Rex ait, hanc quam tantopere urgeret libertatem præstandam, nihilominus tamen a bellandi proposito cessandum esse quamprimum. Ad cætera autem quæ adduxisset themata, proximis comitijs respondendū. Igitur comitia denuo Bœduri uulgo Passaus, die uicesimo sexto Maij dicuntur.

Reuersus posthæc Mauritius in castra, itinera undique obsessa intelligit. Cæsar nanque celeritate qua potuit, milites conscripserat, qui diligenter uiarum aditus & ingressus obseruarent. At hostes tanto impetu in angustissima proruebant itinera, ut Cæsarianis cedendum fuerit necessario, quibus ita depulsis, montem ascendunt, arcemq; deditione capiunt. Cæsar audito quod ab hostibus mons quem uocant honoris occupatus esset, una cum fratre Ferdinando, œniponte sub noctem intempestam quam ocyssime discedit, Villacum Carinthiæ uersus. *Mauritius alpium iuga conscendit.*

Prius autem quam hæc gererentur, Cæsar Saxonem captiuum ultro libertate donauerat, ne uidelicet hostis ipse Mauritius hanc spontaneam dimissionem suæ gloriolæ seu famæ asscribat.

Progressus igitur Mauritius Oenipotem usque peruenit, & quicquid inibi thesaurorum a Cæsare relictum inuenit, id omne diripit. Cum uero dies indicti nuper comitij in foribus esset, Mauritius inde Bœdurum proficiscitur, cæteri autem unde uenerant regressi sunt ad uillam Fideris. Qui in hoc diligentissime incumbebãt, ut concionatores quos Cæsar Augustæ suffecerat, ablegatis hæreticis, eĳciantur, & ĳ denuo qui prius inde Cæsaris edicto fuerant expulsi, assumantur.

Conuentus Bœduranus. Calendis Iunĳ cœpit cõuentus Bœduri, & inter cætera alia, Mauritius, Lantgrauĳ liberationem præcipue postulat, tum etiam ne quis religionis ergo impugnetur, quousq; omnis actio penitus cõcilietur. Post longam tandem controuersiam decretum esse, Cæsarem certum aliquod iĳ. Iulĳ daturum responsum, interea temporis, inducĳs bellum cohibeatur.

Rex uero Ferdinandus, quo animum Cæsaris grauiter cõsternatum & offensum (nam tunc ipse Cæsar infinitum fere exercitũ conflauerat) ad pacificam hanc conuentionem citius commoueret, ad Cæsarem profecturum spondet. Proinde orat quod si tempus in octiduum usq; eundo ac redeundo protrahatur, grauatim ne ferant. Verum Dux Mauritius respondit, se nihil amplius habere quod concedat, quippe qui iam in suspicionem quandam uenisset apud socios, propter huiusmodi diuturniorem moram.

Hac excusatione fultus ille ad socios redit, quibus ordine narrat, quidnam Bœduri actum fuisset, & quomodo Ferdinandus Rex ad Cæsarem festinasset, ea spe ut breui per suos consiliarios absolutam ac certam sit transmissurus responsionem.

Francofurti obsidio. Verum ne honesto ocio, hoc est eo quod paci & tranquillitati salutiq; impenditur, uacarent, Diœcesin Moguntinam uastantes, in Francofurdeñ. castra agro figunt. Habebat aũt ciuitas ea pſidiarios Cæsarianos, qui uiriliter plane pro ciuitate decertabant, non tam armis quam ingenio hostes adoriebantur. Nam fugam isti simulantes, hostes ad se pelliciunt, qui cum tumultuarie & confuse accurrerent, alĳ ciuitatem directuri, alĳ uero profugos persecuturi, cæduntur, fugam enim sic fingebant, ut scirent interim inaciem se cõponere, & ædita strage seu alias, quomodo in urbem denuo redire commode

commode possent. Et licet multis ac uarijs machinis ciuitas pulsaretur, illi nihilo minus bono animo in castra hostium uicissim satis dextre iaculantur. Nam in ea obsidione globo tormentario percussus Dux Georgius Megelburgicus perijt, reque infecta succensis quoque ipsorum castris inde secedere coacti sunt.

Tertio Idus Iulij Rex Ferdinandus reuersus a Cæsare, pacti seu actionis Bœdurensis principibus significat, Cæsarem nolle communes Imperij causas a priuatis hominibus, quinpotius a communibus Imperij ordinibus in publicis comitijs, & principum pariter omnium consessu, tractari. Proinde si quisquam querelam in eum deferre uellet, scire quo modo debite se gerere debeat in depellenda aduersæ partis querela. *Conditiones Cæsaris pro conuentu bœdurano.*

Cæterum ut pax conseruetur, nec insontes plectantur, articulũ hunc siue legem proponere uoluisse.

Socij uel confœderati, cohortes atque manipulos dimittant, & arena cadant. Futurum ita haud dubie, ut Lantgrauio quoque domum libere redeundi facultas concedatur, si modo ij qui pro eo spopondissent, fideiussionem confirmare uelint: quo capitulatio ut uocant, in omnibus obseruetur.

Errorem illum & contentionem ex parte Comitatus Catzenellenbogen. ij principes qui a Cæsare adhoc designandi forent, moderentur atque diiudicent.

Cæsarem intra semestre comitia denunciaturum in quibus de Religione tractandum foret.

Interea uero nullus alteri noceat, sed paci studeat unusquisque. Ad Camerale iudicium utriusque religionis patroni admittantur. OttoHeinricus Dux ditionem suam recipiat. Qui durante bello con fœderatis Principibus sese subdidissent, emancipentur pristinæque libertati reddantur. Qui bellorum infulcibus essent petiti & iacturã bonorum perpessi, caueant ulcisci, sed Cæsari & ordinibus in proximo comitio intertractare sinant, quo nimirum modo damnum recuperare facilius queant. Proscripti libertate deinceps potiantur & gratia, nisi in Cæsarem & ordines Imperij delinquant. Qui ad Galliæ Regem defecissent eidemque militarent, intra spacium trimestre denuo in Germaniam eo relicto redeant. Marchio quoque Brandeburgensis huius conuentionis particeps foret, si tamen a stratagemate prorsus abstineat, & stipendiarium exercitum exauthoratum dimittat.

Fuit

Fuit hæc conuentio Cæsaris sigillo obsignata & comprobata ciuitate Boduri, & a primarijs Imperij heroibus ibidẽ præsentibus, & absentium legatis subscripta. Quæ profecto Gallis minime placuit, quin & Marchioni Brandeburgico displicuit, quippe qui ab obsidione Francofurdiana cessare nolebat, Mauritiũ conuitijs proscindit, nec huiusce pactionis cupit fieri cõsors, sed detestatur, quo suæ libidini capistra relaxet. Hic etiam Prussiæ Magistro depopulationibus ante & incendijs multum damni intulerat, similiter quoq; ipsis Noribergicis, licet ij sub initium belli cum eo & socijs transegissent, numeratis centum milibus aureorũ. Tyrannidem huius, Episcopi Bambergicus & Herpibolensis extimuerunt, attamen nõ ita quin collecta militia fortissima, ipsius expectarent aduentum, ne innocentes subditi hostibus prædæ forent. Erat enim Herpibolensis uir animosus ingenio ac uiribus acer, qui subditorum suorũ animos, erga se propensissimos habebat, quod eius insignem probitatem & fidem reipsa essent experti. Verũ Dux Mauritius, & Vuilhelmus Lantgrauij filius, comperto, quod memorata superius conuentio rata atq; firma haberetur, ex agro Francofurdano discedũt, relicta Marchione, qui cum animaduerteret nihil inde obtinere se posse, re desperata indignabundus obsidionem soluit, ac nono post die Moguntiam ingressus, ciues cum iuramento se dedunt. Grassatur ubiq;, maxime tamẽ in Ecclesiasticos. Nam Moguntiæ ac Spiræ ornamenta omnia, ut: potè uestes sacras sacraq; uasa diripit, Archiepiscopi Moguntini palatium, sacra quinq; fama siue collegia, cœnobia multa, multas quoq; naues frumento ac uino similiq; annona refertas atq; onustas incẽdio tradit. Hinc Treuiros adijt, ubi tẽpla, monasteria amplissima a gloriosissimis Imperatoribus & potentissimis Ducibus religione præcipua, habita & aucta atq; dotata priuilegijs opibusq; tristi incendio deuouet, adeoq; quod Deo impensum erat, Vulcano dedicat, ut interim breuitatis studio, tyrannidem & turpissima quæq; maleficia prætercam, quæ in sacerdotes atq; ministros Dei uiuentis committere absq; delectu, sine ratione, sine pudore aut uerecundia non est ueritus. Ciuitas timore soluta hostem intrare permittit, ubi mox Archiepiscopi aulam siue arcẽ diris flammis exurit, cœnobia spoliat ac demolitur. Cumq; sic satis suam nocendi libidinem explesset, saturus, Obrincam siue Mosellã traiecit, nusquam non obuia quæq; ac uicina destruens, atq; conuellens. Metuebant ubiq; pij, at sectarij de illatis damnis cordubusque gaude-

Marchionis in Ecclesiasticos sæuitia.

gaudebāt. Nam trepidatio magna Colonieñ. Diœcesin occuparat, licet alioquin Archiepiscopus communibus impensis præsidia statuisset. Quis enim tam ualidum hostem non metuisset, qui ne Cæsaris aliorumq; principum offensam curaret, cui tantæ ciuitates se dedidissent, q omnia uastaret, spoliaret, & succēderet longe lateq;?

Postea uero quam Cæsar instructissimam aciem sibi conflasset, Oenipontem reuertit, & inde Augustam uenit, Magistratum a socijs fœderis constitutum cum omnibus tribubus amouet, redacto in priorem ordinem & Senatum municipio. Tunc ædes metropolytana & aliæ Ecclesiæ timore aduersariorum occlusæ, aperiuntur, ac solita peraguntur officia. Relictis in ciuitate sex manipulis, siue uexillis peditum ad præsidia, machinas aliquot æneas secum inde auehens, Vlmam petit. *Cæsar Augustā magno cū exercitu uenit.*

Sed antequam Augusta discederet, Ioannem Fridericū Saxoniæ Principem, benigno intuitu dimittit, qui postridie domum proficiscitur.

Lantgrauius autem pridie nonas Septembris, plena libertate donatus, Mechlinia Bruxellam in Curiam ubi & Hungariæ quondam Regina, uenit, a qua festiue hilariterq; excipitur, & post epulas ad uenationes itum est. Dehinc tribus equis optimis pulcherrimisq; phaleris donatus, dimittitur, & sexto post die in patriā uenit. *Lantgrauij libertas.*

Cæsar qui nuper Vlma, Argentoratum secesserat, productis in simul omībus copijs, die xxij. Octobris, Metensem ciuitatem obsidione cingit. Interea Marchio in Lotharingia magno militū numero tum pēditum tum equitum stipatus agebat. Cui cum parum de salario siue stipendio cum Rege Gallorum conueniret, interpositis aliquot conditionibus, Cæsari conciliatur. Nam omnē illi Cæsar culpā remittit, & quicquid in ipsum deliquisset. Deniq; & hunc cum suo exercitu, ipsius deinceps nomine militandum suscipit & authorat. *Obsidio Ciuitatis Metēsis.*

Erat eo tempore hyems per quam acerba & niuosa. Vnde noua quædam morbi species pestilentissima per castra passim sæuire cœpit. Cæsar igitur suorū cladem morbosam & lethiferam expertus, ad exitum Decembris soluta obsidione in Belgicam contēdit.

ANno a Christo nato M.D.Liij. posteaq̄ Cæsar sese ad nationes Germaniæ inferioris, relicta, propter multa acerbissimaq; incōmoda, Metēsi obsidione, cōtulisset, Marchioni uidebatur indignū *An. 1553.*

 siam

si amplexa pace & tranquillitate patria, suos dimitteret uacuos. Itaque excitato nouo quodam stratagemate, in Episcopos Bambergicum & Herpibolensem totam uim experitur, Noribergicos quoque haud indemnes esse uolens, pagos aliquot ac uillas exussit. Nullā conuentionem sustinet, nec Camerali iurisdictioni obsecundat. Vicini proinde principes tanto comperto furore, ac rei ipsius indignitate commoti, fœdus cum Duce Mauritio & Henrico Brunsuicense, alijsq; Dynastis, tum etiam Romanorum Rege Ferdinando, quo Marchionis uim & sæuitiā deprimant, atq; profligent ineunt. Qui cum ingenti ac robusto exercitu Saxoniam ingressus, quid fœdus ualeat, aperto marte experiri pertentat. Tunc Mauritius & Brunsuicensis instructa militia, Saxoniam intrant, ubi non procul ab hoste castra locant. Die igitur nono mensis Iulij prælium utrinque acerrimum decernitur. Tandem uero post diuturnum sæuissimumq; certamen, post multa funera, Dux Mauritius uictoria potitur, sed non absq; sui corporis iactura, nam ictu tormentario per ilia cōfossus postridie uita defungitur. Erant in eo certamine duo Henrici Ducis filij, Carolus Victor, & Philippus Magnus, qui in eadem strage occubuerunt, & utroq; supra quatuor milia fortissimorum equitum. At uero Marchio fuga dilapsus, Hannobrium peruenit.

Mauritius Victor moritur.

Fuga Marchionis.

Eodem hoc anno Turcicus quidam pyrata propemodum a Præfecto classis Venetæ Christophoro Canale interceptus fuit, nam eo deuenerat fortuna, ut omnes illi naues eriperet, ac spoliaret, ea tantum excepta, in qua idem ille medijs in fluctibus fugiens euasit.

Pyrata Tur[cicus].

Die xx. Iunij Cæsar ut Flandros ab incursionibus Gallorum liberaret, paratis copijs Terrauanam siue Taruannā obsidione uallat. Quam licet munitissimam, & quasi asylum eo loco Gallis tutissimum, admotis machinis aperta ac ualida manu capit, diripit atque exurit, nec monimentum alicuius ædificij passus, solo penitus æquat, erecta tantummodo pyramide altissima, in cuius fundamento Saxum immensæ molis perpolitū & sculptum expugnationis annū & uictoris nomen refert. Filius Connestablij ut uocant, aut potius Magistri Equitum, in ea ciuitate deprehensus, capitur.

[Ta]rauannæ expugnatio.

Hac autem uictoria fretus ipse Cæsar Deo gratias agit, & ad Hedinum castra applicat, quod iterum iterumq; oppugnatū, uiribus expugnat. In ea obsidione gener Regis Galliæ occubuit.

Hedinum a Cæsariano milite subiugatur.

Turcæ

Turcarum Princeps Solimanus comparata ingenti classe, Italiæ littora uexat, quod indigne ferret Principem Salernitanum a prorege Neapolitano, iussu Cæsaris amotum. *Turcæ in Italiã expeditio.*

Rex Angliæ Edouardus, qui licet iouenis insigni tamen rerum cognitione, & qui facile doctrina ætatem compensasset, sexta Iulij e uiuis discessit, annos natus xvi. *Edouardus Angliæ Rex moritur.*

Decimo Calendas Iunij Venetorum Dux Franciscus Donatus diem obijt fatalem. Erat eo tempore Marcus Antonius Senatorij ordinis, ex familia Treuisanorum, uir morum honestate clarus, & largus in pauperes, adhuc cœlebs, cui quarto nonas Iunij ducales infulæ oblatæ sunt. Hic inter decem uiros capitales edicto rogato & posito cauit, ne solita illa conuiuia & comœdiæ siue nocturnæ illæ cum laruis obambulationes atque lautiæ, unde nihil boni, at periculorum plurimum euenire consueuit, exercerentur. *Lex in conuiuatore & nocturnos comædos.*

Anglorum Rege defuncto hæres regni desiderabatur. Sed cũ Henricus Rex testamẽto statuisset, ut filia primæ suæ coniugis Regina fieret, tandem reluctante adhuc Northumbrigico Principe, ad regni solium est euecta, non absque singulari ipsius Dei ter maximi prouidentia. Nam ipsa quamprimum cogitare ac satagere cœpit, quo pacto habita communi pace, auitæ religioni fideique catholicæ succurratur. Atqui uero cernens hoc fieri nõ posse, nisi primũ seditiosi hæretici e medio tollantur aut proscribantur, edicto iubet omnes discedere, quotquot religionis catholicæ & autenticæ restaurationem ferre nollent. Quo sane multorum in se concitauit odium & insidias, eorum uidelicet potissimum qui hæresi patrocinarentur. At illa nihilominus mira quadam ac prorsus unica constantia & magnanimitate hæreticorum insultus depressit atque deuicit, manifestis Dei præsidijs a periculis & insidijs conseruata. *Maria legitima Henrici Regis unica filia Regno Angliæ [illegible] augurratur.*

Namque superato Duce Northumbrigico cum tribus alijs primarijs uiris, factionis asseclis, inuasæ tyrannidis pœnas dedit. Productus enim in spectaculum, prolixo sermone ad populũ habito quo suũ facinus suamque perfidiam ipse detestabatur, aliosque ad meliorem mentem hortabatur, capite plexus est. *Dux Northũmbrigicus.*

Horum exemplis cæteri cautiores effecti sunt, & conquierunt, aut sane modestiæ ac religionis Christianæ impatientes se clanculũ subduxerunt, exteris & alienis in locis degere potius uolentes quã rectam & orthodoxam fidem ac religionem amplecti.

Comperta uero hac in Principe constantia plurimi e cætu Cleri

Cc ij post

post durũ, iniquũ tristeq; exilium, in patriã læti redeunt, quibus iurisdictio & honor pristinus tributus est, ecclesiæ destructæ, prophanatæ uel direptæ, instaurantur, purgãtur, ornantur modo consueto.

Reuerendissimus quoq; D. Paulus Regio Britannorũ sanguine cretus, Vir summe cum probus, tum doctus, in Galliam & ex Gallia in Britanniam Angliamue contendit, reconciliandi ipsius populi gratia. Vtinã in republica Christiana Principes uiri summa ac profunda suorum pace fruentes, huiusce Principis mulieris sapientiam & constantiam pro Christiana pietate in medio hostium constitutæ, fortiter transactam imitentur. Quod enim sapientia claruerit, facta declarant, similiter quot angustias insidiasq; ꝑpessa pro fide Christi sit, argumenta plurima ipsa de se præbuit. Quid uero sapientius quam Deum puris affectibus colere, & animali deposita cupiditate, ipsos sensus, imo mentem in obsequium fidei accommodare, quæ sane humanis ꝑsuasionibus minime nititur, sed solo Christi mente siue spiritu, quo primum Apostoli, deinde discipuli, & doctores afflati fuere, ad regendam ipsius Ecclesiam quam suo sanguine peperit? Quid deniq; constantius, quã omnes potius insidias & pericula æquo ac hilari perferre ac tolerare animo, quam ut fidẽ quis Ecclesiæ Catholicæ deserat & tueatur?

Sed ad ea quæ in Germania nostra gesta sunt redeamus. Nam Marchio cum incolumis euasisset, denuo copias conscribit, at xij. Iulij ab Henrico Duce fortissimo in fugam conuertitur, & quum Cameralium querela ad Cæsarẽ delata proscriptione multaretur, Cæsarem obtestatur, ut ab ea liberetur. Respondet autem Cæsar: Non decere maiestatẽm Cæsaream ut iuris ac legum dictamini seu etiam executioni obstaculo sit, imo uero sui esse officij, ut iustitiæ & legibus subueniat ac tueatur.

Hoc eodẽ seculo uidimus exempla ultionis diuinæ in duobus manifeste patrata. Vnus patritius erat, alter Regis Galliæ quæstor. Hic licet in uitæ cursu hominem præ se tulisset cordatũ, tamen fortasse quod cum ijs qui immortalitatem ac proinde resurrectionem negãt, sæpius fuisset uersatus, aut alio iusto Dei iudicio, ita in mortis suæ momento auersus est, ut desperatus incuteret timorẽ astantibus, nullumq; diuinæ prouidentiæ ac miserationis locum daret. Alter ille patritius homini tenui fortuna 300. aureorum summam debebat. Quem ubi homo ille cõmonendi debiti causa conuenisset, & libellos exhibuisset, cum ignominia a se depellit. At cum pauper

Desperationis & Periurij exempla.

instaret

instaret uelle diebus octo de solutione deliberare, & iurat [illegible] fraude aut dolo contra pauperē facit ut mise[illegible]e pere[illegible], cū [illegible] illum falso iurare. Mirum & horrendū dictu [illegible] est [illegible] latij scalas delatus, ædes monetarias adiens, [illegible] terrā [illegible]ples ctico similis, & sexto post die mor[illegible] xēplo p[illegible] prauorū colloquia quæ mores bon[illegible] [illegible]ā) corrūpunt, uitare, discant nō periurare, n[illegible] aliū fraudare.

Parisijs & Basileæ cœptū [illegible] sacra [illegible] publicis scriptis agi. Nam erat Lutetiæ qui se me[illegible] to [illegible] Apostoli & Euāgelistæ assereret imbutum, Basi[illegible]æ uero [illegible] uigenium D. Petri se recepisse contenderet. Ita Sathan [illegible] ecclesiam pseudoapostolis oppugnat. Vnde etiam docemur nō temere omni spiritui credendum esse, quinpotius probari debere num ex Deo sint ut docet Apostolus. Hi porro ex Deo sunt, qui fidem hucusq; in Ecclesia Romana receptam, charitatis operibus perfici credunt & profitentur, nec in sola contemplatione seu cognitione consistit.

Pseudoapostolorū somnia.

Qui ex Deo sint.

ANno Domini M.D.Liiij. Quo pacem Ecclesiæ tutissimā efficeret Anglorum Regina, atq; adeo Catholicam religionē (quam uti dictū est cōstanter tueri decreuerat) liberā a seditionibus hæreticorū redderet, iustissimo quodā zelo cōmota, in eas animaduertere cœpit, q destinatis animis & obfirmatis pfidiæ pessulis, Catholicam & auitā religionē admittere ac ferre nollent. Hinc Sectarij passim mali sibi conscij, solum patrium relinquētes, ad oppida Germaniæ cōfugiunt, quidā Vuesaliam Cleuiæ, alij Francofurtū, nōnulli Argentoratū occupant aliaq; loca. Siquidē perfidiæ diuersitas, diuersas sedes desiderabat, non enim omniū illorū una erat credendi forma & ratio, maxime circa ueritatem Sacramenti Eucharistici. Quod sane cū sit thessera ut ita dicam, symbolū & arra nostræ fidei, nō potest is recte credere, atq; ita Deo placere, qui illius sacramenti diuinissimi mysteriū tollit. Talis in fœmina zelus, talis in muliebri sexu fortitudo hoc nostro seculo uiros Principes & Senatores maxime redarguit, & tacite confundit, quicū possent non modo non prohibere occursantes seu profugos hæreticos, imo etiā expellere, qui locum in ipsorum dominio & republica accepissent non absq; totius Ecclesiæ Christi solatio & beneficio. Quis e[m] ignorat Apostoli sententiā esse cū ad Corinthios unius quidē nationis homines uedicā oppidi scriberet, modicū fermēti totā massam corrumpere?

An. 1554.

Religionis Catholicæ per Angliam instauratio.

Saxoniæ [illegible] ducis v[illegible] suæ m[illegible]

Hoc [illegible]idem anno xxj. Februarij mortem obijt Heroina Sibilla Princeps [illegible]ensis, Joannis Friderici Ducis uxor, qui etiam non [illegible] p[illegible]st[illegible] us est, nam iij. Martij uitali caruit aura.

Philippi Hispaniarum Regis nuptiæ.

[illegible] p[illegible] us Hispaniarum Rex, Caroli v. Cæsa[illegible]s, [illegible] licuit, & post dies quinq; ipso D. I[illegible]cobi fe[illegible] [illegible]ariam, mulierem doctam atq; pijssima[illegible], d[illegible]

An. 1555.

Comitiorum propositio.

ANno [illegible] ubi [illegible] M.D.Lv. Augustæ Vindeliciæ Comi[illegible] cum Cæsar ipse ob [illegible] ualetudinem [illegible] [illegible]e n[illegible]p[illegible]sset, Rex Ferdinandus non[illegible] rij coram proponit, exponens, quam uehementer Cæs[illegible] commodo totius Germaniæ studeret incumberetq;. Na[illegible] com mandatis accepisse, ut cum ipsis deliberet, quo uidelic[illegible] religionis concordia resarciri ualeat. Licet autē nulla ce[illegible]ra que methodus superesse uideretur, quam sit Oecumen[illegible]ncilium, quod etiam plus semel institutum fuisset, nihil [illegible]se modo super sedere uelle, quibus hoc salutare Conciliu[illegible]es denunciatum ac tandem inchoatum, præpeditum sit. Quod si uero post hac Concilium prosequi statuissent, id sibi gratum adeo fore, ut omnē ipse laborem ac diligentiam ingenue integreq; ac promptissime polliceatur.

Decretum.

Longa tandem posthabita consultatione, inter alia pleraq; themata, conuentum est, nimirum, Ne quis aduersus alterum belligeretur. Ordines quoq; Catholicæ Religionis Cæsar & Rex & socij, alijs utpote Augustanæ Confessionis ordinibus inferre uim modis omnibus abstineant, seu etiam ab illa confessione, mandatis alijsue rationibus coercere.

Eodem modo ordines uicissim confessionis Augustanæ, Cæsari Regiq; Ferdinando cæterisq; catholicis tranquillitate & profunda pace potiri concederent. Reliquæ uero ac aliæ sectæ neutri religioni consentaneæ, uel etiamnū deditæ procul ab hoc fœdere sunto. Si uero Archiepiscopum uel alium, Præpositum & uirum Ecclesiasticum suam religionem deserere contingeret, idem ille Episcopatum suum, prælaturam uel quoduis aliud beneficium, omnesq; prouentus ac reditus inde sibi competentes, absq; mora seu aliqua contradictione (ita tamen ut id fiat sine detrimento honoris sui) deserat, & Collegio ijsque (quibus communi iure uel Ecclesiæ & Diœceseos

Diœceseos illius consuetudine dictante debetur ut tunc alium catholicæ & authenticæ religioni deuotum sibi deligant) & alijs Ecclesijs suæ Diœcesi subiectis, libere & pacifice potestas sit, deligendi sibi ... olicæ & auitæ pietatis sectatorem saltem absq; ullo futuræ conciliationis, pro religione ineundæ præiudicio. Vlterius nullus ordo alterum uel ipsius subditos ad suam religionem adigat, uel abalienet, aut deniq; in suam tutelam & defensionem, contra superiores illorũ suscipiat, ueruntamen ijs quibus iam inde ab antiqua defensione & tutoribus illud licuisset, nihil derogetur. Huiusmodi themata retinendæ pacis, concordiæ & rectæ administrationis utilia fore. Quamobrem nonnulla quædam instaurari cœperunt.

Die xxiij. Martij Iulius tertius Pontifex Max. excessit e uiuis. Quo comperto Cardinalis Moronus Legatus Pontificis, qui iam ad comitia Augustana eodem pene tẽpore uenerat, iter Rhomam uersus cum Cardinale Augustano celerrime conuertit. Itaq; dum Cardinales in conclaue pariter conuenissent, tandem quinto Idus Aprilis omnium fere suffragijs, Marcellus Ceruinus morum honestate, uitæq; sanctimonia clarus, ad summi Pontificij fastigium euectus est, & postridie inauguratus. At prohdolor amplissimam illam ac summam administrationem tantæ innocentiæ uiro fatum mox eripit. Nam uicesimo secundo post inaugurationẽ die a Deo euocatus, turbulentũ hoc seculũ deserit, indignũ fortasse uita illius diuturniore. Hic nominis sui permutationẽ nõ ferens, Marcellus secundus dictus est, & pridie calendas Maij uita defunctus. *Iulij tertij obitus.*

Successit Paulus quartus, antea Ioãnes Petrus Carapha dictus, Cardinalis Theatinus annũ ingressus septuagesimũ nonũ, qui initio suæ sacrosanctæ administrationis decreuit, ut triduanũ post ieiuniũ, orationes & eleemosynas, fideles Christicolæ, Dominica deinceps sequẽte, pura mente mensam dominicã frequẽtent, & sacrã ibidem Eucharistiam deuote pcipiant, quo Deus reconcilietur, sublata bellorum furia, ac uicissim pace inter Christianos concessa. *Paulus quartus Papa.*

Eodem fere tempore pacis confœderatio inter Hispaniarum & Galliæ reges diuino nutu, & Christianorum oratione unanimiter supplicantium incœpit, quæ sanguinariorum quorundam conatibus rursus dissipata fuit. Tam enim faciles, & ad miserendũ est procliuis Deus noster, ut orationibus & petitionibus suorum fidelium annuat, quoties ex animo humiliato proficiscuntur. *Fœdus.* *Dei benignitas.*

Interea tẽporis apparuit quidã Cometes ueniens ab Oriente in Occidentẽ, præsagium utiq; experientia teste, maximæ calamitatis & ...iæ. *Cometa.*

Sub

Eiuratio Caesaris.

Sub finem Octobris Caesar habito respectu multarum fatigationum, laborum & afflictionum, quas saepissime cum periculo uitae subierat, simulac uirum imbecillitate se detineri cernens, filio suo Regi Philippo, euocatis ad se legatis prouinciarũ, dominorum & ciuitatum Burgundicae Domus, potestatem regnandi & gubernandi terras illi subiectas ultro tradidit, non absq; lachrymis & tristitia subditorum.

Nam Caesar ipse ad Legatos qui conuenerant, principes & aulicos in curia Bruxellensi orationem conuertens (in qua cũ primis ipsorum collaudabat obsequium & promptam semper obedientiã, cupiens ut & parem filio unico haeredi praestent, & in ea religione quam a maioribus accepissent, perseuerent, pro qua non minus atque pro aris & focis ut aiunt, uiriliter decertent) blandam, cordatam & efficacem, multorum animos ad lachrymas usq; commouit, maxime cum & ipse ex commiseratione & candido prorsus erga subditos amore, loqui uideretur.

Antropophagorũ Insula Christianae fidei adijcitur.

Eodem insuper anno, Francus quidam Eques Ordinis Ioannitarum Nicolaus Villagnonus, auxilio Regis subsidijsq; fretus, classes aliquot in mare Occidentale producit, ac tandem multa nauigatione, in regionem seu insulam hominũ ferarum more degentiũ, syluestres hos uocare cõsueuimus, & Canibalos, deuenit, qui Schytotauris inhospitaliores antropophagiam ceu aliam quamlibet carnificinam exercentes, humana carne uescuntur. Post ubi uero me[moratus] Eques cum socijs unam ibidem insulã occupasset, positis munitionibus & praesidijs, gentem conterminam (quae cum uicinis populis Imperio Portugalensium subiectis hostiliter uiuebat) clementia sua & humanitate obtinet, sic ut eum magno prosequatur honore. Hic uicissim Christianae politiae legibus homines inibi diuinitus sibi deuinctos, ad saniorem modum & uitam instituit. Quamprimum enim proles ipsorum uidet aetatem attigisse rationis usu pedetentim uigentem, easdem mox adhibita Christiana & catholica catechesi, pie & orthodoxe rudes ipsorũ animos efformat, quo catholico seu Christiana fides ijs in locis agnoscatur & obseruetur, ubi fortasse antea nunquam edocta uel praedicata, agnita & obseruata fuit.

Seditio Antuerpiae.

Mense Aprili, semel ac iterum seditio Antuerpiae cooriebatur. Nam cohors quaedam militum Germanorum, qui miliaribus aliquot ab ea ciuitate consederant, hoc comperto, noctu [illegible] suis [illegible]tiem

ciuitatē proficiſcuntur,ac ſummo mane,ingreſſi,turres inuadunt, uigiles depellunt,inde armati in plana & uicos prodeunt,non abſque magno ciuium metu. Ad extremum uero hoc modo quinque tanquam incenſores & conſultores motæ ſeditionis apprǽhenſi, capite truncantur,moxque dein priſtina ciues potiti ſunt tranquillitate. Nec mora poſthæc,Maria Vngariæ quondam Regina, Cæſaris ſoror,magnifico ſtipata ſodalitio, eodem concedens, exercitū adducit,qui ſimile periculum auerteret. Huic autem Martinum Roſſemium præfecerat,qui breui poſt,uita illic defunctus eſt.

Tempore uerno Iudocus Velſius,natione Batauus,uir quidem doctus,at non ita candidus qui poſteaquam prouinciam interpretandi ſacra Coloniæ Agrippinæ in ſe ſuſcepiſſet, in errorem hæreſeos prolapſus,Eccleſiam inuiſibilē eſſe aſſerebat,dubiam hoc modo fidem conſtituens. Alia inſuper abſurda & a pietate Chriſtiana prorſus aliena docere nitebatur. Vnde plurimorū animos qui procul dubio ex pectore antea ſibi fauebant, ſed religionis zelum perſectiſſimum habentes,in ſe concitauit, & igitur omnibus uotis factionem tollere ſtudent,ne Reſpublica modeſtiæ ac pietatis Chriſtianæ tenaciſſima hæretico fermento fœdaretur. Satagunt ut qui nollet Eccleſiæ ſe ſubmittere iudicio,nec monitis ſaluberrimis optimorum uirorum acquieſcere,carceribus mancipetur. Vbi neſcio quas Apocalypſes, uiſiones, & enthuſiaſmos meditatus,de familiari ſibi genio gloriari uidebatur, uolens hoc ſanctitatis priuilegio, authoritatem conciliare,ac libertatem efficere. Magiſtratus uero prudentior & cordatior ſepoſitis his delirijs,edicto Cæſaris paret, & Velſium hæreſeos conuictum in exilium legat. Orandus utique Deus ut eandem ac parem animi conſtantiam uiris Principibus ac Conſulibus indat,quorum prudentia Reſpublica Chriſtiana adminiſtratur regiturque, quibus uirgam ſeu gladium contulit, quo noxios plectant,iuſtitiamque defendant. Iam uero qui magis noxij ſunt ac peſtilentes orbi Chriſtiano,quam ſectarij, quum nō ſolum Eccleſiaſticam ſiue Hierarchiam diſciplinam uiolent, uerumetiam pacem domeſticam ſimul et publicam nullis ſeruatis legibus perturbent,quod lippis atque tonſoribus,ut aiunt, manifeſtiſſimum eſt.

ANno a Chriſto nato M.D.Lvi. Carolus quintus Cæſar traditis iam filio ſuo Regi Philippo, terris ac dominijs hæreditarijs,die tandem xv. Septembris Fliſſingam Zelandiæ,cum duabus An. 1556.

Cæsar Carolus V. mundo renuncians soluit in Hispaniam.

sororibus, Maria Vngariæ Regina & Leonora Franciæ Regina utraq; uidua, nauigio, infinitis classibus instructus uenit, & paucis post diebus inde in Hispaniã uento propicio traiecit. Nihilominus tamen datis ad fratrem Romanorum Regem literis, hortatur, ut deinceps nomine suo, Sacro Imperio præsit. Cuius etiamnum rei gratia, ad Electores Imperij efficacem legationem destinat, requisitum, ut Romanorũ Regem tam integre omnibus in modis pro Imperatore suscipiant, ac si ipse Carolus nimirum Cæsar diem suũ iam obijsset, cui uicissim per omnia obedientiã & subsidiũ præstent.

Eiusdẽ ad fratrẽ Ferdinandũ & Electores legatio.

Friderici Palatini Rheni, mors, & alterius successio.

Hoc eodem anno, quarto uidelicet calendas Martij, Fridericus Rheni Palatinus, Elector, annum agens ætatis suæ, lxxiij. moritur. Duxerat autem heroidem Dorotheam filiam Christierni Regis Daciæ & Schvuediæ, (q regno postea fuit amotus) in uxorẽ. Et cũ sine hærede obijsset, Dux OttoHenricus in ipsius locũ sufficitur.

Episcopi Treuirẽsis obitus.

Non multo post, Ioannes Treuirorum Archiepiscopus, Dominus ab Eysenberg, morte quoq; uitam commutauit. Erat eodem tempore D. Ioannes a Laien Vir sane ingenio excellentissimus, & in omnibus Imperij negocijs plurimum uersatus atq; peritus. Hic igitur in Archiepiscopum ibidem electus, succedit.

Cometæ trus culẽtus flatus & aspectus.

Calendis Martij Cometes rursus pallido liuidoq; ac luteo colore eluxit, ac primum quidem is sub uesperam, alijs nobis orientibus stellis, apparuit, motum ac statum per quam sæuum ac dirum præ se ferebat, & quo diutius eo magis feruere, serpere atq; perstringere uidebatur, nimirum uersus occidentalem plagam, ortumq; solis anteuertens, sæpius sub autotam cernebatur. Eodem anno tantus ubiq; æstus erat, ut plerisq; in locis satis profundi & ampli lacus, inde penitus exiccarentur.

Origo belli inter Pontificẽ Romanũ, & Hispaniarum Regem.

Eodem fere tempore quum Paulus quartus Pontificiæ Dignitati inauguratus esset, cunctos ad se euocat Romanæ Ecclesiæ clientes seu beneficiarios, ut Romæ (more consueto) Clientelam suscipiant. Extitit tunc tẽporis inter alios Principes Clientes quidã nomine Marcus Antonius Colũnanus, qui nõ satis fidebat Pontifici, ꝓpterea q̃d ante annos aliquot Charissimus sibi ac cõiunctissimus amicus, Neapoli orta seditione perijsset. Columnanus igit ad edictũ & petitionẽ Põtificis Romã minime uenit, quin potius Neapolim ꝓfectus ibidẽ permansit. Ideo Pontifex omnẽ illi dominatũ eripit, & Friderico Caraphæ nepoti suo tradit. Columnanus querelã ad Regẽ Philippũ Cæsaris filiũ desert eiusdemq; opẽ implorat,

memo-

memorē interim faciens diuturni ac fidi illius obsequij patri suo Cæsari exhibiti. Igitur Rex non ingratus nec immemor, Pontificem ipsum per Ducem Albanum Proregem Neapolitanum benigne admonitū oratumq; uoluit, ut Marco Antonio suum principatum reddat. Pontifex uicissim proponit se quidem minime debere rationem ex parte subditorum suorum hac de re saltem reddere, ac ita bellum inter utrumq; exarsit. Albanus conscripta militia Romam omnibus uiribus contendit, Velitras quondā Volscorum oppidum nobile, Tyburim quæ sedecim milibus passuum a Roma distat, & Ostiam quod in ostijs Tyberis sita sit, ciuitates expugnat, & infra, omnia loca passim tribus pene miliaribus Germanicis a Roma distantia & ad eum locum sita, ubi scilicet Tyberis mari Oceano influit, in commodum suum occupat. Pontifex interea suppetias & auxilia abs Rege Gallorum postulat, qui Regi Philippo scribit, ut eas urbes quas Dux Albanus Pontifici ademisset, eidem restituat, alioquin expectaret illius quoq; nomine inimicitias. Cumq; Gallorum Rex metueret, ne forte Roma a Cæsarianis capiatur, manipulos aliquot Gasconum Pontifici subsidio in Italiam mittit, qui cum Pontificijs Ostiam & adiacentia loca iterum recuperant, ac Romam obsidione liberant. Belliū Albano Duce geritur. Roma liberatur.

Quarto nonas Septembris, Valida quædam tempestas Lucarim Heluetiorum inuasit. Primum enim spiritus procellosi & turbines undiq; horas circiter quinq; ante meridiem urgebant, ut etiam parietes & macerias deijcerent. A prandio uero fulgura & tonitrua tanto impetu ferebantur, ut singuli quiq; uererentur ne totum funditus territoriū intereat. Hæc inclementia cœli iiij. horis desæuijt Riuus ille quē Rœmon appellant, sic aquis intumuit, ut simul ædificia multa, multasq; arbores radicitus subuerteret, & per campos sese diffundens, ac si uastum quoddam esset mare tandem summa uehementia perrupit, homines ac iumenta non pauca demergens, domos quoq; integras demoliens, ita ut magnam cladem & iacturam uicinis etiam locis inferret. Tempestas.

Die xx. Septembris (meminit Sleidanus die i x.) Adolphus Archiepiscopus Coloniensis, e Comitibus a Schauuenburg, Princeps sane Christianæ & Catholicæ pietatis cultor assiduus, fato concessit, Christoq; in pace Ecclesiæ spiritum reddidit. Et xxvi. Octobris frater suus Anthonius in successorem creatur. Adolphi e Comitibus a Schauuēburg nbiorū Archiepiscopi obitus.

Calendis Decembris Ferdinandus Romanorum Rex ad Co

mitia Ratisponæ dicta uenit, & quum Principes Electores, aliorũ item ordinum consiliarij & oratores, negocio religionis tot ins cumberent, & urgerent, quo nimirum illud primum omnium in consultationem proponeretur, tamẽ ne exigens & summopere necessarium illud alterum, pro destinandis in Turcam auxilijs pospo neretur, placuit prius illud per Delectos agitari, seruata tamen sen tentia ac uigore Decreti Augustani pro pacificatione religionis, & aliarum huiuscemodi causarum confecti.

Comitia Ratisponæ habita.

Interea cum Gallorum partes in Italia multum accrescerent, eo feruentius bellum ipsum exarsit. Propterea Francorum Rex collectis undiquaq; copijs, Ducem Guisanum Lotharingum, cum amplissimo exercitu in quo uiginti milia peditum, & quatuor equitum milia erant, in Italiam in auxilium Pontificis contra Cæsarianos mittit. ij igitur cum in exordio anni tunc deinceps sequentis Valenciam (quæ itinere diei unius a Mediolano distabat) peruenissent, transitum petunt, promittentes nemini se nocituros. At re cusat . . . hac lege transitu, & nonnullis ex his cum arietibus depulsis, inuicem ad oppugnationem hortantur & animant, & capta ciuitate ulterius per dominium Ducis Ferrariensis uersus Bononiam, castrametati, Romam perueniunt.

. . . a in Alba . . . editio . . . sano

Valencia Insubriæ a Gallis expugnata.

Hoc eodem anno mulier quædam abiecta & reproba Dorothea Lazczka, Christiana (modo tamen eam Christianam dicere debeamus, quod emulatrix potius Iudæ fuerit, deteriusq; facinus in Redemptorem & Seruatorem commiserit) in Sachazeto op pidulo quodam Episcopatus Posnerani, ab arce Louitz uulgo dicta spacio trium miliarium Polonicorum dissito, extitit, quæ Iudæo cuidam Bisheim ibidem, id est, nomine Benedicti uocato, annis aliquot famulata fuerat. Hanc interea temporis Iudæus ille interpellauerat sæpius & instigauerat, ut ipsi augustissimum altaris sacramentum, quod est uerum corpus Domini nostri IESV Christi, dum Christianorum more communicatura esset, ex Ecclesia abditum perferret traderetq;. In cuius rei compensationem pro mittebat se crocoton rubro colore tinctum, ac sericis fimbrijs uel institis obductum & ornatum illi daturum, adhæc etiam tres daleros. Igitur hanc couentionem impia illa fœmina accipit, & quod contumeliose spoponderat, multo deterius & damnabilius reipsa præstitit. Nam in per uigilio Paschæ anni currẽtis, Iudæi tantisper relictis ædibus, in pagum quendam Cotzo dictum secessit, Episcopo sub-

Miraculum diuino numine proditum.

po subiectum, ubi inter alios & cum alijs communicantibus mensę dominicæ impœnitens & sine confessione se adsocians, augustissimum Christi corpus percipit, quod cum parumper in ore continuisset, mox de n extractum sudariolo inuoluit, seruauitq; donec feria tertia Paschæ Sachazetum reuersa Iudæo hero suo tradidisset. Quo facto tres alij Iudæi huic oppidulo uicini, uidelicet Michalecus, Sachaus, & Iosephus, hunc crebro memoratum Iudæum conuenerunt. Et sacrosanctam Eucharistiam in suam Synagogam deferentes, pugionibus & cultris eam confodiunt. O ineffabilem Iesu Christi clementiam, bonitatem, misericordiam, patientiam & sapientiam, qui etiam inter manus suorum aduersariorum mirifica designare opera nequaquam destitit, quo incredulitatem ipsorum corrigeret ac emendaret. Nam & hostia illa Christi uerbo consecrata, tota confestim cruenta, copiosum sanguinem hausit. Quod perfidi Iudæi cernentes, cocleari sanguinem undiq; stillantem in uitreum calicem colligunt. Hoc profecto facinus ac piaculū execrandum diu latere non potuit, sed omnibus manifestum (quo modo ignoratur) euasit. Certissimum plane & indubitatū est, id potius nutu diuino, quam humana contigisse industria. In primis autem scelerata illa mulier Sachazeti corripitur, deinde Iudæus ille prædictus, qui acerbis quæstionibus addicti, imo uero libere alioquin & sponte factum omne confessi sunt. Huius porro rei certior effectus Poloniæ Rex, qui tunc temporis Vilnæ totius Lithuaniæ metropoli degebat, mox e uestigio ciuitatis illius præfecto secundario præcipitur, ut causam omnem diligenter ac integre examin t, quā si hoc modo habere se ut denunciatū fuisset, comperiret, in eos capitaliter animaduertat, quotquot rei ac conscij forēt illius horrendi piaculi. Post hæc nono Calendas Maij Dorothea & Iudæus carceribus mancipati, & tormentis examinati, tandē feria sexta proxime ab Ascensionis festo publice flammis exusti sunt. At ubi primarius ac generalis illic pfectus D. Andreas Palatinus Rauensis Iurisdictioni memoratæ urbis obnoxius, reliquos illos Iudæos Iosephū uidelicet & Sachaum (nam Michalecus fuga iā erat elapsus) insuper etiā Iacobū Benedicti Iudæi nuper exusti filiū (qui ex impia illa Dorothea prolem, sed sine baptismi sacramento defunctam & paterno inhumatam sepulchro, sustulerat) a secundario præfecto certis rationibus adducto Placentiam Poloniæ dimissos (ubi primarius ille præfectus moram trahebat) intensa actione criminosa ad extremum edicto Regio, impietatis primū conuictos, mortis reos

 decernit,

decernit,& productos in Plozio calendis Iunij ignibus consumit. Neq; uero id quenquam latere debet,quod male feriata illa Dorothea,cum abditum gereret modo prædicto uiuificam hostiam, & Gotzlauia in uillam Iatzcam iter domum uersus confectura uenisset,a canibus Georgij cuiusdam Lazezki patris inibi familias intercepta sit,qui tanto fremitu uestes illius inuolabāt, ac lacerabant, ut pene ad terrā prosterneretur,diuino forte permissu:Nec abiuisset illæsa nisi succurrissent famuli domus,sed discerpta membratim horribilem luisset mortem. Porro si temporis quo nimirum horrendum istud perpetratum est scelus,ratio habeatur,diuinius quiddam fideliter contemplanti succurret. Siquidem eodem tempore Pontifex Maximus legationem ad Poloniæ Regē destinarat,quo animos subditorum a schismate clam ac pedetentim excrescente liberaret,atq; ita uicissim ad unanimem Ecclesiæ Catholicæ fidē induceret.Quidam enim communionem sub utraq; specie magnopere ambibant, quos Deus singulari prouidentia (qua suam administrat,curat & conseruat Ecclesiam) huiusmodi stupendo miraculo illustrare uoluisse uidetur,curiositatemq; ipsorum aut uerius incredulitatem tacite repræhendere. Si nempe hostia diuino ac sempiterno Dei uerbo consecrata,caro Christi uiua est, nec exanguis, ut in hoc quoq; tremendo miraculo,cernere licet, tantū utiq; sumet is qui sub una specie Christum manducat,quantū is qui sub utraq;. Nam uterq; totum Christum communicat. Vtinam id sedulo attendant omnes, nec temere sacramentū istud quærulosi ut quondam Israelitæ in deserto fastidiant, quin potius gratitudinis ergo beneficium tantum agnoscant,colant,suspiciantq;.

An. 1557. ANno a partu uirgineo M.D.Lvij.die xxi.Februarij,Redintegrata passim per Angliam Christiana Religione,ijs successibus atq; conatibus de quibus paulo supra dictū est, Cardinalis Polus,zelo labefactatæ religionis, Martini Buceri & Pauli Fagij cadauera & ossa iubet apertis sepulchretis effodi & cōcremari,quod indigni essent sacrato inhumari loco. Nam in templo Deiparæ uirgini nuncupato,humo conditi erant. Quod quia hoc modo ac alio prophanatum uideretur,præcibus, benedictionibus, lustratur, atque sanctificatur,sordibus eliminatis,ut quondā Neemias & fortissimus ille Iudas Machabæus in Ierosolyma.

Buceri & Fagii cadauera effossa, & exusta.

Eodem fere tēpore,magna rei frumentariæ inopia, Germaniā secundam

secundam potissime ubiq; locorum diuexauit, in tantum ut homines non pauci hinc inde fame excruciati misere prohdolor & acerbissime perirent. Diuturnum quippe bellum. continuæ depopulationes, & exactiones, ut facile colligi potest, omnes fruges & prouentus deuorarant, agri amplissimi inculti manebant, arua squalida iacebant, sementem facere in confinijs nemo propter quotidianas incursiones audebat, nam & fruges quæ uix ad maturitatem peruenerant ab equis & iumentis alijs altilibus consumebantur, horrea & coloniæ erant exustæ, imo uix casæ & tuguria usquam in confinibus stabant. Sed cum ex Austriaco mari, per Liuonios & Olsatios aliosq; qui in linea Rheni morabantur frumenti copia ingens adueheretur & fertilitas anni istius messem bonam & abundantem præstaret, annonæ caritas sese pedetentim remittere cœpit. Magnam tunc Hispaniarum Rex Philippus in pauperes eleemosynam contulit, quippe qui in horreo publico tria fere milia pauperũ aluerit, & dum dimittendi essent post menses aliquot, commeatum tribuit.

Fames & inedia.

Eleemosynæ largitas.

Quinto Idus Martij. Decretum comitiale, præsente Romanorum Rege Ferdinando, Principibus item Electoribus & cæteris Imperij proceribus, ordinibusq;, palam recitatur. Cuius hæc præcipua fuere themata: Principio quantum ad negocium religionis spectat, Quorundam propositum certas & urgentes ob causas tanquam inutile & incommodum refellitur, qui putabant Concilio Nationali, uel communi quodam ordinum Conuentu, religionis controuersiam dirimi posse. Quandoquidem coram ibidem testatũ est, nullam aliam magis ordinatã uel prudentiorem, æquioremq; methodum superesse, & imitari posse, quam œcumenicum & commune Concilium, quemadmodum etiam Catholica Christi Ecclesia priscis temporibus ad hæc usq; tempora obseruare consueuit, quo quidẽ imperfectiones & defectus in casibus religionis corrigebantur, & emendabant, quo deniq; quid agendũ quidue fugiendũ decernebatur, pace conciliata. Quoniam autẽ huiusmodi generalis Synodus hoc pſertim tempore (ob uaria infortunia, & quotidie pene incidentia mala, qualia sunt hostiles illæ incursiones & stratagemata inter Christianos prohdolor Principes sæuientia) institui difficulter queat, multo sane minus ad optatũ finẽ pduci, idcirco uisum esse Romanorũ Regi, & Imperij Dynastis & ordinibus tanq̃ cõmodum ac necessariũ, ut nimirũ utrinq; conueniant Viri docti

Decreti Ratisponensis recitatio & themata.

& pacifici, qui Colloquium benignum & irrepræhensibile ineant, ubi quicquid ageretur & postea Regiæ Maiestati, Imperij quoque ordinibus proponeretur, quo in sacrosanctæ religionis negocio ad determinationē usq; generalis uidelicet Concilij pacifice & Christianæ quisq; uiuat, ratum sit atq; firmum.

Deinde placuit, Principes Electores & communes Imperij Ordines, periculum & discrimen a Turcarum tyrannide propendens, considerantes, suppetias & auxilia in inueteratum Orbis Christiani hostem mensibus octo conduplicare, quæ quidē suppetiæ & auxilia pecunia non autem copijs fieret, sicuti hoc ipsum in Imperiali Decreto latius exprimitur.

Tertio constitutum est inibi, fide bona ac integre Decretum & redintegratam patriam illam pacificationem nuper Augustæ conditam, obseruare.

Adhæc legati uel Commissarij Regis ultima mensis Maij proxime futura, Spiram mittantur & Camerales ibidem examinent.

Postremo ijdem illi monetalem siue Numariam rationē ac ordinem sibi proponant, & quid uideatur operæpretium fore, diligenter & pro uirili inter se consultent, Qua de re iudicium suum in proximis comitijs ferant.

Mense Iunio, xvi. die, Quidam ex Sacri Imperij Electoribus & Summatibus, Francofurtum uenerunt, componendi dissidij illius causa quod inter Hassiæ Lantgrauium & Comitem Vuilhelmum Nassauium intercesserat propter comitatum Catzenellebogen.

Per idem tempus, Gallorum collectis e Germania triginta duobus militum signis seu uexillis, in Picardie cōfinia, instructis xxx. milibus peditum, equitum uero quatuor milibus transit, ubi oppidula & munitiones aliquot recuperat. Hispani qui ibidē præsidio erant, trucidantur, plurimi etiam ex his cum toto municipio in captiuitatem abducti sunt.

Expeditionis Regiæ Dux Pedemontanus.

Interea Philippus Hispaniarum Rex, Emanuelem Philibertū Ducem Pedemontanum, tanquam suum Primipilarem, copijs, amplissimoq; commeatu & omnigeno apparatu instructum in Picardiam mittit. Qui undiq; & circunquaq; in limitibus, ciuitates, & arces inuadit occupatq;. Tandem iter secretius & quasi incognitum more palantium ingressus, ad fanum D. Quintini peruenit, ubi & castra fixit, tanquam obsidione Ciuitatem uallaturus. Quod cum intellexisset Magister Equitū (quē Connestablium uocant) primus belli

belli Dux, cogitabat haudquaquam inutile fore, si oppido illi de cõmeatu & præsidiarijs alijsq; necessarijs rebus prospiceret. Verum cum hæc res periculo minime uacaret, propter apparentem hostiũ conatum ac uim, exercitũ instruit, & adsociatis sibi triginta duobus Alemannorum militibus, Rhenicomitis Imperio creditis atque subiectis (qui eiusdem indicio ad undecim milia & centenos aliquot recensuerat, lustraueratq;) insuper omni milite Germanico quemcunq; Rex ipse tum temporis in suo haberet regno, conscripto, præterea xxij. Gallorum & Gasconum partim, manipulis uel turmis (uexilla nominant) collectis, & equitum quinque fere milibus, inter quos octingenti sagittarij Germani, quatuordecim bombardæ, quæ propemodũ omnes serpentinæ, demoliẽdis muris idoneæ, erant, his inquam hoc ordine ac numero compositis, copijs & cunctis apparatis tanto bello gerendo, castra ducit Conestablius in æditiorẽ locũ, sperans tantis suppetijs ac uiribus, obsessis succurrere, & nepotẽ suũ Regni Limenarcham (quẽ Ammiraldum nominant) liberare; quippe qui ciuibus præsidio futurus simul obsidione cingeretur. Sed is cũ animaduerteret rem sibi pro uotis neutiquã succedere, & turmatim per hostiũ castra classicũ canere cœptũ fuisset, adeoq; ad pugnã paratissimos eos uideret, exercitum in obiectas hostium turmas pergere iubet, peditesq; præire cum arietibus. Vicissim autẽ Dux Pedemontanus quippe qui partes Regis Hispaniarum in castris ageret, omnem equitatum in hostes dimittit. Præerat autem Comes Egmondanus armaturæ leuioris equitibus, Princeps rei bellicæ peritissimus & robore animoq; fortissimus, qui cum Ducibus Ernesto & Ericho Brunsuicensibus, & alijs nempe comitibus, Petro Ernesto, Mansfeldico, Ottone Schaumburgico, Horneñ. & Vuittgenstenio, cũ his inferioris Germaniæ combennones & totius pene exercitus manipuli singuli, exceptis Schvuartzenburgici & Borneburgici Comitum militibus, & media Hispanorum parte dempta. Nam sic acies instructa & ordinata erat, ut ex singulis cuneis & stationibus aliqui ad mediam forte partem pro castrorum munitione, remanerent. Hi igitur animo intrepido procedunt in hostem, & ex improuiso, primo congressu quinq; milia (qui forte commeatum adducturi abierant) duobus ultra ciuitatem miliaribus adorti, die x. Augusti comprehendunt. Ex quibus eo loco tria milia ceciderunt, ab Hispanis uelitibus & Lancearijs Germanis, urgentibus equitibus trucidata.

Conestablij expeditio.

Conflictus. Mox deinde Galli undiq; conclusi & intercepti, nullam euadendi fugiendiq; rimulam uidentes, nec ullam spem salutis superesse si co
Victoria. minus pugnent & resistant, hostibus reliqui se dedunt. Nam & catapultas omnes abstulerant, & septuaginta post edita tot funera, tantaq; strage, Equitum signa, peditum quoq;, obtinuerant. Por
Captiui. ro præcipuus captiuorum catalogus hic est. In primis uero Connestablius Franciæ, qui etiam in conflictu uulnus sclopo in femore percussus, acceperat, deinde Dux Monpensier, Marschalcus S. Andreæ Regi primus a cubiculis, Vicecomes a Tutaine, Connestablij nepos, qui multis tormentarijs ictibus confossus, quinto post die in castris Ducis Erichi moritur. Præfectus item xxxij. signorum, Dñs a Monbron, iunior Connestablij filius adolescens xvi. uel xvij. annorum, Dominus a Iasijlli, Præfectus nobilium, Gallorum Regis in ultima statione, deniq; Rhenicomes & multi e suis satrapis alijq; plurimi nobiles, Duces, Comites, Barones, & milites maxime equites & quiq; fortissimi. Rex Philippus comperta hac tam splendida & magnifica uictoria in castra uenit, & tota belli uis in expugnatiouem urbis Sanquintini conuertitur, & uicesimo post die Augusti, capta & spoliata fuit. Ammiraldus uero cum socijs, ut pote Domino Iarnaco, alijq; conplures antisignani, satrapæ, ciues quoq; & nobili genere nati, capiuntur. Porro Philippi Regis pietatem ac religionem, imo humanitatem & magnificentiam præterire nec debeo nec possum, quippe qui etiam ab hostibus laudatus fuerit, harum uirtutum causa. Prius etenim quã ciuitas ex-
Religio & clemētia Philippi Regis. pugnanda esset, præconis uoce suos hortatur & mandat, ut Dei meminerint & sacramentorum ipsius, ne uidelicet sacra prophanent, ne quid in reliquias corporis ibidem sancti Martyris Quintini cõmittant, ne sacerdotibus iniurijs afficiant, Senioribus parcant, Cœnobitas ac uestales ne lædant, aut opprimant. Præterea quũ ex urbe imbelles quiq; dimitterentur liberi, curribus impositos per media castra in Franciam deduci iubet. Germanum militem superatum in gratiam recipit, quem etiam in patriam (datis ad custodiam militibus) deduci uoluit. Vnicuiq; uerò, pro uiatico aureus dabatur. Gallos quoq; captos per ciuitates custodiri præcipit, qut meis uidi oculis, passim humaniter & alicubi laute tractabantur. Postremo pro parta uictoria Deo gratias agit maximas. Nam ut primũ ea sibi denunciaretur, Cameraci, in templis ubiq; laudes Deo percelebrare mandat. Moxq; totus Clerus solenniter Canticum Matutinale,

tinale, Te Deum Laudamus &c. personat, totaq; ciuitas letitia perfunditur, magnumq; per aera clangorem campanæ spargunt. Mendicantibus ibidem cœnobijs & alijs sacrorum ministris pro laudibus Deo dictis largissimas confert eleemosynas.

Pauloante diximus Romanorum Regem & communes Imperij status, Colloquium quoddam pacificum instituisse, quod quidem fuit Vuormatiæ, nimirum inter antiquæ uel auitæ, uere, Catholicæq; religionis, unius partis nomine, & Augustanæ Confessionis alterius uidelicet partis, doctos & delectos. Igitur reliquæ factiones omnes, & Sacramentarij ab eo exclusi sunt.

Atqui uero iam inde Augustana Confessio, ab anno scilicet xxx. supra millesimum & centesimum, multis ac uarijs in articulis immutata, deterior & perniciosior satis alioquin pestilens, euasit. Nam pluribus tamq̃ diuersis & nouis, adeoq; peregrinis, imo contrarijs est admixta sectis, inuoluta & intricata, adeo denique perplexa, ut uix constet, utra sit uel non sit uera Confessio Augustana, imo uero hac de re Protestantes uel Confessionistæ altercantur & disputant inter sese. Quidam enim uolebant Zvuinglianam & Caluinianam professionem, quæ tamen Sacramentaria est, sub Augustana Confessione contineri posse. Alij nonnulli (quos Saxones denominant) Luthero addictiores, exosos penitus habent sacramentarios, quod Lutherus ipse quondam in illos inuectiua scripserit.

Augustana Confessio multorum capitũ ceu hydra quędam poetica.

Similiter & alij adhuc sunt sectarij qui de Augustana potius q̃ Christiana gloriãtur, hi uidelicet qui se Hosiandristas, Schvuenckfeldistas, Flaccianistas, Maioristas, Vesianistas, Adiaphoristas, Antiadiaphoristas nominãt, & plures huius turbæ & colluuiei homines, qui tametsi suam prorsus originẽ ex Augustana Confessione sumpsisse uideantur, maxime tamen inter se dissentiunt, nec cor unum omnium est, aut concors sententia (qualis est credentium & Ecclesiæ) sed quot illic capita, tot sensus, quot homines totidem sententiæ, & studiorum milia, quemadmodum profecto ex cõcionibus & libris ipsorum (quibus uelitationem satis asperam in inuicem exercent) cernere licet, nã & istud luce meridiana clarius est, adeo ut hæc Augustana Confessio (quæ prohdolor plurimum negocij, tum Cæsareæ sacræ Maiestati, tum Dynastis Imperij facessit) opus sit plane pertusum, pfractum, hiulcũ atq; rimosum, q̃d architectus illius in ira ædificauit, & cæteri cooperatores destruxerunt, ac tandẽ

propter dissidium contentionemq; uersutissimæ rei, nihil inde quã Babylonica quædam turris, & nedicam imperfecta, sed & infirma, & inualida (utinam mox ruinam passura) ædificatio succreuit. Miror sane cum tot inter hosce doctiſſior & uerbi diuini spiritu imbuti ut aiunt, D. Apostoli sententiã non rectius examinent, qui in priori ad Corinthios Epistola usqueadeo uitiligatores & hęrostraticam audaciam castigaturus, omnem Zelum & emulationẽ, omne schisma & discordiam prohibet. Viderint illi, & utinam resipiscant.

Res infecta. Cæterum Colloquium istud pridie nonas Septembris inchoatum quidem est, statimq; iurgium & schisma inter defensores seu potius dictatores Augustanæ Confessionis exortum est, ita ut quidam eorum nominatim sectas aliquot damnarent. Repudiati uero hoc modo, huiusmodi indigne ægerrimeq; ferẽtes, exarsit plus satis dissidiũ, sic ut Saxones per Vuittenbergicos a Colloquio fugarentur, & discederent indignati & confusi.

Pugna inter Augustanæ Confessionis socios. Hoc igitur pacto Colloquium priusquam prudenter recteque inceptum esset, lite & discordia Sectariorum dissipatum atq; conuulsum est.

Obitus D. Eberhardi Billicij. Hoc eodem anno, mense Ianuario, die xi. Reuerendus Sacræ Theologiæ professor, Carmelitarum per inferiorem Germaniam Prouincialis ut uocant, post exantlatos pro fidei Catholicæ defensione labores, studia & legationes, in Colloquijs, Comitijs, & nouissime Tridentino illo Concilio, cũ iam in manibus haberet Opusculum de componendo dissidio religionis, & in Suffraganeum inuitus (ut uere pronunciem) Episcopi Coloniensis Anthonij nuper electi designatus esset, in pace Christi & Ecclesiæ, uiuaci memoria, & mente in Christũ exporrectissima, post Sacrosancti uiatici perceptionem & Extremæ unctionis delibutionem, diem uitæ claudit extremum.

Cardinalis Caraphe infaustus aduentus. Sub finem istius anni Cardinalis Carapha multorum Episcoporum & magnæ Eruditionis uirorum frequentia stipatus a Pontifice Maximo ad Angliæ & Hispaniarũ Regem missus, Curiam nec auspicio nec omine dextro satis ac fœliciingreditur. Nam insignis illa & splendida domus quæ ei diuersorij loco assignata fuerat, Episcopi Cameracensis Curia miserabili prorsus incendio sub noctem conflagrauit, non absq; graui damno, pridie calendas Ianuarias.

Anni

ANni dein sequentis M.D.Lviij.Galliæ Rex omnẽ suum exercitum,Machinas bellicas, omnẽ denique apparatũ, quem in Picardia & circa Boloniam in oppidis & castris dispofuerat, sine mora & quam celerrime, durante adhuc gelu,colligi & uersus maritima loca dirigi iubet, ac tandem præter spem & omnem expectationem Caletium portũ ac aditum firmissimũ cõmodissimumque mercatoribus in Angliam profecturis,& Flandris confinem ciuitatem,cis mare,properat. Quã mox e uestigio pductis copijs & classibus obsidione cingit,& incessanter iaculationibus pulsat & obruit, & quum de cõmeatu parum (ut fertur) esset prouisa,nec tot præsidiarios haberet,qui tantis copijs sufficerent propulsandis deditione illam decimo die sui aduentus & obsessionis capit. Aiunt ex pacto potius quod inierat præfectus ciuitatis Anglus,cum Rege Gallorum,traditam esse. Capta igitur ciuitate ulterius castra mouit & ad oppidulum Hames dictũ,non ita procul ab urbe iam expugnata situm,applicat,& occupat. Hinc arcem munitissimam Guinensem de facienda deditione tentat, uerum difficulter admodum recipit. Nam Antesignanus cũ suis Stationarijs tam dextre,fortiter ac impigre in hostem dimicat & iaculatur,ut Gallos manipulatim dejiceret,sterneretque. Postremo cum se proficere non posse cerneret, deditionẽ patitur,grauiora ueritus. Sed & Rex admiratus constãtiã illius,fidem & robur se & socios liberos plane cum armis ac bonis, erecto pariter uexillo & cum castrensi melodia,exire permittit.

An. 1558.

Caletium expugnatum.

Constantia Antesignani Guinensis.

Hoc insuper anno,Legati maximi nominis & Cõmissarij Cæsaris,Francofurtum ad Principes Electores corã Ferdinando Romanorũ Rege congregatos uenerunt,eius inquã legati qui xxiij. Februarij D.Mathiæ sacro die Gandaui totius Flandriæ metropoli & emporio celeberrimo natus est, Patre Philippo Rege Castiliæ &c. Imperatoris Maximiliani Filio, quo etiam die post annos xxxiij.Franciscũ Valesium Francorum Regẽ in roborario Papiensi, p suos belli Duces captũ uiribus ac Dei potius subsidio & gratia fretus obtinuit,qui ante annos xxviij. a Pontifice Max.Clemente septimo Bononiæ gratiosæ, in Romanũ Imperatorẽ coronatur,cuius deniq; frater Vngariæ Rex,Ferdinandus,in Regẽ Romanorũ Pragæ inauguratur. Huius igitur tam gloriosi Principis ac Inclytissimi Monarchæ solennes oratores Viri Proceres, legationẽ renuntiaturi ac suo nomine ultro eiuraturi Imperiũ, instrumentũ ea de re confectũ proponunt,hac uerborum serie conscriptum:

Legatio pro Eiuratione Imperij.

CAROLVS DEI GRATIA, ROMANORVM *IMPERATOR, SEMPER Augustus.*

IMpartita pro suo more Salute & beneuolentia, Principibus Electoribus in unum congregatis insinuent. Posteaquam ipse diuina prouidentia, superioribus annis, per unanimem ac legitimam Principum electionem, ad summam dignitatem & administrationem Imperij uocatus esset (cui nihil perinde curæ sit, Deo & Conscientia sua teste, quam ut Dei cumprimis honorem, communem Reipub. Christianæ, statum, & Germaniæ prosperitatem atq; salutem promoueat) uelle quidem se reliquam ætatem diuinitus concessam, perlubenter, communi Ordinum celeberrimo cœtui & subditis impendere. Sed cum iam grandæuam utcunque & exoletam ætatem attingeret, & multo nunc tempore, ex uarijs & tœdiosis infirmitatibus elanguisset, unde imbecillior quoque effectus esset, consideraret insuper magnitudinem periculorum & necessitudinum totius Christianismi, præcipuæ uero Germaniæ, hoc nimirum seculo fraudulento & inueteratissimo, tot dissidijs & scismatibus prorsus exitiosis turbato, interea uero de hac sua imbecillitate, & impotentia, quicquam subsidio destituatur, uel etiam communis ipsa Respublica aliquo modo damnum sustineat, quod sane ignominiam sibi parere & Conscientiam suam grauare posset, præterea ex quo diebus nuper transactis, omnem mundanam administrationem, Regna, Principatus & dominia, dilecto charissimoq; suo filio Philippo Hispaniæ Angliæq; Regi, legitimo & unico hæredi tradidisset & obtulisset, ea propter haud iniquum quãtum ad Imperij administrationem pertinet, iudicasse, si declaret atq; testetur, Serenissimũ Potentissimumque Principem, Dominum Ferdinandum, Romanorũ, Vngariæ, Bohemiæq; Regem, interposita uniformi et legitima Procerum Imperij electione, suum in Sacro Imperio proximiorem esse ac fore successorem. eidemq; Imperij illius ditionem immediate competere et cõuenire, apud quẽ etiã omnẽ laude dignã opẽ inuenisset.

Fatebatur

Fatebatur quoque eundem ipsum ingenio acutissimo, & omnigenis uirtutibus Regiæ Maiestati dignis diuinitus præditum ac ornatum esse, adeoq; hauddubie aliud nihil ex futura sua administratione expectandum sperandumq;, quam tenacissimam pacis custodiam & conseruationem, omneq; quod potest optari, adhæc mutuum & fraternum amorem, fidem & sinceritatem quam expertus esset, per omnia probat atq; commendat. Quæ quidem omnia non solum suus animus, alacritas, solatium, & uoluptas suppeterent, uerumetiam singularis instituti sui & extrema definitio multo facilius efficerent.

Præterea decreuit apud se, diuino numine implorato, eiusdemque fretus auxilio in Hispaniam se recipere. Et quo negociorum rationem ac ordinem curaret, neue Sacri Imperij honos, reuerentia atque maiestas neg'geretur, quin potius res omnes, optime integerrimeq; gubernent, ac moderent, prouideant & exequant: maximopere necessariũ existimauit, ut prius Sacro cedat Imperio, eiusdemque titulo, Nomine, Dignitate, Sublimitate, Sceptro atque legibus & iurisdictione, quam in id habuisset, & adhuc haberet, atq; ita fratri suo dilecto, Romanorum Regi, libere, uoluntarie, omnino & integre cōmittat & resignet, sic ut is hæc omnia Imperij iura in se recipiat & deinceps habeat & gerat, non aliter atque si ipse Rex solus superesset, ipse uero Cæsar iam humanis excessisset. Sed postquam huiusmodi res ad eos nimirum Principes Electores potissime spectare uideretur, nihil quicquam tentare absque eorum consilio & scitu, nec ante propositi sui uoluntatem uel sententiæ suæ arbitratum exequuturum, quam ipsi certiores fierent de statu totius negocij.

Huius ergo rei gratia, petere flagranter & obnixe, ut quod ipse grauissimis rationibus commotus effectum iri decreuisset, non solum suo ipsorum nomine & caussa, firmum & gratum habeant ac seruent, uerumet iam secundum tenorem & exigentiam huiusce negocij, Eiurationis & oblationis, in gratiam fratris sui Charissimi Romanorum Regis, & legationis suæ, nomine & authoritate sua quasi puta omnium solennissimam ad efficaciorē petitionis et desiderij sui effectum, & uicissim ipsorum condecorandam præsentiam, ac deniq; consessus ipsismet Principibus Electoribus dignā, obseruatuā(q̄ nullo penitus modo nec unq̄ imminuere aut uiolare cogita-

cogitarat) prosequendam. Quocirca postremo loco, uniuersis & singulis omnem animi sui candorem, obsequium in quibuscunq; Imperij commodis, peramice, ingenue, gratiose atq; clemēter pollicetur, probat & commendat.

Renuntiata hoc modo legatione, post deliberationem conditionum illarum, quas Romanorum Regi proponere uellent, tandem omnium suffragijs eorum quorum hoc interest Principum, Imperij maxima & sacra dignitas eidem defertur, quam confestim etiam in æde D. Bartholomeo nuncupata renuntiant, xiiij. Martij. Postridie uero Imperij proceres, duo clientela donantur, Palatinus uidelicet, & Saxoniæ Dux, quorum hic sub dio, ille in Imperiali conclaui. Altero post die Brandeburgicus Elector solita cum pompa, atq; splendore. die de in xvij. Martij, Conuentus Principum mense Nouembri dicitur. Ad extremum Cæsar nuper inauguratus, cum pluribus Imperij Dynastis, Francofurto domum repetit.

Mense Iunio, die uidelicet xviij. [illegible]arce Godesburgica Reuerendissimus in Christo pater & D. Antonius, in Archiepiscopū Ecclesiæ Colonieñ. & Sacri Romani Imperij Electorem creatus & confirmatus, uitæ pensum absoluit, & in æde sua metropolitana perhonorifice fraterno tumulatur sepulchro.

Septimo Calendas Augusti Reuerendissimus in Christo Pater ac D. Ioannes Gebhardus, ex illustrissimis Comitibus a Mansfelde in locum defuncti sufficitur, & in Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ, & Imperij sacri Electorem consuetis cæremonijs, omnibus fausta acclamantibus.

Eodem hoc anno Carolus quintus qui nuper Imperium ei urarat, suoq; fratri tunc Romanorum Regi uicissim probarat, ciuitate Iusto Castiliæ pridie calendas Augusti febrire cœpit quam uehementissime, unde & uitam auspicato initam, fœliciter & sancte transactam, beato quoq; fine clausit, quemadmodum & quidem latius ex subiecta Philippi Hispaniarum Regis Serenissimi epistola, animo per quam beneuolo ac integro ad Reuerendissimum D. Ioannem Gebhardum, nuper in Archiepiscopum electum data, perspicuum fieri potest.

PHILIPPVS


HILIPPVS Dei gratia Hispaniæ, Angliæ, Franciæ & utriusq; Siciliæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis &c. de prompta animi nostri, Reuerendiss. in Christo Patri, Domino Ioanni Gebharto, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo Electo, Sacri Romani Imperij per Italiam Cancellario, Principi Electori, amico cum primis dilecto salutē dicit, simulac de prompta animi sui beneuolentia & amicitia certiorem reddit. Quandoquidem amicorum loco te habeam, animi mei summum dolorē, mœsticiam ac luctum diutius nec dissimulare nec celare possum. Compertum itaq; habeas uelim, Romanorum Imperatorem Clementissimum Dominū, Patrem meum piæ ac gloriosæ memoriæ longe charissimum, acutissima & tridnana Febri laborare pridie calendas Septembris cœpisse, in palatio suo, Iusto Castilæ regni oppido, Deo ut iq; sic prouidente: Vnde tam grauiter prohdolor decubuit & elanguit, ut iam nullius consilio uiribusq; iuuari posset humanis, ac tandem a Deo Optimo Maximo pro infinita sua gratia & beneplacito, die xxi. mensis Septembris (qui Diuo Mattheo Apostolo sacer est) horam circiter tertiam & quartā mane ex hac turbulenta & miseriæ ualle in æternam quietem ac lætitiam suscipitur. Sed quemadmodum illud, ita & istud a uiris neutiquam uulgaribus, quin potius celeberrimis ac fide dignissimis accepimus, (qui huic ipsimet agoni interfuere) cum ipse sacramentis Ecclesiæ prius flagranti intentione, & Christiano penitus zelo, pura rectaque agnitione initiari cupiuisset, etiam percipit. Ad extremū quoque ijs perceptis, ultimoq; suo declarato desiderio ac uoluntate, uiuo cū intellectu atq; præsentissima memoria, egregiam plane, Christianam, salutarem, rationisq; compotem ac placidam deniq; uitæ suæ periodum & colophonem instituit. Cuius animæ Deus omnipotens & optimus propicius sit ac misereatur. Quoniam igitur exploratum perspectumq; habeam, quanto studio animiq; candore charitatis tuæ Diœcesin, tuosq; prædecessores piæ ac sanctæ recordationis, sit prosequutus, quodq; apud eos fidem & obedientiā parem inuenerit, futurum sine dubio spero, quod tua charitas ob memorata beneficia ex animo candido atq; syncero ad commiserationem sit commouenda. Nam quem communis & Christiana Respub. maxime tota ipsa Germania Dignissimū, charissimumq;

Ff Cæsarem

Cæſarem & Verticem, habere gauiſa eſt, ego autem eum fidum, clementem ac benignum Dominum ac patrem ſemper ſim expertus, & ob id modo ipſius obitu ſolatij plus & patrocinij amiſerim, fieri profectò nō poterit quin ipſe pro ingenij tui diuinitus conceſſi excellentia atq; candore hoc ipſum cum cæteris alijs cordatis & ingenuis uiris, ad amuſſim pro dignitate rei perpenſurus ſis.

Hæc igitur ſunt, quæ tuæ charitati peramice inſinuare uolui, quam uiciſſim ſingulari, fida ac integra prorſus amicitia ac fauore proſequi cupio. Datum in cœnobio uiridis uallis xvij. Nouembris.

PHILIPPVS.

Ppfintzinus.

Tranſitio. Narratum eſt autem prius de Gallorum irruptionibus & impetu, nunc quid deinceps actum ſit & geſtum, dicendum occurrit. Veriſimile quippe eſt, iniuriam & depopulationem Gallicam grauiter Philippum Regem Hiſpaniarū offendiſſe. Nam paſſim hoſtis inſtabat & Flandriæ oppida nonnulla ad deditionē iam coegerat, pagos uel exuſſerat, uel ære graui multauerat. Nihilominus tamen ob hyemis acerbitatē & obiecta mille alia diſcrimina, ut aliquid in hoſtem confici potuit, tantum ne latius euagaretur, cautum atq; proſpectum fuit, exercitu obuiam miſſo. Sed cum necdum aura reſpiraſſet propicia, nec duellium ſe commode offerret, utrinq; ceſſatum fuit, niſi quod incurſiones inuicem exercerent.

Arlaui & Direnhouij deditio. Interea uero nouo in Germania cōſcripto exercitu, Rex Henricus agrum Lucemburgicum inuadit. Arlunum nec ſitu nec natura munitam ciuitatem occupat, diripit, exurit ac fundi tus denique ſubuertit, paucis ibidem relictis monimentis. Dehinc toto impetu Direnhouium oppugnat, omnes machinas in eā explorat, tum quod munitiſſimum haberet præſidium, tum etiam quod ſtationarij collectis pariter uiribus inimicum debellare, iaculationibus infeſtare, ferire, ſternere, ac protelare non intermitterent. Sed quū penitus uiribus deficerent, nec poſtulatæ & expectatæ ſuppetiæ miniſtrarentur, inuiti hoſtibus ſe dedere coguntur. Atq; hoc modo oppidū quod inexpugnabile uidebatur, a Germano milite, Gallorum Regi ſubiugatur, ſed non abſq; cæde ſuorum. Nam ab oppidanis præſidiarijs manipulatim cæſi ac proſtrati ſunt plurimi, inter

quos

quos etiam nobiles aliquot Saxones & Hassi. Porro præsidiarij illi, iure deditionis dimittuntur incolumes.

Paulo post Bruxellæ quidam ex aulicis non infimi nominis capitis supplicio affecti sunt. Quid uero in causa fuerit uix scio. Rumor tamen erat literas esse uel interceptas uel adulteratas, Antesignani oppidi memorati, ad Regem Philippum uel e contra.

Galli igitur hac potiti uictoria, Lucemburgum obsidione tentata ad deditionem solicitant, sed omnino frustra ac temere. Siquidem ij qui Ciuitati præsidio erant, egressi in fugam illos conuertunt, cæsis aliquot, & machinis quibusdam ereptis. Lucemburgũ a Gallis tentatum.

Per idem fere tempus bellum magis magisq; incruduit & exarsit. Nam Hispaniarum Rex toties lacessitus, expeditionẽ in hostem, qui Grauelinga Dunckercam discesserat, xiij. Iulij mittit, præbitj committendi causa, quod quidem suo nomine Comes Egmondanus denunciaret, & cũ socijs Dynastis, qua posset uirtute ac robore, decerneret, cõficeretq;. Socij fuere D. a Bignicourt, Marchio Rhentius, Comes Reussanus, & alij complures strennui heroes. Verum re comperta Galli obiectis uallis ac plaustris, castra sua insigniter communierant. At uero eodem illo die nihil confectum est, præterquam quod cæsi sint trecenti Gallorum equites, qui per pagos irruebant, & depopulabantur. Egmondanis primum perarduum nec minus periculosum erat, in hostium castra irruere, propter assiduas eiaculationes, ita ut etiam equi caput, cui Egmondanus insidebat, subito collisum amputaretur. Quin & Galli aliquot, eo in conflictu occubuere. Postero dein die, prouocatis tota nocte Gallis, ad tertiam uigiliam classicum utrinq; canitur. Egmondanus igitur composita prius acie, suosq; adhortatus, tanta ui atq; feruore hostes adortus est, ut ipsorum turmas & stationes dimidiæ horæ spacio dissiparet, ac tandẽ diuinitus sibi cõcessa potitur uictoria. Conflictus. Prælium acerrimum. Comitis Egmondani magnanimitas.

Hoc prælio omnes Gallorum turmæ, & uexilla tam peditum quam equitum perierunt, omnes machinæ, quas partim ex oppidis nuper obtentis abduxerant recuperantur, omnes deniq; Duces belli, Comites, Nobiles, Præfecti, Mareschalci numero sedecim (inter quos nimirum erant 5. Equites ordinis Regis Galliæ) capti sunt. Posthæc die xv. eiusdem mensis, mane sub horam quartam Dunckerca manu bellica pertentata, in potestatem sui Principis, Hispaniarum Regis uenit. Galli, quod deditionẽ facere noluissent, ad tria fere milia trucidantur. Victoria. Captiui. Dunckerca recuperatá.

Ex castris Comitis Egmondani, Equites 1200. Pedites 2500. ceciderunt, tria quoq; milia rusticorum, qui non tam ingenio quã uirtute pugnasse creduntur. Sic Deus uicissim nunc huic nunc illi uictoriam confert, ne quis suis uiribus nimium credat, aut in se glorietur, sed potius in Domino Deo. Dehinc Comes Egmondanus residuum Exercitum apud se detinet ne forte succenturiatis insidijs, noua proditio alicunde suboriatur.

Noua in Gallos expeditio. Philippus Hispaniarũ Rex Gallo Duelliũ offert.

Post dies aliquot instructis copijs Rex Philippus in Picardiã castrametatur e regione Gallici exercitus, nihil perinde exoptans quam iniri prælium. Quocirca non semel Gallorũ Regi duellium offert, uerum is quoties, toties tergiuersatur & contatur. Nam sua castra circunquaq; quasi muris mœnibusq; communierat. Sæpius id Germanicus & Hispanicus miles, alijq; castrenses, conflictibus incursionibusq; tentarunt, attamen frustra. Atq; adeo factum est ut bellum quidem esse uideretur deinceps, at uacaret cædibus. Dubium non est, Galliæ Regem ualde perplexum & consternatum fuisse, quum Philippi Regis uictoriam & magnanimitatem, & Principum suorum captiuitatem in mentem reduceret, per quos sane rei nempe bellicæ peritissimos fortissimosq; Duces si non potuit, hostem superare, nec iam quidem poterit, tot tantis proceribus ac heroibus destitutus.

An. 1559. ANno partæ salutis M.D.Lix. Editus est ter quaterq; Iubileus a Pontifice Max. quo Deus ipse Principum animos ad uerã & diuturnam pacem inflecteret, quandoquidem humanis consilijs aut uiribus ea nec redintegrari nec haberi posset. Totus enim ipse reformationi Ecclesiæ incumbebat, quæ ꝑfecto sæuissimo durante bello inter eos uidelicet principes quorum opera & consensio ad eam rem cum primis necessaria forent, instaurari minime poterat. Quod autem Pontifex annis superioribus paci non sic affectus quin etiã bellorum ansam dederit, uideri queat, in causa fuisse aiunt, quorundam astutiam & callidas machinationes, quibus ipse tum plurimum tribuebat, quorum deniq; consilijs tanquam sinceris ac integris acquiescebat, fraude nempe comperta, parum fidos inspiratores uel consiliarios urbe pellit, inter quos etiam nepotes sui, Cardinalis Carapha, Dux Paleanus, Marchio Bellemontanus. Gubernatores & Præfectos non satis cordatos officijs amouet, uectigalia, census & id genus grauamina recens imposita, sordidosq;

Pauli 4. Pontif. Max. generosus iustitiæ zelus.

Curti-

Curtisanorum quos alij saccos beneficiorum nominant, tollit omnino. Symoniacos, Concubinarios, Effœminatos, & Iudæorum in urbe commercia, æditis publicatis decretis profligat, & ut ita dicã omnia religionis offendicula e medio sublatum iri uisum est. Hic sane conatus & iustitiæ zelus talem omnino decet Pontificem, cuius est præcauere, ne quid indignum pietate Christiana, uel huic cõtrarium admittatur, admissum uero castigetur, ad exemplum aliorum. Det illi Deus quod etiam atq; etiam optandum est, ut in eadẽ animi constantia perseueret.

Eodem hoc anno, sub initium ueris, serio ac grauiter, de pace inter bellantes Reges conciliãda, cœptum est agi. Idcirco amantissimi pacis, & consultissimi Viri Principes, & Consiliarij utrinque in arce Cambresiana conuenerunt, atq; his tandem iij. Aprilis, legibus & conditionibus pax renunciata fuit, quarum hic est elenchus: *Conuentus de incunda pace.*

Initio omnes conuentiones antea habitæ, fixæ ratæq; sint, atq; permaneant.

Deinde: Vtriq; Principes perfecte concilientur, & quicquid delictum sit, inuicem ignoscant, cum sincera attestatione, mutuæ amicitiæ, qua quidem inter se sint ita deuincti, ut eam tenacissime & intemerate seruent, contra uero id omne sedulo deuitent, quod hanc lædere ac uiolare queat.

Tertio promittant ingenueq; ac libere affirment, sese candido & conformi zelo communem Reipub. Christianæ salutem & cõmodum promouere uelle, & ad maius efficaciusq; huiuscemodi conatus, diligentiæ & grauitatis exequutionem & perfectionem curent ac satagãt, quo commune & Oecumenicum Concilium denuncietur habeaturq;.

Adhæc subditis ac socijs utrinq; liceat huc atq; illuc proficisci, in regiones, prouincias, & dominia passim, libere, tuto, & absq; ullo impedimento periculisq; ibidem negociari.

Præterea omnes Represaliæ utroq; in inuicem constitutæ denuo subleuentur, nec deinceps amplius concedantur. *Represaliæ dicitur, aliarum rerũ retẽtio, autoritate Principis uel ciuitatis pro recompensatione damni dati indulta.*

Insuper, omnia priuilegia & libertates quibus per Flandriam & Arthesiã Regis Hispaniæ subditi & socij in regno Franciæ usi fuissent & uicissim, redintegrentur confirmenturq;.

Dehinc bona subditorum utriusq; partis, ab una & altera parte inuasa & occupata restituantur, concessa eis possessione qui ueri

 proba-

probarentur hæri uel possessores, ijs etiã qui belli tempore alterutri parti meruissent ac militassent, remittatur, Neapolitanis tantùm, Siculis & Insubris exceptis.

Super his, prouisiones illæ, ratione sacerdotiorum siue beneficiorum (quorum potestas & collatio penes alterutram partẽ erat) iure belli contra ius patronatus abalienatæ, aut laicis applicitæ, etiam confirmentur & sanciantur.

Sub hæc Galliæ Delphino Creuecuer, seruato interim Groningæ Domini iure ac iurisdictione, restituatur, & inauthoretur.

Decimo loco additur. Infanti Portugalliæ, Reginæ quondam Franciæ heroinæ Leonoræ filiæ, accuratio fiat, quod posthac sine omni contradictione uel impedimẽto eo ipso nimirum q̃d uiduatu matris suæ probæ memoriæ relictum est, uti accipereq; possit.

Vndecimo uero cõuentum est loco, ut Hispaniæ Rex, Fanum Quintini, Hanum ciuitates, & Castelletum reddat, econtra Rex Galliæ Theonis uillã siue Ditenhousium, Marieburgum, Iuoiũ, Danuillerium, Mantmodium, in summa, quæcunq; alter ab altero obtinuisset, interim uero nulla prorsus fiat demolitio.

Tantummodo utriq; parti, ex his instrumenta bellica omnemque apparatum & commeatum secum efferre liceat, & hoc modo munitiones illas restituere.

Duodecimo pactum est, ut idem Rex Teruannum eo in statu & forma in qua modo sit, tradat, sed ratione siue lege talionis Iuzi excidium fiat, mœniaq; cum turribus & munitionibus solo æquantur, nec deinceps munimentum ullum ad passus circiter mille ibidem superstruatur, uti nec iuxta uel circum Teruannum.

Conditione xiij. statuitur uidelicet, Arx Bullonensis Episcopo Leodiensi, cum alijs sibi ereptis uel ademptis pariter, ut hodie est, reddatur.

Huic xiiij. subiecta hanc in formam: Hesdinum cum tota satrapia siue præfectura, Regis Hispaniarum tanquam suum antiquitus possessum patrimonium, omnique iuri quod in id sibi asscriberet, Rex ipse Gallorum, cedat, liberumq; dimittat.

Adhæc bona & reditus qui annue Abbati ad Sanctum Joannẽ Heltmontensem ex Francia, ubi & bona illa sita sunt, competerent, & uicissim ea quæ alteri abbati ex Hispania, recipiant, liciteq; ac libere gaudere & uti possint, omni sublata controuersia inter disceptatores seu cõmissarios utriusq; partis. Interea quoq; Represaliæ ut

uocant,

vocant, quæ Abbatibus ad Sanctũ Vastum Atrebati, ad Sanctum Bertinũ in Fano Odomari impositæ essent per Franciam, abrogentur. Abbati deniq; Bapalmensi dominium liberũ ipsi sit atq; cedat.

Insuper omnes controuersiæ propter confinia Artheliæ, subortæ, & istius generis plures, quæ ibidem euenire solent, a deputatis commissarijs sepeliantur, nec ultra fas sit propterea tragœdias ac lites excitare, quin potius castigent qui id attentare præsumpserint.

Præterea Hispaniarum Rex comitatũ S. Pauli, heroidi totius uillæ tradat, seruato interim utriusq; monarchæ iure beneficiatus, & salua iurisdictione, quam utriq; in eum haberent, absq; omni incommodo & iactura, seu ut loquuntur, defalcatione. In qua quidẽ iurisdictione & emolumento simpliciter plane & incommutabiliter pariq; possessione illius, sicuti mox a conuentione alibi, Treispe initia, usq; in diem quando eadem uiolata bellum denuo exarsit, quiete permaneant, omneq; dissidiũ quod inde exoriri posset pariformiter per commissarios componatur & tollatur.

Deinde comitatus Caroleus Regi Hispaniarũ restituatur quo & deinceps pacifice & quiete potiatur.

Ad hæc peculiares legati decernantur, qui de bonis & dominijs prope comitatũ Burgundiæ sitis (de quibus uidelicet aliqua sit exceptio & dubitatio) inter se cõsultent, & iusta portione utriq; Regi diuidant, quo sic inposterum omnes abusus & errores, si qui alias sub prætextu illorum exoriantur, tempestiue præcaueãtur. Porro legati quamprimum fieri commode queat, rem omnem diligenter expendant, & quantum attinet ad id quod ij qui Burgundiæ comitatum incolunt, se prorsus ab omnibus externis mulctis & exactionibus, quales sunt in Burgundia Ducali immunes statuant, siquidẽ inter se sint discreti seu distincti loco & dominio. Neq; enim hedui Burgundionibus se cõnumerant. Istud ergo discrimen obseruent.

Vicesima conditio huiusmodi fuit, Quicquid alteruter in Marchio comitatu Monferrateñ. occupasset, neutrius habito delectu, Mantuæ Duce restituatur, liberum tamẽ esse utriq; municiones ab ipsis extructas demoliri & inuadere, ideoq; licere ut quisq; suas machinas, munimenta, & reliquum apparatum, & commeatum inde recipiant. Omnibusque & singulis ex Marchionatu qui alteri in alterum militassent, omnino & honeste ignoscant.

Dehinc Francorum Rex, Valenciam ciuitatem quæ nimirum ad Insubriam attinet, Hispaniarum Regi dedat atq; restituat.

Præter

Præterhæc idem ille Rex Insulam Corsicam Genuensibus reddat, catapultas, munitiones & commeatum, secum inde tollat, interim tamen nihil damni præsidijs ibidem inferat, nec diruat, concessa pariter militibus utriusq; partis, imo etiam insulanis qui Regis Franciæ partes sequuti fuissent, uenia.

Insuper Galliæ Rex ciuitatibus & præsidijs quæ in Tuscia obtinuisset, cedat dedatq;, ijs quoq; quos in Montal sibi haberet addictos, modo suæ nouæ administrationi atq; Imperio acquiescere, seque subdereq; uelint, parcatur.

Cæterum eiusmodi restitutiones & deditiones breui fiant, & is qui primū ex ambobus Regibus, ijs se accōmodare & exequi uellet, in maiorem fidem & certitudinē, quatuor uiros ex alterius dominio pro suo arbitrio tanquam obsides deligat recipiatq;. Hos ille uicissim delectos tunc dimittat liberos, facta sibi restitutione atque deditione.

Quanquam autem initio decretum esset ut Carolus Aŭstriacus Hispaniæ Princeps, Philippi Regis filius coniugium ineat cum primogenita Regis Galliæ, Heroina Elizabeta, cuius dos quadringenta aureorum solarium milia præstaret, istud tamē postmodum immutatum esse: Nam ad maiorem initi fœderis fidem & confirmationem placere, ut loco filij pater ipse in coniugem accipiat Elizabetam memorati regis filiam natu maiorem, quā etiam despondeat ut primum fieri potest commode.

At uero Allobrogum Dux Princeps Pedemontanus simili modo heroidem Margaretam Regis Henrici sororem germanam, in uxorem ducat, quæ pro dote trecenta coronatorū milia, simul etiā Ducatum Berrydanum quem idem Rex sorori germanæ dum uiuat, possidendum gubernandumq; donauisset & inauthorasset.

Paternum quoq; dominium populumque subditum ereptum hactenus & subiugatum eidem Principi, Galliæ Rex restituat, exceptis aliquot ciuitatibus, uidelicet Taurino, Pignerole, Thisna, Quierno, Villa noua, quas triennio Rex ipse tenere ac possidere ualeat, quatenus interea prouētus illi, quos Regno suo Gallico Rex competere putat in eodem dominio, redimantur ac liberentur.

Adhæc Allobrogum Dux neutrius partes sequatur, neutri adhæreat, sed suam tantum partem curet.

Præterea Hispaniarum Rex in Pedemontana regione hæc sibi pſidia retineat, & gubernet scilicet Astā uulgo & Reızel, usquequo

Francos

Francorũ Rex illa quinq; oppida siue munitiones Sabaudiæ Duci reddat.

Porro huic conuentioni & pacifico fœderi omnes illi subscribant, & in hoc ipso contineantur pacto, quotquot utrinq; proponuntur, & infra nominatim exprimuntur & denominantur.

In primis autem Regis Hispaniarũ nomine, Pontifex Maximus Sedes Apostolica, Cæsar & filij, & omnia ipsorum regna & ditiones.

Dehinc omnes Imperij Principes Electores, ciuitates & omnes Status obedientes, præcipue uero Episcopus Leodiensis, Dux Iuliacensis, qui & Cliuensis, Episcopus Cameracẽsis, & ciuitas ipsa Cameracum, totumq; territorium Cambresianum, ciuitates item uulgo Ansæ dictæ, Comites quoq; Frisiæ orientalis, similiter etiam confœderatorum loca, & Rheti Alpestres cum socijs. Adhæc Rex Delphinus & Regina ipsius uxor, Rex Reginaq; Scotiæ pacem suscipiunt & instaurant exhibita manifeste & expresse capitulatione ut uocant, & pacto, quemadmodũ inter Regem Hispaniæ, & Regem Regnumq; Angliæ fuit instaurata. Deinde Lusitaniæ, Poloniæ, & Daniæ Reges, Dux Sabaudiæ, Dux Lotharingiæ & mater, Dux Venetorum & totum illic dominium, Genuensis & Lucensis Respublica, Florentiæ & Ferrariæ Duces, sine dispendio tamen fœderis inter Hispaniæ Regẽ & eosdem Duces initi. Præterea Duces Mantuanus & Vrbinas, Dux Parmensis & Placenciensis una cum Cardinalibus Farnesio, & Sancti Angeli suo fratre. Eodem quoq; modo Cardinalis Camerlengius, Comes Sanctæ Floræ, & fratres Cardinales, Carpeñ. & Perlanus. Item Marcus Antonius Columnanus, Paulus Iordanus Ficinus, Vespasianus Gonzaga, Dominus a Monigo, Marchio a Fuiael, Marchio Masfereus, Dominus a Merthole, Farnesius Episcopus Ticinensis, & frater Dominus a Plumbur, Comes a Sala, Comes a Colorne Sinolpho, Dominus a Castro Lothrensi. Tum etiam nomine Francorum Regis, hi fœderi adsociati sunt: In primis Romanus Pontifex, Sedes Apostolica, Imperator, Sacri Imperij Principes Electores, tam Ecclesiastici quam laici, Ciuitates, municipia, & ordines, præsertim Ioannes Fridericus, & Ioannes Vuilhelmus Saxoniæ Duces, Item Dux Vuirtenbergicus, Hessus & filij, orientalis Frisiæ Comites & filij, simulac Ciuitates maritimæ, tenore antiqui fœderis, Rex Delphinus, Reginaq; Coniunx, Rex & Regina Scotiæ, cũ Viduaquondã Scotiæ

Regina seu potius Vice regente Scotiæ Regnum, secundum uigorem ueteris conuentionis, concordiæ & pacti, quæ inter regnum Galliæ & Scotiæ iam pridem intercessissent. Adhæc Rex Bohemiæ & fratres Archiduces Cæsaris filij, & horum regna, Principatus, ditiones & dominia. Portugalliæ, Poloniæ, Daciæ & Schvuediæ Reges, Elizabetha Regina, Ioannis Vaiuodæ relicta, & filius Rex. Dux & dominium Venetorum, tredecim toparchiæ inuicem confœderatæ, Rheti Alpestres, Sangallenses, Trugenburgici & Mulhusani, cum alijs socijs suis & congerronibus. Insuper Dux Lotharingiæ, & mater Vidua, Sabaudiæ & Ferrariæ Duces, Dominus Franciscus Deste, Marchionatus Monferratensis Vidua, Dux Mantuanus cũ Domino Lodoico Gonzaga suo fratre. Item Respublica Lucensis, Episcopus & Primipilaris Mediomatricum, Tullẽn. & Vertodunẽn. Abbas Gorzenus, sine præiudicio tamen illius Abbatis qui Regis Hispaniarũ partes tuetur, & ius sibi abbatiæ illius uendicat; pari modo Dominus ab Hansdelamarcke, Dux a Polluuio, Comites Mirandulanus & Petillianus, Dominus Iordanus Vrsinus, Camillus & Paulus Resinus, Cardinalis Strotzius, Philippus quoq; & Robertus Strotzij Episcopus Sancti Paronelli Saluitati, Dominus Cornelius Beruioslius & fratres, Dominus quoq; Andreas Baillonẽn. Hi pariter omnes & quotquot suprememorati sint, modo ipsimet uelint hac conuentione & fœdere amplecti & cõnumerari, possent. Cuius uirtute fœderis uniuersis & singulis tum Ecclesiastici, tũ laici, qui uel in regnis, puincijs, & dominijs Hispaniæ Regis, aut etiam Galliæ, bona siue prædia aut quascunq; possessiones & reditus haberent, ijs libere ac licite utantur fruanturq;. Potissimum autem obseruent, & summopere caueant ipsi Reges, ne uidelicet aliquem eorum qui huic fœderi inscripti sint & utrinq; nominati, siue per se siue p alios, grauẽt, molestent, aut deniq; affligãt, quin potius si quis querela aut actione dignum quid putet se in illos habere, id sane corã Disceptatoribus seu delegatis arbitris transigat, abstineatq; ui potius rem seu factum persequi, quam iure.

Adhæc in eodem fœdere omnes illi censeantur & habeantur quotquot intra semestre spacium ab utroq; Rege dicerentur.

Similiter etiam hi duo ambo Reges Hispaniæ & Galliæ in præscripto fœdere & mutuo inter se amicitiæ uinculo, deuouerunt se in posterum nulla ratione nec ullo in loco quicquam actu ros aut molituros in uel extra Christianum orbem, quod Sacro Imperio Romano,

Romano, uel etiam Nationi Germanicæ, eiusdemq; membris nocere possit, uerum potius commodum illius, tranquillitatem, concordiam atq; salutem promoturos, modo tamē & ordines illi prædicti, & subditi uel deniq; socij eorundem, uicissim talia obsequia præstent & obseruent nec diuersum aliquid, contrarium & perniciosum, machinentur uel præsumant, quod offendere & uiolare queat, initam iam concordiam, sed hanc toto quod aiunt pectore colant, foueantq;.

Postremo Legati Francorum eo quod ipsis ab altera parte, nomine uidelicet Regis Hispaniæ, eligendi facultas data & oblata esset, qua primi restituant ea omnia quæ pacis conditionibus continentur, datis obsidibus, propterea hanc minime facultatem recusare, sed libentissime accipere aiunt, diemq; restitutioni dicturos paucis post diebus promittunt.

His igitur legibus consignatis atque sancitis, pax nonis Aprilis præconis uoce Bruxellæ Brabantiæ palam ac publice promulgata fuit, quemadmodum & prius ante biduum in arce Cambresiana. Porro restitutionis tempus non ultra bimestre spacium esse prorogandum significabatur. Faxit Deus Opt. Max. ut pax perpetua sit & indiuidua permaneat.

Cæterum has pacis conditiones Germanice bona fide conscriptas & exhibitas, quam potuimus dextre uertimus.

Pace proclamata, signa ubiq; lætitiæ pari fœdere ac uoto percelebrant, ubiq; triumphi & faustæ præcationes. Certatum est utrinq; pro uirili, quis eorum gloriosior seu lætior appareret. Nam Galliæ Rex comperta Philippi Hispaniarum Regis erga se beneuolentia atq; candore, ut omnibus depositis querelis, omni exuta simultate, (quæ sæuiente iamdudum Marte intercesserat) gener ipsius fieri cuperet, in tantam prorupit lætitiam, ut sui propemodum oblitus uideretur. Plaudebat manibus, exultabat, & quem totis uiribus afflictis bellis deprimere laborauerat, toto (quod aiunt) pectore extollit & magnificat. Charissimā ad se filiam euocat, & de nuptijs sermonem facit, tandem uero sponsi nomine expresso, quem pater hactenus iugi bello afflixerat, quo non esset nobilior, gloriosior atq; potentior, qui tot Regnis, Nationibus, Prouincijs ac insulis opulentissimis dominaretur, præ gaudio illachrymatur. Rex igitur quo uicissim gratum Genero suo exhiberet animum, acceptis uti decretum erat, obsidibus, ciuitates, oppida & arces integre resti

tuit, cum solenni legatione. At uerā prohdolor illam sapientis sententiā esse, quæ dicit, Extrema gaudij luctus occupat, fatalis probauit euentus. Nam cum indies gaudia renouarentur, Rex Henricus cum toto nobilium & heroum cœtu & equitatu, hastiludium perscelebraturus, in harenam descendit, unum in se prouocat, sed is Regiam Maiestatem reueritus, indignum fore prorsus putat ut cum Rege tanto suoq; Principe cōgrediatur, proin honeste se purgans tergiuersatur. Rex uero instat, hortatur ne cedat aut parcat, sed ut Virum ingenuum & bellicosum decet, uiriliter lanceam obijciat, uibret, ac stringat. Quod dum inuitus & coactus ille facit, hastam in Regem torquet tanto impetu, ut etiam confringeret. Cuius frusta cum huc illucq; spargerentur, & magna ui dissilirent, accidit inde Regē in fronte uulnerari. Quod ubi Rex Philippus intellexit, continuo Valesium medicum longe expertissimum ad socerū mittit, testatus animi sui dolorem; at frustra, nam uulnus lethale fuit, nec curari potuit. Postremo Rex morti uicinus condito testamento, filium successorem, monet, ut in Religione Catholica persistat, quam etiam maiores sui deuotissime semper coluissent, ut Socerū quem sibi constituerat tutorem, Regem uidelicet Philippum, pro patre agnoscat & obseruet. Ad extremum uitam morte commutat, non absq; grandi suorum & nostratium luctu, maxime eorū qui prudentiores sunt, & circunspectiores.

Obitus Regis Henrici.

Hoc anno die xiij. Martij, a feria ij. usq; in feriam iij. secundam circiter noctis uigiliam, pius & omnis generis eruditione clarus, D. Ioannes Gropperus, ex huius miseriæ incolatu digreditur. Hunc piæ recordationis uirum Summus Pontifex iam pridem ad se crebra legatione euocauerat, ut sancto adsociatus Senatui, Romanæ Cardinalis Ecclesiæ decerneretur. Tandem post longam ac frequentem iussionem, & requisitionem, non ambitionis causa, a qua tam procul abfuit ut ualedicta curia domi perpetuo fere se contineret, sed tanquam Ecclesiæ Christianæ, decenti uidelicet ac debitæ suæ potestati responsurus & obtemperaturus, perarduo difficilimoq; se committit itineri. Cumq; Augustam uenisset, tertiana Febri decumbere cœpit, quæ indies accreuit, donec Forolinitū perueniisset. Vbi magis magisq; febri inardescente uiribus in ciuitate Pesara adeo deficere cœpit, intantum ut ipsemet & quotquot aderant eum ibidem moriturū putarent. Tantis proinde angustijs interceptus, diuinum inprimis numen, precibus ardentissimis implorat,

Obitus Reuerendiss. D. Ioannis Gropperi.

 Virginemq;

Virginemq; Deiparam inuocat, quo sua apud unigenitum Dei patris intercessione efficiat, ne prius mortis discrimini subiaceat, quo usq; ad locum Lauretanũ (ubi ipsa per Christum religiosissime colitur, ubi etiam Deus in honorem suæ Genitricis quotidie miracula designat cœlestia) perueniisset. Cœpit extunc infirmitatis feruor remitti, deuenitq; in locũ optatũ, ubi sesquidie moratus, septimo tandem calendas Septembris Romam appulit, anno 58. Quo comperto Pontifex in suomet palatio, diuersorium tanto uiro dignũ concessit. Hic diuina fretus gratia, & medicorũ opera diligentiaq;, pristinæ ualetudini restituitur. Cæterum ubi Pontifex infinitos pene iam libros execratus, tanquam hæreticos condemnasset, simulac lectionem eorum, probis & obedientibus Christianis interdixisset, postulatum est ab Episcopo quodam, Veneto, cui Delphinus nomen erat, ut etiam D. Gropperi scripta quædam interdicto damnet. At iniuriam hanc facile a se depulit, instructa confutatione, qua seipsum tam insigniter & magnifice, scriptim atq; uerbatim defendit, ut laudem honoremq; apud quosuis pios sibi conciliarit, Veneto uicissim apud Pontificem, cæterosq; Deo charos, indignationem, & dignas tanto crimine pœnas. At uero postea quam Deus omnipotens, Carissimum hunc dignissimumq; uirum, infido, ingratoq; seculo diutius permittere nollet, quatriduana Febri correptus, saluberrimo inprimis Ecclesiæ Viatico refectus, & unctione delibutus extrema, cum morte, ut dictum est, uitam permutat. Postremo sacra cum pompa, & perhonorifice, Episcoporum more ad sepulchrum funus eius deducitur. Toto dein biduo corpus uniuersis & singulis conspiciendum proponitur, facies tanta serenitate ac gratia nituit, ut in mirationem plurimi constituti, dicerent, se nunquam uidisse alias uirum magis decorũ aspectu. Triduo dehinc in Ecclesia ut uocant Germanorum, ad pedes Sanctissimi Pontificis Adriani tumulatur. Pontifex uero superstes in oratione funebri, quam in demortui D. Gropperi commendationem ore proprio deprompsit, crebrius ingeminans hæc interposuit: Nequaquam D. Gropperum amisimus, sed ad Deũ præmisimus. Hæc bona fide relatu Honorandi D. Ioannis Oliuerij, ad Gradus Mariæ Vicarij, in Vbiorũ Colonia accepimus, qui huic dolendo flebiliq; interfuit spectaculo. Nam ubiq; locorum comes is fuit itineris, infirmo obsequutus est, agonizanti fideliter astitit, ac deniq; funus deduxit cum alijs & sepeliuit.

Rex Philippus Gandauũ discedit.

Hoc insuper anno cum Rex Philippus Hispaniam hæresiarcharũ doctrinis uarijs & peregrinis uexari & oppugnari animaduerteret, Bruxella Gandauum secessit, inde repetiturus Hispaniã. Vbi moram aliquantulum temporis trahens, Ditionibus suis primum prouidere uoluit, consilio pariter & auxilio, ne quæ tragœdiæ, seu etiam pericula eo absente, in Repub. sua suscitarentur. Igigitur unicuiq; prouinciæ proprium præfecit Ducem uel gubernatorem.

Philippus Regis prouidentia.

Principio Aurangiæ Principi, Holandiæ, Zelandiæ & Traiectensis Ditionis administratio creditur, Comiti uero Egmondano Flandriæ & Arthesiæ. Hornensis Comitis bonæ fidei res maritimæ commendantur. Comiti Arnbergensi præfectura militũ Germaniæ inferioris committitur. Megensi uero Comiti Hannonia, Cameracense & Cambresianum territorium, concreduntur. Et sic deinceps reliqui Principes præficiuntur, & pro regali magnificentia stipendijs annuis donantur, alij quinquaginta, alij uiginti, alij quadraginta milibus ducatorum cumulantur.

Equites aurei uelleris Gandaui creãtur.

Equites quoq; aurei uelleris splendide ac multum honorifice ibidem more Regio creat. In primis Francorum Regem Socerum suum hoc honore dignatur, Deinde Carolum Archiducẽ Austriæ, nepotem suum: Posthæc ex Hispanis, Arcosanum & Naueranum Duces, Comitem quoq; Geneuantem. Ex Italis Ducẽ Mantuanum & Vrbinatem, Principem Solmonanum, D. Antonium Marcum Columnensem. Ex belgis deniq; Marchionem Rethisnensen, Comitem a Ligni, Comitem Hochstratanum, D. Aisschotanum, Præfectũ Arcis Gandensis. Deniq; Dominum a Montigni.

Episcopatus noui.

Quinetiam Prudentissimus ac religiosissimus Rex considerans hæreses siue sectas plane periculosas & detestandas quotidie apud belgas repullulare, missa ante annos aliquot legatione, a Sede Apostolica impetrat, ut quibus uellet nationibus urbibusq; Episcopos præficere, tanquam Egumenos & Hiperetas Ecclesiarum, præficiat. Hic Princeps unice inter alios, religionem redintegrare, promouere, & defendere Catholicam studet.

Auctũ Danorũ Regnum.

Dietmarienses Imperiũ Daciæ Regis detrectantes, manu bellica in grauissimam redacti sunt seruitutem.

Scoti.

At Scoti quondam Catholicæ religionis obseruantissimi, plus æquo, imo prohdolor nimis ab eadem desciscere cœperunt, profecto non sine fraude Anglorũ, dico autem hæreticorũ qui uidentur modo

modo libere & indulgentissime peccare. Nam post obitū Reginæ Mariæ, Coniugis Regis Philippi, pijssimæ, Doctæ, prudentissimæ sanctissimæq; fœminæ, alia quædam successisse dicitur quæ hereſiarchas admittat.

Sub finem Iulij Coloniam uenit celebri magnatum ac Principum frequentia stipata, Ducissa ut loquuntur Parmensis, Caroli quinti Cæsaris gloriosæ memoriæ, filia, a Philippo Rege euocata quæ partes suas obeat apud Belgas, ut ferunt. *Princeps Parmensis.*

Visi sunt hoc tempore Aquenses Protestantium religionē, imo uerius superstitionem, uel Confessionem quam uocant Augustanā, plus satis ambire. Treuirenses nescio quo fato in partem aduersariorum descendere uidebantur, ex quo peregrinos illic tam inhospitaliter exceperint, & irriserint, qui uoti ac religionis causa eo confluxerant, nimirum reliquiarum sanctissimarū honore feruentes. *Aquensiū quorundam e Senatu turpis ambitio.* *Treuirenses.*

Eisdem fere temporibus magna siccitas ex nimijs continuisq; caloribus undiq; sæuiebat, uitibus tunc plurimum noxia. Quod animaduertens Reuerendissimus D. Ioannes Gebhardus in Archiepiscopum Coloniensem Electus, spe firma subnixus ad Deū confugiendum esse putauit. Igitur Missam præcariā, publicamq; Supplicationem fieri mandat, quæ ut erat in nomine Christi instituta & absoluta, mox eadem illa siccitas postridie coactis singulari miraculo nubibus ac cōdensatis, pluuia mediocri moderatissimaq; temperatur sistiturq;. Sic Deus Ecclesiæ suæ patrocinari uoluit. *Siccitas.* *Supplicatio per urbem deuota atq; Solennis.* *Pluuia.*

Interea Comitia Augustæ, a Cæsare Ferdinando anno superiori denunciata celebrantur, & inter alia quæ ibidem gesta sunt, istud potissimum memoratu dignum, imo dignissimum plane uidetur.

Nam cum Cæsar Ferdinandus ab oratoribus Principum Electorum, aliorumq; procerum & ordinum, qui in Augustanam confessionem iurarant, tum absentium, tum præsentium sententiam & propositum, de commodo uel libertatis Ecclesiasticæ instauratione, nouissime hic, uidelicet anno 55. definita, inq; religionis fœdere tunc comprehensa, scripto cōmunicatum pro sua ingenita Clementia accepisset, responsum fuit.

Ordines Imperij persuasum sibi prorsus habeant, Ex quo nimirum Cæsar apud eos hactenus rationibus multis, omnē amicitiā, fidem, & beneuolentiam reuera perquisiisset, quod etiam amodo & antea non minus certe de ipsis meruisset, illum quidem difficulter aliquid recusaturū quod suæ Maie. probabile & possibile foret.

Cæterum quum iam hæc res huiusmodi sit, ut partim ordines tantum Catholicæ religioni addictos, maxime uero Ecclesiasticos, partim etiam suam Maiestatem concernat, eo quod tanti momenti sit, ut rationem sui officij, & Christianæ dictamen conscientiæ commoueat, se propterea intermittere nequisse, quin & Catholici Ordinis Principes hac de re prius audiat, deinde uero negocium latius examinandum esse ac tum demum sibi prospiciendũ, & consulendum. Quantum uero ad illius ordinis primates attinet equidẽ multis ex argumentis & rationibus ab ijs recitatis cognoscere, se, q̃d a Constitutione huius rei gratia, quondam inita, discedere nollent, nec tamen ulla ratione eos ut discedant cogere uelle.

Quod igitur ad suam Maiestatem attineret, compertum habere huius nouæ tragœdiæ iam hinc inde & utrinq; excitatæ initia, dubitationes & occasiones in ratione nostræ Catholicæ & Christianæ religionis consistere, eodemq; adduci uelle.

Quam eligat religionem Cæsar. Quo circa se haudquaquam prætermittere posse, quin ut decet Imperatorem Christianũ, hac in re, candide & expresse mentẽ suã significet, nimirũ in ea quã hactenus obseruasset religione, in qua & perstitisset, natus, baptizatus & educatus esset, quã a suis probissimis parentibus & maioribus traditam accepisset, & didicisset, quæ non modo a maioribus suis Laude dignis, uerumetiam a gloriosissimis in Regno & Imperio Præcessoribus, quamdiu illud in Germania floruisset, & adeo tot seculis perpetua quadam propagatione & successione fundata & exorta, & ad suam usq; ætatem deuoluta, per quam deniq; sacrum in Germania Imperium nonnunquã magno in honore, existimatione, omniumq; rerum prosperitate, etiam in Christiana modestia, pietate, probitate integritateq; necnon unitate fidei constitutum ac fultum uiguisset, in hac igitur religione tot sacramentis sancita, tot exemplis maiorum illustrata, tot seculis cum gloria, maiestate, honorificentia, decore, prosperitateq; totius Germaniæ retenta & obseruata, se penitus Dei gratia & præsenti fretum constantia, despectis quoq; fortiter periculis quibuscunq; hac in parte subeundis aut ferendis, ad cymbam usq; Charontis perseueraturum, aperte & ingenue protestatur.

Quocirca Ordines Augustanæ confessionis, modo (uti decet) priuatas affectiones deponere uelint, facile pro sua ipsorum prudentia intelligant, si eorundem sententiæ, sua Maiestas subscribat, seu etiam indulgeat, fore hoc medio ut propriam ipsius religionẽ, quasi

quasi idololatriam & salutifero Dei uerbo contraria, & per quam omnis Christiana reformatio & fidei Catholicæ concordia, quin & prosperitas & salus præpediantur, considerent inquam & intelligant, quam istud graue & indignum ac molestum suæ Maiestati futurum sit, suæq; Christianæ conscientiæ offensiuum.

Cæterum hæc res siue negocium antea hic Augustæ, deinceps Anno 57. Ratisponæ, diuersimode, nunc hanc, nunc in illam partē uentilatum fuit atq; productum. Idipsum igitur quod tunc temporis sua Maiestas frequenter non obscure significasset, hoc etiam loco se breuitatis studio repetere non cogitasse.

Itidem nolle quidem se quomodo uel qualiter ordines unius uel alterius partis in memoratam Constitutionem non modo tantum, uerum alias quoq; tacite uel expresse consenserint, nec ne, uitandæ prolixitatis causa, in disputationem rapere.

Solummodo absque zelo necessitudinem suam non potuisse quin explicaret. Licet enim res ipsæ in ijs cardinibus adhuc consisterent, in quibus ante pacificationis pro religione decretum & instaurationem, tamen ita se nunc affectum, ut nullis unquam temporibus aliud præterea ijs in rebus nec amplius quam modo & sepius declarasset, admittere possit aut uelit. Quemadmodum etiam (maxime iuxta carissimam & sanctissime firmatam obligationem quam nimirum nuperrime in auspicio monarchiæ Imperialis, unanimi requisitione ipsorum sex, tum suæ Maiestatis tum Imperij Electorum præstitisset, in qua dico etiam absq; ullis ambagibus uel amplioribus circunstantijs humaniter & obsequenter se permanere sinant) quemadmodum inquam multis etiam hoc ipsum argumentis de se compertum esset.

Quoniam igitur huiusmodi negocium, eos (qui sint Augustanæ Confessionis) ordines, secundum propriam illorum Confessionem, neutiquam concernat, de quo præterea nullam sint daturi rationem, sed suum & aliorum Ordinum proprium esse, in quo denique ipsi Augustanæ Confessionis socij se immiscere nolle, formam aut modum præscribere, expresse polliciti fuissent, propterea suam Maiestatem obnixe prorsus petere, quatenus id adhuc penes eosdem animo beneuolo conquiescere sinant, nec non in tam difficili & arduo negocio sibi etiamnum proprio, rationem

(quem-

(quemadmodum & illud omnem humani ingenij uim & prudentiam exigit) suæ Maiestati credant atque cõmittant, quippe quæ in se reciperet Deo & hominibus rationem reddere uelle.

Porro quod superest, se quidem proptum esse ut reddat omnibus & singulis parem gratiam.

O dignam lauro, sceptrisque constantiam & prudentiam, niueoque notandam lapillo. Quid unquam dici potuit Cæsare dignius, quippe qui pro officio religionem ac pietatem Christianam, equidem non nuperam aut humanitus excogitatam uel inuentam, sed authenticam, & Apostolorũ cordibus infusam, & inde mentibus fidelium digito Dei uiuentis inscriptam, exaratam, & omnibus numeris absolutissimam atque adeo stabilem, ratam ac firmam ut nullis unquam uiribus elui uel obliterari queat, defendere suscepit. Re ipsa declarauit Cæsar, hanc solam religionem Christianum pectus decere, a qua deniq; discedere, aliud fere nihil sit, quam Christi Ecclesiam abiurare, quæ concors & unanimis per omnia cõsistit, quæ Apostolorum & Prophetarum fundamento nititur, præter quod aliud nemo ponere ualet, nec subuertere. Verbum enim Domini, Veritas enim Domini, manet in æternum. Sane rogandus Deus sine intermissione, ut talem orbis Christiani moderatorem in multos annos incolumem corpore animoque conseruet. Magni siquidem beneficij est diuinitus concessi pium habere Principem. Licet enim Europa plurimos habeat duces, paucos tamen prohdolor religionis auitæ dictatores. Iudæa Dauidem unum, unum Ezechiam, unum Iosaphat habuit, quorum utique religionis zelo Synagoga florebat. Det uicissim Deus Omnipotens, ut Ecclesia ijs semper regatur Principibus, qui pietatem promoueant, & Catholicam Christi Iesu fidem a singulari fero defendant.

Erratum est fol. 309. Memineris ergo beneuole lector, linea tertia, post absorberi, tibi recurrendum ad paginam 312, linea 27. quæ incipit: Infectis itaque rebus &c., usque ad paginam 314. linea 23. post designatum. Recurrendum est ad folium 309. linea 3. Tunc Rex &c. illic continuatim lege usque ad paginam 312. linea 27. quæ incipit Infectis &c. Tunc quære paginã 313. linea 25. quæ incipit Anno M. &c. tunc continua.



FINIS.

